
WIDENER LIBRARY
HX J8T5 P


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE




ECCLESIÆ VENETÆ
ANTIQUIS MONUMENTIS
NUNC ETIAM PRIMUM EDITIS ILLUSTRATÆ
AC IN DECADES DISTRIBUTÆ.

AUTHORE

FLAMINIO CORNELIO

SENATORE VENETO.

DECAS SEXTA.



VENETIIS,

MDCCXXXXIX.

Typis Jo: BAPTISTÆ PASQUALI
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

1880, May 16.
Minot fund.

DE CLERO & COLLEGIO Novem Congregationum.

CUM mea consilia cogitationesque ad Venetas Ecclesias illustrandas Deo fretus admoverim, quamquam undique monumenta omnia conquisierim, quæ male pressa, & sepulta latebant, tamen præcipuo studio enitendum mihi existimavi, ut quæ ad Parœcias spectarent, ea potissimum a temporum injuria, & hominum oblivione vindicarem. Id enim vero Venetæ Ecclesiæ cum decus, tum utilitas a me jure suo postulabant. Quid enim ad gloriam Urbis nostræ amplificandam opportunius, quam Majorum nostrorum pietatem in antiquissimis Parœciis ponendis ditandisque intueri per ea præsertim tempora, cum ex Barbarorum incursionibus communes Italiæ calamitates, fractis & prostratis Romani Imperii in Occidente rebus, cultum omnem, & humanitatem, ne dum Religionem a cæteris urbibus jusserant exulare? Rursus quid ad sacram Venetiarum historiam plenius ex integro exequendam utile magis accideret, quam earum Ecclesiarum documenta exhibere, in quibus Pastorum cura eventus omnes, ritus, celebritates, atque solemnia accurate litteris consignavit? Hisce de causis, si ingenue fatear, id quod res est, me sine aliarum Ecclesiarum detrimento nihil prius, aut potius Parœciis illustrandis habuisse, apud æquos rerum æstimatores, quantum arbitror, numquam reprehendar.

Interea tamen Parœciarum exordia omnino omnium prosequutus, paucarum admodum assequi potui; scilicet qua ædium sacrarum incendiis, qua hominum illitteratorum incuria factum est, ut selectiora documenta perierint: prorsus ut alibi plane nihil, alibi tenebricosas mutilasque scriptiunculas nullius momenti, alibi vero incertas res, & fabellas tantummodo populares invenerim. Conatu autem hoc in irritum recidente meum quoque consilium, quod alte animo insederat, disjectum est, de Cleri Veneti historia illustranda. Neque enim hic dissimulabo, mentem mihi fuisse ita Parœcias singulas transigere, ut ostenderem quo tempore, quibus authoribus, &

qua ratione in Collegiatas, prout vulgi ſermone nuncupantur, evaſiſſent; quid ſibi velint Collegia iſthæc, ſeu ut vocant Titulatorum Capitula, & quibus devexa etiam ætate pateant, quos viros vel pietate, vel dignitatum ſplendore claros habuerint, quomodo ipſa per ſe Diœceſanam Synodum efforment, atque conſtituant. Huic rei exponendæ ſi par fuiſſem, utique Clerum univerſim Venetum quippe ex his Collegiis conflatum illuſtraſſem, aut aliis ſaltem, qui nitide præſtanterque ſcriberent, ſuppetias tuliſſem. Sed ſuſceptam alacri animo rem perſeveranter urgere non potui, ex monumentorum defectu, atque inopia.

Quoniam vero tanti apud me eſt Clerus Venetus, quanti eſſe debet, ut meis votis aliqua ſaltem ex parte ſatisfaciam, juvat hic ſubnectere, quæ ſcitu digniora ſunt circa Presbyterorum Sæcularium Congregationes, quæ novem omnino numerantur. Earum igitur ortum, & privilegia ex certiſſimis documentis profero. Neque vero quiſquam arbitretur Congregationes hujuſmodi Clerum Venetum reprehefentare, cum ſuo ſe arbitratu, ac peculiaribus legibus unaquæque regat, ac moderetur: & earum Præſides, quos Archipresbyteros vocant, Diœceſanæ Synodo (niſi forte alio vel Plebani vel Titulati nomine) non interſint, multo minus ſubſellia propria obtineant.

Itaque compertum eſt Venetiis adhuc naſcentibus rem ſacram adminiſtraſſe ſolos ſæculares Presbyteros, quorum primum fuiſſe quemdam Felicem nomine ex Danduli Chronico lib. v. cap. I. part. x. addiſcimus. Primam ille Venetiis ſub D. Jacobi Majoris invocatione extructam Eccleſiam, *in ea pro Sacramentis Eccleſiaſticis exhibendis deputatus* piiſſime rexit, aliique ex aliis poſt illum per plura ſæcula, aucto tamen interea Parœciarum numero, prout ex affluentium undique populorum copia Venetiæ magis magiſque incrementa capiebant, noviſque accolis novi Paſtores, qui rerum divinarum curam gererent, deſtinabantur. Porro cur ſoli Presbyteri ſæculares ad Vineam Domini colendam tunc temporis adhiberentur, hoc erat in cauſa, quod Religioſæ Mendicantium, & Clericorum Regularium familiæ nondum eſſent exortæ; Monachi vero, qui ſæculo X. & XI. hac illac in Inſulis Venetis Cœnobia fixerant, ſibi potius, quam aliis vacabant, nec proximos ad ſalutem, niſi precibus, & morum exemplis juvabant. Interea Presbyteri hujuſmodi

mödi intelligentes, quanto fuccrefcenti Urbi adjumento forent, fi Cives ex variis regionibus advectos, & indole ac moribus varios ad mutuum inter fe charitatis vinculum exemplo magis, quam voce adduxiffent, cœtus quosdam Sacerdotum, & Clericorum inftituerunt, (Veneto vernaculo *Chierefie* nuncupabantur) quibus propofitum effet ftatis diebus defunctorum animabus pie fuffragari, & publicis fupplicationibus ab una ad aliam Ecclefiam ultro citroque habitis populum ad pietatis ftudium accendere, & torpentibus ad res facras ftimulos admovere.

Ad horum igitur cœtuum normam nova poftmodum Presbyterorum fæcularium Sodalitia (vulgo *Fraterne*) inftituta funt, quibus curæ eft opportunis fuffragiis animas piacularibus flammis cruciatas levare, fuosque Confratres in infirmitatibus rei familiaris anguftia laborantes peramanter juvare. Congregationis nomen fingulis his fodalitiis inditum fuit, cum omnia ferme fuarum regularum procemio habeant hæc Evangelica verba præfixa: *Ubi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi fum*. Tempus porro certum, & exploratum, quo Congregationes iftæ ortum habuerint non aufim affignare. Quæ omnium antiquiffima, & *S. Angeli* dicitur, eo quia in S. Michaelis Archangeli Templo, & tutela fit, fi antiquæ traditioni deferendum eft, anno MCXVII. fuit inftituta. Sed quia olim ex incendio (quo domus Pauli Benedicto Plebani S. Mariæ Jubenico hujus Congregationis Archipresbyteri tota conflagravit) antiquiffima fundationis monumenta periere, nolim conjecturas captare, nec periculum obtrudendi falfa pro veris temere fubire.

Ordine fecunda eft *Divæ Mariæ Matris Domini* Congregatio anno MCXXX. menfe Novembri erecta, ut teftantur ipfius ftatuta, quæ Victor Gaffaro Plebanus pariter, & Archipresbyter S. Mariæ Matris Domini cum cæteris Congregationis confratribus correcta, & reformata evulgarunt die VIII. Decembris anno Domini MCCCL.

Statutæ deinde fuerunt anno MCVI. Congregationes *S. Mariæ Formofæ*, atque *Sanctorum Hermagoræ & Fortunati* Martyrum. Has Sanfovinus in fuo de Veneta Urbe lib. cap. de Funeribus afferit, fimul cum duabus antedictis fuiffe fundatas eodem anno, eademque die ex Legato Antoniæ Maffariæ, quæ Clero Veneto iis fcilicet quatuor Congregationibus certos red-

ditus

ditus dimisit, ut in anniversaria sui obitus die, quarta nempe Decembris, ad Ecclesiam S. Martialis convenientes solemne ibidem sacrificium offerrent. In hoc tamen virum laudatissimum errare, ex certis documentis evincitur; Congregationes enim S. Angeli, & S. Mariæ Matris Domini, reliquas duas, ut retulimus, origine præcesserunt, nec Antoniæ testamentum anno 1468. die 26. Octobr. in publicas tabulas a Petro de Rubeis Plebano S. Mariæ Magdalenæ & Notario redactum causa esse potuit, ut anno 1145. Congregationes e Clero erigerentur. Emortuale Antoniæ anniversarium ad nostra adhuc tempora celebratur a quatuor superius enuntiatis Congregationibus statuta die, in qua cum D. Barbaræ solemnia recolantur, ansa errori data est, per quem Antoniæ nomen in Barbaram transiit, & funebris pompa exequiæ Barbaræ Massariæ nuncupata. Hisce quatuor Congregationibus, quas *Congregationes de Rivoalto* nominat, *Bonushabere Gausonus* certas vini mensuras ex donatione dimisit his verbis: *Illi homines qui sunt in prædicta Dei Ecclesia* (S. Mariæ Cruciferorum) *per tempora debeant dare pro anima mea omni anno usque in perpetuum uno Bigoncio de vino per unamquamque Congregationem de Rivoalto, & illi scilicet de illis Congregationibus debeant facere meum Anniversarium*. Instrumentum integrum dedimus Operis hujus Tom. II. pag. *99*.

Paucis inde interjectis annis ad instar priorum duæ novæ Congregationes eriguntur *S. Silvestri Papæ* & *S. Lucæ* Evangelistæ, hocque ex testamento Jacobi Ziani Sebastiani Ducis filii, in publicas tabulas anno 1192. redacto manifeste patet, dum terræ spatium in confinio S. Apollinaris positum sex Congregationibus reliquit *pro maxima reverentia* (ait ipse), *quam ipsis sex Congregationibus habeo*. Ex cujus illustris Testatoris verbis non obscure deducitur Congregationes e Clero coactas magnam apud præclarissimos Cives æstimationem obtinuisse. Jacobi superius laudati pietatem æmulatus Petrus ejus frater, Dux Venetiarum, domos, quæ etiamnum in Collegii jure perseverant, apud S. Geminianum ædificatas, septem Urbis Congregationibus ex testamento reliquit die 7. Septemb. anno 1228. ex quo manifeste apparet jam ante ipsum annum erectam fuisse *D. Pauli Apostoli* Congregationem, cujus fundationem recenter impressæ Matriculæ editores ad annum 1447. depresserunt.

runt. Nec multo post superaddita fuit octava Congregatio *Sanctorum Martyrum Canciani, & Sociorum* nomine dedicata; Marcus enim Ziani Arbensis Comes, Petri Ducis filius, Patris Patruique exemplo cum testamentum anno 1253. die 26. Junii condidisset, octo Congregationibus domos, quas in hodiernam diem in confinio S. Juliani possident, ex legato dimisit. Obitus sui diem anniversaria solemnis sacrificii oblatione in D. Georgii Majoris Ecclesia, ubi humandus erat, recoli jusserat Petrus Ziani; Marcus vero ejus filius eadem peragi mandaverat in ea Ecclesia, ubi corpus ejus tumularetur; cum vero depositionis ipsius locus ignoraretur, (qui tamen in S. Mariæ Gloriosæ Fratrum Minorum Templo existit, (*a*) ubi piissimus vir, pro ea, qua Seraphicum institutum prosequebatur veneratione, cadaver suum Minoritico habitu tectum in communi Fratrum sepultura tumulari mandavit) statutum est recenti totius Collegii Decreto die x. Martii anni hujus 1750. ut ad quascunque controversias compescendas, pro ipso quoque incruenta hostia litaretur in D. Georgii Templo, ubi illustres majorum suorum cineres asservantur. Novissima, quæ Collegium in *eum numerum* adduxerit, *qui triumphantis Ecclesiæ novem Angelorum choros in hac militante mystice designat*, fuit *S. Salvatoris* Congregatio circa annum MCCC. erecta, quod ex Matthæi Paganelli Ecclesiæ S. Agnetis Presbyteri testamento apparet; anno enim 1305. die XI. Januar. suæ voluntatis exequutores *permanere* jussit *duos Massarios novem Congregationum Clericorum Sæcularium Rivoalti deputatos ad locandum domos ipsarum Congregationum*.

Ad mysticum itaque, ut diximus, numerum redactæ Congregationes unaquæque suas sibi certas leges, tum ad morum sanctimoniam, cum ad privatum regimen opportunas proposuit, quibus fluxu temporis pro variis rerum eventibus optimo consilio auctis, nunc etiam singulari utilitate reguntur. Ex tribus porro ordinibus Congregationes constant, quorum superior *Pars integra*, secundus *Media Pars*, inferior vero *Oratio* nuncupantur; quibus in officio continendis Rector ex Con-

(a) Testamentum Marci Ziani Comitis Arbensis D. Petri Ziani Ducis Venet. filii rogatum fuit anno MCCLIII. die XXVI. Junii, in quo hæc habentur: *Elegimus nostram sepulturam apud S. Mariam de Fratribus Minoribus Castellanæ Diœcesis insimul cum fratribus in sepultura ipsorum*. Testamentum roboravit Marcus Grilioni Pleb. SS. Trinitatis & Not.

Confratrum numero, & suffragiis præficitur *Archipresbyter* appellatus, cujus officium, ut solemni Veneti Collegii (*Pien Collegio*) judicio decretum est anno 1637. die 25. Maii ad electi vitam protrahitur. Proximum ab Archipresbytero locum habet Massarius, cujus munus ad anni unius periodum redactum in eo versatur, quod redditus Congregationis exigat, atque administret. Ex primo Congregationum Ordine seliguntur Massarii, siquidem ii tantummodo, qui inter Partes integras adnumerantur, utriusque suffragii jus habere possunt; reliqui vero tenui quidem, sed gradui conveniente mercede Divinis officiis in bona spe deserviunt, donec oblata occasione ad altiora promoveantur, quod non utilitatis tantummodo, sed & honoris gratia expetendum esse videtur, cum ex primo ordine Partium integrarum viri ad regimen totius Collegii in dignitatibus assumantur.

Primis instituti Collegii temporibus (ut ex vetustis Sanctæ Mariæ Matris Domini statutis anno 1350. concinnatis instruimur) Archipresbyter pro suæ voluntatis arbitrio Sacerdotes & Clericos in Confratrum numerum adscribere poterat; anno autem superius citato Confratres ex unanimi consensu decreverunt, ut ad Congregationis Capitulum novi Confratris admissio pertineret, neve ullus nisi ad *Orationis* gradum admitteretur, ex quo Ordine assiduæ servitutis merito per sex annos exhibito ad altiorem statum Mediæ Partis promoveri posset, indeque iterata sex annorum servitute tandem, ut Rachele Jacob, primi ordinis decore, & utilitate potiretur.

Iis tamen adeo severæ disciplinæ regulis, neque *Titulatos* teneri statutum est, neque *Capellanos Curatos*, qui cum in Ecclesiis Parochialibus Monialium curam animarum ad nutum amovibiles exerceant, Titulatis honoris causa comparantur, non tamen Plebanis, quibus demandatum munus irrevocabiliter, donec e vivis excedant, perseverat. Hoc autem in quacunque Congregatione Plebanis peculiare erat, ut in quocunque essent gradu, dum ad Parochiale onus assumerentur, in primo ordine confestim ob acceptam dignitatem collocarentur, quinimo Congregationes S. Canciani, & S. Hermagoræ hoc præ cæteris in Parochialis officii obsequium statuerant, ut si quis ex Plebanorum numero in ipsorum album admitti exoraret, omnibus pro Congregationis decore præhaberetur eligendus.

Eodem

Eodem privilegio ad prædictos gradus concurrendi gaudere posse ii, *qui in Ecclesiis Torcellanæ Diœcesis vel Plebani, vel Titulati, vel de ipsarum gremio existere reperti fuerint*, decreverunt statuta Congregationum S. Canciani, S. Lucæ & S. Silvestri, hac tamen lege sancita, ut quicunque ex Torcellana Diœcesi in Venetæ Congregationis gremio reciperetur, cuicunque exemptioni alienæ Diœcesis jurejurando interposito renuntiarent, quod & pro Canonicis aliisque Sacerdotibus & Clericis Ducalis Basilicæ, atque eis subjectarum Ecclesiarum firmiter observandum statutum & declaratum fuit. Plebanorum Venetorum privilegium Congregationes S. Canciani, & S. Lucæ etiam Torcellanis Plebanis commune esse statuerunt, a quo tamen non Torcellanos tantum, sed & Venetæ Diœcesis Plebanos rejecit D. Silvestri Congregatio, ex quo validius infertur Synodalem Venetum Clerum a Congregationum Collegio omnino diversum esse, dum in iis diversæ Diœcesis Sacerdotes admittuntur, plurimique excluduntur jus suffragii in Synodo possidentes. Archipresbytero, & Massario proximo succedunt loco Plebani, queis exceptis, reliqui nullo habito cujuscunque tituli seu dignitatis respectu, unico primarum ordine subsequuntur, ut Pleni Collegii judicio sancitum fuit die 13. Julii anno *1629.* atque die 4. Junii anno *1636.* Ut admitteretur in Orationum ordinem, cuicunque ex Clero expostulare fas erat, ii autem ut plurimum antehabebantur, qui per quatuor annos ad Divina officia primo partium integrarum Ordini deservissent; unusquisque enim ex primi ordinis viris suum sibi Clericum assumebat, quo ministro ad Divina mysteria celebranda uteretur, in cujus rei argumentum adhuc in S. Silvestri Congregatione Magister Clericorum existit, cujus electio ad Archipresbyterum spectat.

Statuta ad Congregationum utilitatem spectantia soli Archipresbyteri antiquis temporibus ad suæ placitum voluntatis ferebant; hoc autem cum grave nimium cæteris videretur, ne scandala inde provenirent, laudabili consilio statuerunt Archipresbyteri anno 1405. in Ecclesia congregati, ut statutæ leges per Capitularium suffragia confirmarentur. Cum vero novæ in dies orirentur constitutiones de aliis viris eligendis consultum est, qui Archipresbyteris & Massariis leges disponerent ad optimum Congregationum regimen opportunas. Hoc in Divæ

Mariæ Matris Domini Congregatione primo ſancitum fuit anno 1423. ad cujus exemplum cæteræ Congregationes in ſuis Comitiis ſingulæ ſingulos viros elegerunt, unde Congregationum Collegium prodiit, quod novem Archipresbyteri, novem Maſſarii, tres Sindici majores, & ſex minores, omnes numero ſeptem ſupra viginti conſtituebant; Collegii vero Præſides tres ex Archipresbyteris, tresque Sindici Majores biennio in munere perſeverabant, quibus poſtea anno 1637. die v. Septembris Federicus S. R. E. Cardinalis Cornelio Patriarcha Venetiarum Arbiter & Arbitrator ex Decreto in Collegio Congregationum lato die 31. Julii ejusdem anni ſtatuit, ut tres ærarii quæſtores ex his Congregationibus eligerentur, quarum Archipresbyteri Collegio præſidebant.

Nec tamen ſtatuto Collegio, ipſiusque Collegii Præſidibus deſtinatis ſatis Cleri tranquillitati conſultum eſt; Clerici enim Congregationum ægre Collegii ſententiis acquieſcentes Judices inquiete adibant, qui ſua poſtulata tutarentur.

De tali itaque ſcandalo pro Cleri pace tollendo, dum habito conſeſſu conſulitur die 14. Septemb. anno 1443. omnium in unum congruere ſententiæ, ut D. Laurentius Juſtinianus Epiſcopus Caſtellanus vir non prudentia minus, quam ſanctitate & doctrina conſpicuus, Arbiter & Arbitrator eligeretur, ad cujus judicium appellatione remota ex Confratribus Congregationum unusquisque querelas ſuas deferret (A). Nec Cleri ſpes in irritum ceſſit, ſiquidem optimus Præſul anno 1448. die 26. Septemb. leges tulit prudentia, juſtitia, & diſcretione mirabiles, quibus alias addiderunt Patriarchæ Venetiarum Andreas Bondumerius anno 1460. atque Maphæus Gerardo anno 1470. ut Arbitri & Arbitratores a Collegio Congregationum electi.

Interea Concilium Generale XVII. Baſileæ coactum fuerat anno MCCCCXXXI. ad quod cum novem Plebanos ex Congregationibus ſelectos S. C. deſtinari juſſiſſet, Præſides Collegii, quibus electio demandata fuerat, novem viros doctrina & prudentia præſtantes ſingulos ex ſingulis Congregationibus anno MCCCCXXXIII. elegerunt aſſignato ex Congregationum redditibus congruo, quo alerentur ſtipendio (B). Viri autem ad Synodum deſtinati fuerunt iſti.

Joannes Paſqualis Pleb. S. Agathæ pro Congregatione Sancti Michaelis Archangeli.

Am-

Ambrosius de Vido Plebanus S. Vitalis pro Congregatione S. Mariæ Matris Domini.

Antonius Miletto Plebanus S. Leonis Canon. Castell. pro Congregatione Sanctæ Mariæ Formosæ. Electus postea fuit Episcopus Milevitanus.

Jacobus de Campis Plebanus primo S. Martialis, deinde S. Apollinaris pro Congregatione Sanctorum Hermacoræ, & Fortunati.

Joannes Bellini Plebanus S. Joannis Baptistæ in Bragora pro Congregatione S. Silvestri.

Franciscus Gritti Plebanus S. Pantaleonis, de quo Oper. hujus Tom. II. pag. 359. pro Congregatione S. Lucæ, cujus fuit postea Archipresbyter.

Joannes Penato q. Basilii Notarius, & S. Viti Pleban. Canonicus Castellanus, & Capellanus S. Marci pro Congregatione S. Pauli.

Antonius Pelacano Plebanus Sanctorum Apostolorum pro Congregatione S. Canciani, cujus fuit postea Archipresb.

Joannes Campisano Plebanus S. Juliani Not. & Ducal. Cancellarius pro Congregatione Sanctissimi Salvatoris, cujus erat Archipresbyter.

Post hæc anno MDLIX. die XIII. Septemb. Paulus Papa IV. arbitrarias, quas superius enuntiavimus sententias authoritate Apostolica confirmavit (C), quibus inviolabilis obedientia præstita fuit, donec anno 1558. die 18. Novembris Joannes Trivisano Patriarcha Venetiarum novo Collegii Congregationum Decreto Arbiter & Arbitrator destinatus novam arbitrariam sententiam edidit, quæ hactenus quinquies (quod sciam) typis vulgata fuit.

1581. Ex Officina Dominici Guerræi, & Joann. Baptistæ Fratrum.

1613. Venetiis. Apud Franciscum Rampazettum Impressorem Ducalem.

1629. Ex Typographia Nicolai Misserini.

1642. Ex Typographia Ducali Pinelliana Superiorum permissu.

1723. Ex Typographia supradicta.

Cum vero in Diocesana Synodo Laurentius Priolus Patriarcha Venetiarum, qui paulo post S. R. E. Cardinalis enuntiatus fuit, leges pro Congregationum regimine edidisset, easque

inter alias Synodales constitutiones typis vulgari jussisset, Collegium Congregationum non modo eis acquiescere detrectavit, sed & appellatione interposita judicium Sacræ Congregationis Consilii imploravit, cujus decreto lato die ultima Aprilis anno 1596. sancitum fuit,' ut " *Patriarcha omnes Congregationes Cleri, & eorum Collegium* quando opus erit, visitare possit, & si aliquid compererit fieri contra sacros Ordines, ac
" alias Ecclesiasticas ac Apostolicas Sanctiones potissimum in
" concernentibus mores, & cultum Divinum auctoritate sua
" ordinaria, quomodocumque juxta Tridentini Concilii Decre-
" ta etiam extra visitationem corrigere, & reformare valeat.
" Non tamen se ingerat in iis, quæ peculiaribus ipsarum Con-
" gregationum, & Collegii ordinibus, & constitutionibus le-
" gitime approbatis, vel a Patriarchis pro tempore approban-
" dis statuta leguntur: Sed eorum omnium cognitionem, &
" executionem Archipresbyteris Congregationum, & aliis in
" eisdem Congregationibus interessentibus, nec non Præsiden-
" tibus Collegii ac eidem Collegio, tanquam ad Congrega-
" tiones seu Collegium respective spectantem libere relinquat:
" nisi quatenus ipsi Præsidentes & Archipresbyteri præmoniti
" in præmissis negligentes extiterint. Tunc enim in defectum
" ipsorum possit Patriarcha eorum negligentiam auctoritate or-
" dinaria in hac quoque parte supplere, & opportune provi-
" dere, nec non de omnium piarum dispositionum, & reli-
" ctorum executione, & administratione rationes exigere jux-
" ta Tridentini Consilii Decreta. Causæ autem judiciariæ Ci-
" viles, quas oriri continget inter ipsas Congregationes, aut
" descriptos in eis occasione Congregationum tantum cogno-
" scantur, & deffiniantur in prima instantia per Præsidentes
" Collegii; In secunda vero per Collegium ipsum, & in ter-
" tia per Patriarcham uti Arbitrum juxta solitum; nec aliter,
" nec alio modo.

Inter eas porro sanctiones, quæ per arbitrarias sententias ad optimam Congregationum administrationem prudenter constitutæ fuerunt, ea præcipue provida dignoscitur, quæ controversias inter Congregationum Confratres exortas ad Præsidum judicium rejicit, a quo tamen ad Collegium appellare fas est, interveniente vero Judicum discordia, ea, qualiscumque sit Patriarchæ Venetiarum veluti Arbitri & Arbitratoris inappellabili judicio dirimitur, quod perenni annorum fluxu invio-

inviolate observatum graviſſimo quoque S. C. Decreto die 29. Novemb. anno 1662. confirmatum fuit, religioſo ſane conſilio, tum quia de paupere regno negotium agitur, tum ne frequentes Cleri diſſenſiones cum populi ſcandalo, & offenſione evulgentur. Cum vero ſuperius dictum ſit Epiſcopum, vel Patriarcham Venetiarum veluti Arbitrum & Arbitratorem a Collegio Congregationum electum leges, & ſententias tuliſſe, manifeſto patet Collegium ipſum in ea ſui juris libertate permanere, ut ſi quando res poſtularet, poſſet juſta de cauſa Arbitri & Arbitratoris judicium detrectare, aliumque ſibi judicem conſtituere, quod & actum aliquando fuiſſe ex regeſtis Collegii comprobatur; Anno enim MDCXLVII. cum Collegium Congregationum die II. Aprilis Joannem Franciſcum Maurocenum Patriarcham Venetiarum in Judicem Arbitrum & Arbitratorem ſuſcipere abnuiſſet, die deinde III. Julii ejusdem anni Joannem Quirinum Archiepiſcopum Cretenſem in Judicem Arbitrum & Arbitratorem ſibi delegit. Anno etiam MDCIL. die XXI. Julii Clerus Congregationum in Eccleſia Sancti Caſſiani convocatus ſtatuit, ut (diſſidiis inter Joannem Franciſcum Maurocenum Patriarcham Venetiarum ex una parte, & Collegium Congregationum ex altera exortis) arbitrium judicii Patriarchæ, quem partium ſtudio fortaſſe ſuſpicabantur addictum penitus adimeretur. De ea, ut aſſerebat, injuria ſibi illata conqueſtus eſt apud ſupremum Venetorum Collegium Patriarcha, datisque ſupplicibus libellis, (in quibus Clerum Congregationum diverſum omnino eſſe ab Univerſali Veneto Clero fatetur) Principis religionem obteſtatus eſt, ut Patriarchalem dignitatem adverſus ſeditioſos hominum conatus pro inſita ſibi pietate tutaretur. S. C. itaque Decreto ſtatutum eſt die XXIX. Septemb. Anno MDCIL. ut hinc inde Judices arbitri a Senatu approbandi, eligerentur, quorum judicio exortæ lites in concordiam reducerentur. Bartholomæum Gera Sac. Theol. & J. U. D. Eccleſiæ S. Bartholomæi Vicarium perpetuum Patriarcha Maurocenus elegit, Hieronymum de Marchionibus S. Fuſcæ Plebanum & Ducalis Baſilicæ Canonicum Clerus Congregationum deſtinavit, quos in Judicum munere die IX. Octob. ejusdem anni Senatus confirmavit. Prudenti virorum ſententia ſedatis diſſidiis res ad pacem conciliatæ ſunt die XXIV. Novembris anno MDCL.

Quan-

Quantum huic Congregationum Collegio ex probatissimis viris selecto detulerit in arduis rebus Clerus Synodalis Venetiarum, ex eo manifeste patet, quod anno MDXXIX. die XXVII. Novembris ipse Clerus Universus Civitatis Venetiarum de mandato Altobelli Averoldi Episcopi Polensis Apostolici Legati, accedente consensu Antonii Contareni Patriarchæ Venetiarum in Ecclesia S. Moysis congregatus, in quo interfuerunt ex Plebanis & Titulatis viri numero CLV. *elegerunt & solemniter deputaverunt Consultores & defensores suos, ac etiam in quantum expediat, Sindicos Rev. P. P. Dom. omnes Venerandum Collegium omnium Veneran. Congregationum Venetiarum, totius Cleri præfati, qui nunc sunt, & pro tempore erunt, & illius Præsidentes Venerandos.* (D) Electioni assensum præbuit Collegium ipsum ibidem adstans, cujus opera, & labore jura Cleri universalis ab omni præjuditio constanter vindicata, ipsiusque privilegia aucta, & dilatata fuerunt.

Decemvirale deinde Consilium die XI. Sept. anno MDCCVII. lata lege constituit, ut universi Civitatis Venet. Plebani inter Congregationum Confratres adscriberentur, posteriori tamen decreto die XXVIII. Aprilis anno MDCCL. idem Consilium ea sanctione Capellanos Curatos ad nutum mobiles minime comprehendi, nec Mercenarios Pastoribus æquandos esse declaravit. Atque hæc sunt, quæ de Congregationibus conspicua adeo Cleri Veneti parte ex documentis exhibitis haurire, ac proferre potui, multo plura daturus, si inquirenti sedulo obvenissent.

Comitiis congregandis, (quæ olim variis in locis cogebantur) post varias vicissitudines statuta tandem fuit ex Collegii Decreto domus prope Ecclesiam S. Paterniani posita, cui affixa visitur epigraphe.

D. O. M.

„ R. Cleri Congregationum Collegium Anno MDLXXXIIII.

Archipresbyteros ipsarum Congregationum per Chronologicam seriem dispositos adnectere censui, in quorum nominibus ex immensa documentorum mole eruendis adjutorem indefessum habui Petrum Costadonium J. U. D. atque Venerandi Collegii Congregationum Cancellarium, cujus merito adscribendum est, plurima ipsius Collegii documenta, e tenebris, in quibus latebant, eruisse.

Archi-

Archipresbyteri Congregationis S. Michaelis Archangeli.

1219. 6. Feb. Dominicus Scutarius Pleb. SS. Gervasii & Protasii. Ex Serie Plebanor. ejusd. Ecclesiæ.

1254. 10. Januar. Joannes. Ex Catastico Cleri.

1330. 14. Maii. Marcus Barbadicus Pleb. SS. Gervasii & Protasii. Ex Serie Plebanor. ejusd. Eccl.

1360. Joannes Rizzo Pleb. S. Michaelis Archangeli. Ex Lapide Sepulchrali.

1366. Laurentius a Turri Pleb. S. Michaelis Arch. Ex Lapide Sepulchrali.

1405. Comes. Ex Matricula prima S. Mariæ Matris Domini.

1438. 1. Mart. Hilarius de Gozzadoris Pleb. S. Geminiani Canon. Duc. Ex Arch. Cleri.

1442. Paulus de Benedictis J. U. D. Canon. Duc. Not. Canc. Ducal. Pleb. S. Mariæ Jubenico. Domus ejus Plebanitia ann. 1467. incendio combusta fuit, ex quo Congregationis documenta perierunt. Ex Serie Plebanor. S. Mariæ Jubenico.

1491. Apr. Marcus Marchetti Notar. Presb. primum S. Samuel. mox Pleb. S. Mariæ Novæ, & demum Pleb. S. Samuelis Canon. Castell. Ex Arch. Cleri.

1532. 26. Jul. Marcus Rodino Pleb. S. Fantini. Ob. 1532. 14. August. Ex Arch. Cleri.

1532. 17. Aug. Cæsar Bacconus Vicar. perpetuus S. Barthol. J. U. D. Proton. Apost. Obiit 1545. 15. Mart. Ex Serie Vic. S. Barthol.

1545. 4. Apr. Andreas Fascinius Pleb. S. Samuel. & Canon. Duc. Ob. 1554. 2. Apr. Ex Ser. Pleb. S. Samuelis.

1554. 19. Jun. Aloysius a Turre Pleb. S. Angeli Canon. Castell. qui electus fuit a Collegio Congregationum juxta formam sententiæ Arbitrariæ. Ob. 1556. 30. Jul. Ex Arch. Cleri.

1556. 7. Aug. Thadæus de Stenis, seu de Stellis Titul. S. Mariæ Jubanico. Ex Arch. Congreg.

1558. 19. Apr. Laurentius Bognolo Pleb. S. Mariæ Jubanico Canon. & Vic. Ducal. Ob. 1586. 1. Decemb. Ex Arch. Congregat.

1586. 4. Decemb. Petrus Antonius Aloysius Pleb. S. Geminiani Canon. Duc. Ex Arch. Congregationum.

1594. 26. Aug. Bartholomæus Contarenus jam Presb. tit. S. Angeli, postea Pleb. S. Vitalis. Ex Arch. Congregationum.

1596. 17. Apr. Angelus Boscherius Pleb. S. Eustachii, deinde S. Geminiani J. U. D. Vic. Patr. & Turcel. postea Can. & Vic. Duc. Ob. 11. Jan. 1629. Ex Arch. Eccl.

1630. 22. Januar. Franciscus Presegno J. U. D. Pleb. S. Samuel. Canon. Ducal. & Protonot. Apostol. Ex Congr. Arch.

1643. 30. Sept. Petrus Pomelli Pleb. S. Moysis. Ob. 1669. 12. Decemb.

1669. 26. Dec. Franciscus Pilotti Pleb. S. Angeli Canon. Ducal. Obiit 1688. 20. Octob.

1688. 22. Oct. Jo. Baptista Mondinus Presb. Tit. S. Margharitæ.

1721. 22. Apr. Joannes Donatus Pleb. S. Felicis Canon. Duc. Ob. 1725. 27. Octob.

1725. 30. Octob. Franciscus Riccardi Sac. Th. Doct. Pleb. S. Mariæ Magdalenæ, Conserv. Bullæ Clementinæ. Ob. 1728. 29. Maii.

1728. 31. Maii. Nicolaus Rosea Pleb. S. Cassiani Canon. Duc. Ob. 12. Apr. 1737.

1737. 29. Apr. Andreas Passarinus Pleb. S. Jacobi de Luprio Ob. 1748.

1748. 26. Aug. Joseph Fianellus Pleb. SS. Apostolorum. Obiit 13. Octobris 1748.

1748. 8. Novembris. Gregorius Bianchi Plebanus S. Pantaleonis, Canon. Castell.

Archi-

Archipresbyteri Congregationis S. Mariæ Matris Domini.

1229. 6. Febr. Joannes Bono. Ex Cataſt. Cleri.

1254. 10. Januar. Donatus. Ex Cataſt. Cleri.

1330. 14. Maii. Bartholomæus Pleban. S. Jacobi a Luprio. Ex Cataſt. Cleri.

1350. Victor Gafaro Pleb. S. Mariæ Matris Domini Not. & Can. Duc. Ex Arch. Congr.

1361. 1. Maii. Nicolaus Benedicto Pleb. S. Agathæ, deinde SS. Apoſtolorum. Ex Arch. Congreg.

1403. Marcus Dartico vel de Artico Pleb. S. Simeonis Apoſt. Ex Serie Pleb. ejusdem Eccleſiæ.

1405. 31. Dec. Bartholomæus de Recovratis Can. S. Mar. & Pleb. S. Simon. Ap. Ex Arch. Congr.

1408. Franciſcus de Borzacchis Pleb. S. Mariæ Matris Domini. Ex Serie Pleb. ejusd. Eccl.

1441. 1. Maii. Lucas Valentino Pleb. S. Stephani Conf. Ex Serie Pleb. ejusd. Eccl.

1443. Sept. Petrus Zane Pleb. S. Mariæ de Muriano. Ex Arch. Eccl. Matricis de Muriano.

1448. Andreas de Avanzago Pleb. Sanctæ Margaritæ. Ob. 1462. Ex Ser. Pleb. ejusd Eccl.

1464. 15. Sept. Baſilius Baſſo Pleb. S. Mariæ Matris Domini. Ex Ser. Pleb. ejusd. Eccl.

1472. 5. Jul. Marcus Cattaneo J. U. D. Pleb. SS. Simonis & Judæ, inde Epiſc. Dyrach. Ex Arch. Congr.

1480. Valentinus a Turre Pleb. S. Auguſtini. Ex Ser. Pleb. ejusd. Eccl.

1507. 25. Sept. Chriſtophorus Ricio Not. Canc. & Canon. Duc. primo Presb. S. Agnetis, deinde Pleb. S. Stephani Conf. mox S. Jo. Baptiſtæ in Bragora, & demum Pleb. S. Moyſis ſub cujus regimine anno 1522. fuit conſtructa ſacra Turris. Ob. 16. Apr. 1523. Ex Ser. Pleb.

1527. 26. Febr. Petrus de Peregrinis Pleb. S. Jacobi de Rivoalto. Obiit 6. Aug. 1527. Ex Arch. Congr.

1527. 1. Octob. Blaſius de Leonibus Pleb. S. Jo. Decollati. Ob. 1534. 9. Dec. Ex Arch. Congr.

1534. Angelus Philomati Pleb. S. Mariæ Matris Domini, Canon. Caſtellanus. Ob. 1542. Ex Ser. Pleb. ejusd Eccl.

1542. 17. Maii. Aloyſius Bonſaver Pleb. S. Simeonis Proph. Vic. Ducal. Obiit 1546. 10. Julii. Ex Arch. Congr.

1547. Aloyſius Benalio Pleb. SS. Hermacoræ & Fortunati Can. Duc. Ob. 1550. Ex Ser. Plebanorum.

1550. Sebaſtianus Bonetti Pleb. S. Benedicti Can. Duc. Ob. 6. Nov. 1555. Ex Arch. Congreg.

1555. 29. Nov. Nicolaus Moravius Not. Prothonot. Apoſt. Pleb. S. Pantaleon. Can. & Vic. Ducal. Archipresb. primum Congr. S. Silveſtri, qui audita electione de ſe facta in Archipresbyterum S. Mariæ Matris Domini eadem die Congregationi S. Silveſtri, quam per multos annos rexerat, renuntiavit. Ex Arch. Congreg.

1571. 26. Nov. Joannes Rhenius Vicar. perpetuus S. Barthol. Archipresb. Cong. S. Silveſtri quam ne dimitteret electioni renuntiavit. Ex Arch. Cleri Cong.

1571. 6. Dec. Balthaſar de Martinis Pleb. S. Moyſis. Ob. 28. Maii 1572. Ex Ser Pleb.

1572. 28. Jun. Antonius Stella Pleb. S. Fantini, deinde S. Moyſis electus a Collegio Cleri, eo quod Congregatio non elegerit intra terminum a ſententia arbitraria definitum. Hujusmodi electio die 25. Aug. 1572. incisa remanſit a Joanne Triviſano Patr. Venet. uti Arbitro & Arbitratore. Ex Cong. Arch.

1572. 11. Sept. Franciſcus Blancus Presb. Tit. S. Moyſis. Ex Cong. Archivo.

1584.

1574. 7. Jan. Jo. Baptista Coppo Pleb. S. Mariæ Magdalenæ qui die 16. ejusdem Mensis Plebem renuntiavit. Ob. 30. Aug. 1576. Ex Cong. Arch.

1576. 10. Nov. Bartholomæus Burgius Pleb. S. Pantaleonis. Ob. 7. Feb. 1604. ætat. suæ 96. Ex Ser. Pleb.

1604. 9. Feb. Julius Venturini Pleb. S. Apollinaris. Ob. 1607. 28. Apr. Ex Ser. Pleb.

1607. 30. Apr. Salomon Lando Pleb. S. Nicolai, & Canon. Castell, Obiit 1611. 16. Jan. Ex Cong. Arch.

1611. 18. Jan. Marcus Antonius Gajetanus Pleb. S. Angeli. Ob. 1617. 18. Martii.

1617. 31. Mart. Marsilius de Marsiliis Pleb. S. Simeonis Proph. Ob. 1632. 29. Apr.

1632. 1. Maii. Nicolaus Formentini qui ex Subd. Tit. S. Pauli electus fuit Pleb. S. Augustini.

1651. 26. Maii. Paschalis Danieli J. U. D. Pleb. S. Benedicti Vic. Duc. Ob. 1. Jan. 1675. ann. 84.

1675. 15. Jan. Bernardus Rota J. U. D. ex Diac. Tit. S. Mariæ Formosæ Pleb. S. Juliani Can. Castell. Theol. postea Canon. Duc. Ob. 1678. 9. Sept.

1678. 27. Sept. Joannes Filippi Canon. Duc. Pleb. SS. Apostolorum. Ob. 24. Decemb. 1683.

1684. 24. Jan. Joannes Palazzi J. U. D. Ex Subd. Tit. S. Paterniani Pleb. S. Mariæ Matris Domini Canon. & Vic. Duc. in Gymnasio Patavino Sacror. Canon. Professor. Ob. 20. Aug. 1712.

1712. 29. Aug. Angelus Tassis J. U. D. Proth. Apost. inde Pleb. S. Apollin. Conserv. Bull. Clement. Ob. 1718. 13. Julii.

1718. 15. Jul. Jo. Baptista Rota Pleb. S. Leonis.

1722. 5. August. Antonius Schiatarello Pleban. S. Benedicti. Ob. 23. Januarii 1730.

1730. 25. Januar. Augustinus Tabacchi Capell. Magnæ Scholæ S. Rocchi.

1732. 20. Aug. Jacobus Amigoni Pleb. Sancti Michaelis Arch. Canonic. Ducalis.

Archipresbyteri Congregationis S. Mariæ Formosæ.

1229. 6. Febr. Pancratius Rogo. Ex Catast. Cleri Cong.

1254. 10. Jan. Joannes Longo. Ex Catast. eodem.

1301. 1. Novemb. Benedictus de Lege Pleb. S. Joannis in Oleo. Ex Serie Plebanorum.

1330. 14. Maii. Petrus Pino Pleb. S. Basilii Primic. Castell. Ex Serie Plebanorum.

1405. Antonius Francho Pleb. S. Mariæ Formosæ. Ex Serie Plebanor.

1407. Nicolaus Felza Pleb. S. Marinæ, olim Presb. S. Mariæ Formosæ. Ex Serie Pleban.

1434. 12. Octob. Fridericus de Stephanis Not. & Canc. Duc. primum Presb. S. Silvestri, postea Presb. S. Mariæ Formosæ, postremo Pleb. ejusdem Ecclesiæ S. Mariæ Formosæ. Ex Serie Pleb.

1450. Joannes, sive Joanninus Rizzo Capell. S. Marci, Pleb. S. Sophiæ, & postea S. Angeli, Not. Ex Ser. Plebanorum.

1458. Victor de Rosatis Canc. Duc. Pleb. S. Felicis, postea S. Mariæ Formosæ. Ex Ser. Pleb.

1475. Franciscus Albi Plebanus S. Mariæ Formosæ. Ob. 1480. Ex Cancell. Ducali.

1480. Joseph Moysis Pleb. S. Joann. Chrysostomi anno 1457. qui postea ann. 1480. fuit Pleb. S. Mariæ Form. Ex Serie Pleb. S. Mariæ Formosæ.

1489. Antonius Borgo Pleb. Sanctissimæ Trinitatis Can. Castell. Ex Arch. Cong.

1511. 30. Jun. Michael de Clementibus Pleb. S. Mariæ Formosæ. Ex Serie Pleb.

1524. 18. Maii. Jacobus Grassolanus J. U. D. Pleb. S. Apollinaris Notarius,

tarius, & Ducalis Cancell. Vicar. S. Marci. Ex Serie Pleb.

1534. Angelus Pizzamano Decretorum Doctor Pleb. S. Paterniani. Ex Arch. Cong.

1542. Aloysius Presb. S. Apollinaris. Ex Arch. Cong.

1543. Cosmas Jabba Decretorum Doct. Pleb. S. Joannis in Oleo, Canon. & Vic. S. Marci, de quo Operis hujus Tom. I. pag. 323.

1560. Petrus Premana Pleb. S. Martini Canon. Castellanus.

1570. Bartholomæus Capello Pleb. S. Fuscæ Canon. & Vic. Duc. Ob. 24. Novemb. 1573.

1573. 2. Decemb. Laurentius Boarato Pleb. S. Joannis in Oleo. Ob. 1588.

1588. Fabricius Locatellus Pleb. S. Mariæ Formosæ. Ob. 1590. 5. Dec.

1591. Matthæus de Ferreriis Pleb. S. Juliani Canon. Ducal. Ob. 1605. 18. Julii.

1605. 21. Jul. Joannes Baptista de Arancis Pleb. S. Fuscæ. Obiit 20. Decemb. 1629.

1630. Joannes de Rubeis J. U. D. Prothonotarius Apostolicus Vicarius perpetuus S. Bartholomæi. Ob. 27. Octob. 1640.

1640. 3. Novemb. Bartholomæus a Viduis Pleb. S. Apollinaris Canon. S. Marci. Ob. 1660. 22. Januarii More Ven.

1660. Gaspar Doctor Guzzardi.

1678. 11. Novembris. Joannes Baptista Busolli Pleb. S. Juliani. Obiit 5. Januarii 1688. More Ven.

1688. More Ven. 7. Januar. Petrus de Bertis Pleb. S. Martini, Canon. Ducal. Ob. 26. Junii 1712. Ætatis suæ anno XC.

1712. 26. Jul. Dominicus Bombarda Pleb. S. Simeonis Prophetæ, Can. Duc. Obiit 9. Martii 1718.

1718. 12. Mart. Nicolaus Ceresato Presb. Titulatus S. Agnetis, Canonicus Ducalis.

1721. 8. Aug. Rainerius Eberardi Presbyter Titulatus S. Joannis Chrysostomi J. U. D. Obiit 1726.

1726. 14. Novemb. Bernardus Busolli, Joannis Baptistæ Busolli antecessoris Nepos Presb. Titul. S. Juliani. Obiit 24. Feb. 1727. M. V.

1727. M. V. Jacobus Bonacioli Pleb. S. Pantaleonis. Ob. 20. Octob. 1737.

1737. 26. Octob. Dominicus Amigoni Pleb. S. Samuelis. Obiit 1. Augusti 1738.

1738. 4. August. Hieronymus Moretti Primus Presb. Titulatus Sanctor. Apostolorum.

Archipresbyteri Congregationis SS. Hermacoræ & Fortunati.

1229. 12. Maii. Paschalis Justo Pleb. S. Hieremiæ. Ex Cat. Cleri.

1254. 17. Octob. Petrus Michael. Ex eodem.

1306. 14. Octob. Joannes Justo Pleban. S. Vitalis. Ex eod. Cat.

1340. 18. Octob. Hermolaus Paon Pleb. S. Martialis. Ex Cong. Arch.

1345. Servus Dei Donato Pleb. S. Felicis Not. Ex Serie Pleb.

1375. 4. Jul. Petrus Zonello Pleb. Sancti Martialis. Ex Cong. Arch.

1399. 14. Sept. Donatus Rodulpho Pleb. S. Felicis. Ex eod. Arch.

1431. 18. Nov. Balthassar de Ripa Pleb. SS. Hermacoræ & Fortun. Ex eod. Arch.

1433. 14. Sept. Marcus Alberto Pleb. S. Jo. Decollati. Ex Cong. Arch.

1450. 2. Mart. Franciscus Nigro Pleb. S. Leonis. Ex Cong. Arch.

1474. 10. Feb. Antonius Capella Pleb. SS. Herm. & Fort. Ex Cong. Arch.

1477. 26. Januar. Dominicus de Groppis Pleb. S. Barnabæ, Decretorum Doct. Ducal. Canc. Ex Archivo Congreg.

1508. 26. Jun. Gulielmus de Rubeis Pleb. S. Fuscæ. Ob. 24. Septemb. 1520. Ex Cong. Arch.

1520. 10. Octobris. Joannes Trivisanus Pleb. S. Cassiani, & Canon. Coronen. Ob. 1545. 10. Jul. Ex Cat. Cleri.

1545.

1545. 31. Jul. Jo. Baptista de Electis junior Pleb. S. Apollin. Antecessoris Nepos Canon. & Vic. Duc. Ex Serie Pleb.

1585. 6. Maii. Antonius Catti Pleb. S. Pauli Canon. Duc. Ob. 11. Sept. 1591. Ex Ser. Pleb.

1591. 14. Septemb. Bernardinus Bellinus Pleb. S. Cassiani. Ex Cat. Cleri.

1605. 20. Octob. Jo. Maria Nascimbono Pleb. SS. Herm. & Fort. Ex Serie Plebanorum.

1614. 15. Decembris. Robertus Cusanus primum Pleb. S. Hieremiæ, deinde Vic. S. Bartholomæi.

1615. 31. Octob. Franciscus Zane Presb. Tit S. Apollinaris, deinde Pleb. S. Matthæi Can. Duc. Ob. 1630.

1630. 3. Nov. Vincentius Cattaneus Pleb. S. Cassiani. Ob. 1630. 7. Jan. M. V.

1630. 9. Jan. Virgilius Bergamiuus Pleb. S. Hieremiæ.

1631. 7. Jul. Bartholomæus Tanalea Pleb. S. Paterniani. Ob. 1638. 24. Oct.

1638. 28. Octob. Hieronymus Melchiori Pleb. S. Fuscæ Canon. Duc. Obiit 1663. 12. Novemb.

1663. 15. Nov. Georgius Basilius, olim Pleb. S. Bassi, deinde S. Mariæ Formosæ. Post hunc nemo alius translatus fuit. Ob. 1664. 8. Jan.

1665. 10. Jan. Andreas Nicolino primus Presb. Tit. S. Angeli.

1680. 2. Feb. Morandus Morandi J. U. D. Primus Presb. Tit. S. Bassi Canon. Ducalis.

1698. 10. Maii. Theodorus Tessari Pleb. S. Vitalis Canon. Ducal. Obiit 16. Julii 1718.

1718. 19. Julii. Bartholomæus Petricini J. U. D. Pleb. S. Joannis in Oleo, Canon. Ducalis, Prothonotarius Apostolicus.

Archipresbyteri Congregationis S. Silvestri.

1229. 6. Febr. Marcus Patulus. Ex Cat. Cleri.

1254. 10. Jan. Marcus Urso. Ex Catast. Cleri.

1330. 14. Maii. Laurentius de Medio Pleb. S. Jo. in Oleo, deinde Sancti Thomæ. Ex Arch. Cleri.

1354. 16. Aug. Leonardus Leono Pleb. S. Jo. Bapt. in Bragora Vic. Cast. Ex Arch. Cleri.

1405. Angelus a Gubbio Pleb. S. Silvestri. Ex Arch. Cong. S. Mariæ Matris Domini.

1443. Petrus Nigro Pleb. primum S. Leonis, deinde S. Fuscæ; demum S. Sophiæ. Ex eod. Arch.

1511. 30. Jun. Aloysius Bagato Pleb. S. Silvestri Proth. Apost. Ex Archivo Cleri.

1512. Aug. Daniel Ada Primic. Patr. Ex Cong. Arch.

1530. Laurentius Cattafesta Pleb. S. Jacobi de Luprio. Ob. 1533. 17. Feb. Ex Arch. Cleri.

1533. Nicolaus Moravius Not. Prothon. Apost. Pleb. S. Pantal. Canon. & Vic. Duc. qui an. 1555. 29. Nov. Archipresbyteratui S. Silvestri renuntiavit, assumptus in suum Archipresbyterum a Cong. S. Mariæ Matris Domini. Ex Cong. Arch.

1555. 10. Decemb. Philippus Stridonius Pleb. S. Joann. Decoll. qui anno 1563. die 12. Octob. Archipresbyteratui renunciavit, iturus Liniacum, ut resideret in sua Archipresbyterali Ecclesia S. Martini dicti Oppidi. De eo Augustinus Card. Valerius in vita Card. Naugerii.

1563. Octob. Johannes Rhenius J. U. D. Prothon. Apost. Pleb. S. August. deinde Vic. perpetuus S. Barthol. Ex Cong. Arch.

1563. Jo. Maria de Maronibus Pleban. S. Jacobi de Luprio, & Canon. Duc. Ex eod. Arch.

1577. 7. Maii. Jo. Maria a Ponte Pleb. S. Jacobi de Luprio Canon. Duc. Ob. 12. Apr. 1606. Ex eod. Arch.

1606. 17. April. Silvester Rota Pleb. SS. Ubaldi & Agathæ. Obiit 1612. 2. Maii.

1612. 4. Junii. Paulus Stella Pleb. S. Moy-

Moysis Canonic. Ducalis. Obiit 4. Februarii 1629.

1629. 26. Feb. Antonius Auranus Pleb. S. Moysis primum Patr. deinde Duc. Canon. Obiit 21. Dec. 1641.

1641. 23. Dec. Julius Peccinus Pleb. S. Cassiani & Canon. Duc. Ob. 1656. die 3. Octob.

1656. 5. Octobris. Valentinus Visinonus Presb. Ecclesiæ S. Bartholomæi. Obiit 1660. Octob.

1660. 19. Octob. Joannes Ciottus S. Jo. in Bragora Presb. Titul. Canon. Duc. Ob. 7. Feb. 1667.

1667. 16. Febr. Bartholomæus Veraldi Pleb. S. Mariæ Formosæ, cujus electio appellata ab Aloysio Gritti S. Raphaelis Pleb. in contradictorio judicio a Reverendissimis Cleri Præsidentibus & Collegio primum confirmata, deinde a Patriarcha Venet. Arbitro, & Arbitratore incisa fuit, causa purgandi errorem repertum in urna votorum juxta formam Matriculæ & sententiæ Arbitrariæ. Ex Cong. Arch.

1667. 29. Feb. Aloysius Gritti Pleban. S. Raphaelis Arch. Ob. 1670. Nov.

1670. 8. Nov. Paulus Brini Pleb. S. Moysis. Ob. 17. Maii 1690.

1690. 16. Maii. Andreas Tremignonus Pleb. S. Moysis. Ob. 3. Junii 1720.

1720. 5. Jun. Joannes Antonius Zampironi Pleb. S. Juliani Sac. Th. Doct. Canon. & Vic. Duc. Ob. 1740.

1740. 16. Mart. Bartholomæus Novelli Subd. Tit. S. Michaelis Archang.

Archipresbyteri Congregationis S. Lucæ.

1229. 6. Feb. Nicolaus Girardo Pleb. S. Moysis Canc. Duc. rogavit Testamentum Petri Ziani Ducis Venet. Ex Cat. Cleri.

1233. Nov. Henricus Taleapetra Pleb. S. Margaritæ. Ex Cat. Cleri.

1310. Jacobus Bertholdus. De quo Operis hujus Tom. II. pag. 363.

1330. 14. Maii. Nicolaus Redulpho Pleb. S. Samuelis. Ex Cong. Arch.

1368. Nicolaus Fusculo Presb. S. Bartholomæi Can. Duc. Pleb. S. Thomæ. Ex Serie Pleb.

1403. Josephus Rizzo Canon. Duc. Ex Cong. Arch.

1405. Andreas de Violantis de Tuderto Pleb. S. Juliani. Ex Arch. Cong.

1427. Franciscus Gritti Not. & Ducalis Canc. Vic. Duc. Pleb. Sanctissimæ Trinitatis, deinde S. Pantaleonis, & demum Archiepiscopus Corcyrensis. Interfuit Consilio Basileensi pro dicta Cong. Ob. 4. Aug. 1458. Ex Serie Pleb.

1463. Joannes Ceto Pleb. S. Cassiani. Ex Serie Pleb.

1475. Marcus Mazza primum Pleb. Sancti Steph. de Mur. deinde S. Pantaleonis, Canon. Duc. Ex Arch. Cong.

1498. Antonius de Faustinis Pleb. S. Bassi. Ex Arch. Cleri.

1504. Aloysius Sabbadin Canon. Patriar. Ex eod. Arch.

1527. Sebastianus Boccia Pleb. S. Pantaleonis Canon. Duc. Ex eod. Arch.

1546. Hieronymus Corso Can. Primicer. Castell. Ex Cong. Arch.

1556. Gaspar Solio Pleb. S. Fantini Can. Patr. Ex Cong. Arch.

1560. Michael de Petris Presb. Sancti Raphael. Archang. Ex Arch. Cong.

1564. Jacobus Marini primum Capell. Curat. S. Gregorii, deinde Pleb. S. Euphemiæ a Judaica. Ex Cong. Arch.

1576. 17. Jul. Andreas de Olivis Pleb. S. Jo. in Bragora. Ex eod. Arch.

1586. 22. Nov. Vincentius Ravagnanus Pleb. Sanctorum Apostolor. Can. Duc. Ex Cong. Arch.

1589. 17. Apr. Pompejus Tajapetra Pleb. S. Fel. Canon. Castell. qui dissentientibus inter se Congregat. Presbyteris electus fuit a Sacro Collegio Congregationum. Ob. 13. Sept. 1615.

1615. 16. Sept. Cæsar Turrana Pleban. S. Marinæ, & Canon. Duc.

1628. 28. Nov. Joann. Baptista Nichetta Pleb.

Pleb. S. Mariæ Jubanico. Obiit 5. Dec. 1641.

1641. 1. Jan. Jo. Baptista Fabris Sac. Th. Doct. Pleb. S. Lucæ, post plures annos Archipresbyteratui renuntiavit. Ob. ætat. 86.

1648. Jo. Maria Spadonus Plebanus S. Joann. Chrysostomi Canonicus Ducalis. Ob. 1653.

1653. 28. Jun. Jo. Baptista de Bustis Pleb. S. Marinæ.

1661. 29. Maii. Joannes Cedroni primus Presbyter Sancti Fantini, deinde Pleban. ejusdem Eccl. Ob. 3. Maii 1686.

1686. 14. Maii. Jo. Antonius Zampelli Pleb. S. Pantal. Proth. Apost. Vic. Duc. Ob. 28. Martii 1720.

1720. Apr. Stephanus Stephanini J. U. D. Prothon. Apost. Tertius Presb. S. Moysis, deinde Pleb. Can. Castell. Ob. 9. Julii 1728.

1728. 12. Jul. Jo. Baptista Sorari J. U. D. Diac. Tit. S. Bartholomæi.

1746. 16. Feb. Simon Josephus Grassetti J. U. D. Pleb. S. Moysis.

Archipresbyteri Congregationis S. Pauli.

1229. 6. Feb. Bartholomæus. Ex Cat. Cleri.

1403. Antonius Catapanus Pleb. S. Thomæ. Ex serie Pleb.

1405. Victor Ferro. Ex Matr. S. Mariæ Matris Domini.

1430. Victor de Bonfantinis Pleb. S. Leonis, Canon. & Vic. Duc. Ex serie Plebanorum.

1472. Gregorius Polo. Ex Matr. S. Mariæ Formosæ.

1496. Amadeus dal Corno Pleb. S. Margaritæ. Ex Arch. Cong.

1504. Petrus Florianus Pleb. S. Joann. in Oleo, deinde Sanctorum Apostol. Ex serie Pleb.

1529. Nicolaus Renius primum Pleb. S. Mauritii, postea S. Juliani J. U. D. Can. Duc. Ob. 1541. 29. Sept. Ex serie Pleb.

1541. Aloysius Brioni Canon. Duc. Ex Cong. Arch.

1555. Petrus Spatarius Pleb. S. Pauli. Ex serie Pleb.

1556. Franciscus Antonellus Pleb. S. Pauli. Ex serie Pleb.

1575. Hieronymus Zucconianus Pleb. S. Margaritæ. Ob. 1584. 14. Febr. M. V. Ex Cong. Arch.

1584. Joseph de Vitalis Archid. Patr. Ex eodem Arch.

1591. Dominicus de Leonardis Pleb. Sanctorum Gervasii, & Protasii Can. primum Castell. deinde Duc. Sub hoc Antistite Eccl. diruta an. 1583. restituta fuit an. 1593. 29. Dec.

1593. Bartholomæus de Peregrinis Pleb. S. Pauli.

1609. Franciscus de Michaelibus Canon. Castell.

1618. Augustus Toaldi Presb. S. Joann. Decollati.

1631. Nicolaus de Georgiis Pleb. S. Antonini Canon. Castell. inde Lesinæ Episcopus.

1635. Joannes Pomelli Diac. Tit. S. Moysis, postea Pleb. S. Fantini, & Can. Duc. Ob. 1676. 18. Martii.

1676. Joseph. Stuppa Pleb. S. Basilii Can. Ducalis.

1693. Jacobus Panighetti Pleb. S. Mariæ Jubanico Canon. Duc. Prothonot. Apost. Ob. 1709. 26. Junii.

1709. Angelus Businello Pleb. S. Juliani Canon. Duc. Ob. 1709. 17. Octob.

1709. Petrus Gobbati Plebanus Sancti Thomæ.

1723. Joannes Panzetta Capell. S. Proculi electus fuit a Collegio Congr. qui die 29. Aug. in Eccl. Monialium S. Zachariæ præstito prius juramento de servandis constitutionibus Congregationis ac sententiæ Arbitrariæ inductus fuit in possessionem Archipresbyteratus supradicti, assistentibus hinc inde toto Reverendissimo Collegio in Cornu Evangelii, ac Congreg. supradicta in Cornu Epist.

1738. Bartholomæus Battoi Presbyter Tit. Sanctæ Agnetis. Obiit 1744. Julii.

1744.

1744. Joseph Antoniali Capell. S. Crucis Venetiarum. Obiit 23. Octobris 1746.

1746. 19. Octob. Pax Maria Carnius Vic. Perpetuus S. Bartholomæi Can. Castellan.

Archipresbyteri Congregationis SS. Canciani, & Soc.

1254. 10. Jan. Joannes. Ex Cat. Cleri.

1330. 14. Maii. Nicolaus Pleb. S. Sophiæ. Ex Cat. Cleri.

1349. Nicolaus Bettino Pleb. Sanctorum Apostol. Not. Ex serie Pleb.

1405. Marcus Dandulo Pleb. S. Canciani. Ex serie Pleb.

1431. Antonius Pelacano Pleb. Sanctorum Apost. Legatus ad Concilium Basileæ pro dicta Cong. Ex serie Pleban.

1443. Marcus Tajapetra Pleb. S. Joann. Chrysost. Not. & Judex super decimis exigendis. Ex serie Pleb.

1448. Benedictus a Crucibus Not. & Duc. Canc. primum Pleb. S. Hieremiæ, deinde S. Mariæ Formosæ. Ex serie Pleb.

1467. Thomas de Thomeis Not. & Duc. Canc. & Vic. Pleb. S. Sophiæ, ex Fratre Cong. S. Mariæ Formosæ assumptus fuit in Archipresbyterum S. Canciani. Ex Matr. Sanctæ Mariæ Matris Domini.

1507. 27. Sept. Ludovicus Talenti Zachariæ filius Not. & Canon. Duc. Pleb. S. Jo. Chrysostomi. Ex serie Plebanorum.

1527. 26. Feb. Dominicus Testa Pleb. S. Martialis Canon. Castell. Proth. Apost. Obiit 17. Apr. 1543. Ex serie Pleb.

1543. Vincentius de Bartholomæis Pleb. S. Jo. Chrysostomi Can. Castell. Ob. 1558. 7. Feb. M. V. morte subitanea. Ex Arch. Cleri.

1561. 2. Octob. Thomas Blanchus Canon. Duc. & Pleb. S. Sophiæ. Ob. 1571. ætat. 84. Ex eod. Arch.

1571. 7. Aug. Nicolaus Stella Pleb. S. Antonini. Ob. 1576. 29. Aug.

1576. Jacobus de Stephanis Pleb. S. Jo. Chrysostomi. Ob. 1579.

1579. Mart. Dominicus Vegla Archipr. Castell. electus fuit a Patriarcha Venet. Congregatio enim pro hac vice tantummodo proprium jus remiserat in Præsulem. Notandum tamen est ipsum Patriarcham flagitasse consensum aliorum Archipresbyterorum. Ita in libro expensarum num. 1. pag. 176. *Adi 22. Fevrer 1578. Spesi in barca per andar a Castello a riferir a Monsignor R.mo che Sua Signoria R.ma facesse lui elezion de Arciprete che nui no podevimo far.* Hinc sequitur. *Adi 31. Marzo 1579. Per haver dà a P. Nicolò Nonzio del R.mo Patriarca per aver operà, ad invidar li Arcipreti per far il nostro* Arciprete L. 2. Ex Arch. Cleri.

1587. 9. Jul. Aloysius a Turre Pleb. S. Sophiæ. Ob. 1607. 20. Maii.

1607. 22. Jun. Paulus Nigro Pleb. S. Hieremiæ & Canon. Castell. in cujus electione tam ante, quam post plurimæ exortæ fuerunt causæ dissidii ac litium: unde die 26. Nov. 1608. pro pace, & concordia Congregationis posita fuit Pars quod electio Archipresbyteri facta in personam Adm. R. D. Pauli Nigri Pleb. S. Hieremiæ in Capitulo celebrato sub die 22. Jul. 1607. confirmetur, & approbetur. Quæ Pars capta est omnibus votis. Ob. 1609. 17. Octob.

1609. 19. Octob. Jacobus a Valle J. U. D. Pleb. S. Joannis Chrysostomi Can. Duc. Ob. 1617. 2. Junii.

1617. 7. Jun. Franciscus Mazza Pleb. S. Jacobi de Luprio. Obiit 1618. 11. Feb. M. V.

1618. 12. Feb. M. V. Hieronymus Marcello Pleb. Sanctorum Hermac. & Fort. Ob. 1631. 15. Julii.

1631. 20. Julii. Sebastianus de Rinaldis Pleb. S. Canciani primum Canon. Patr. deinde Duc. Obiit 1650. 9. Februarii.

1649. 20. Feb. M. V. Sebastianus Nave

Pleb.

Pleb. Sanctorum Simeonis & Judæ. Ob. 1658. 15. Octob.

1658. 19. Octob. Andreas Sala Pleb. Sanctorum Apost. Canon. Castell.

1661. 3. Octobris. Baltassar Bernardello Pleb. Sanctorum Herm. & Fort. Ob. 15. Martii 1664.

1664. 17. Mart. Melchior Bampus J. U. D. Pleb. S. Mariæ Magdalenæ. Obiit Dec. 1677.

1677. 30. Dec. Jo. Maria Gratarolus Pleb. S. Cantiani Can. Duc. Prothonot. Apost. Ob. 2. Nov. 1686.

1686. 23. Nov. Isidorus Barbini primus Presb. S. Mariæ Magdalenæ. Obiit 1693. 14. Aug.

1693. 16. Aug. Antonius de Michaelibus Pleb. S. Apollinaris Canon. Duc. Ob. 1709. 15. Dec.

1709. 17. Dec. Hercules Febo Pleb. Sanctorum Simonis & Judæ. Ob. 23. Octob. 1711.

1711. 25. Octob. Archangelus Mina primus Presb. S. Pauli. Ob. 15. Augusti 1726.

1726. 17. Aug. Nicolaus Palmarino Pleb. S. Matthæi Canon. Duc. Ob. 1731. 1. Aug.

1731. 4. Aug. Laurentius Lazari J. U. D. Pleb. S. Pauli Canon. Duc. Ob. 4. Decemb. 1731.

1731. 7. Dec. Franciscus Golia primus Presb. S. Canciani. Obiit 1733. 22. Maii.

1733. 24. Maii. Joann. Maria Legnaghi Pleb. S. Jo Decollati. Ob. 1744. 23. Martii.

1744. 26. Martii. Petrus Mensi primus Presb. S. Apollinaris. Ob. 1747. 13. Maii.

1747. 19. Maii. Antonius Basilisco Plebanus Sancti Leonardi Canonicus Duc.

Archipresbyteri Congregationis Sanctissimi Salvatoris.

1432. 14. Octobris. Joannes Campisano Pleb. S. Juliani Not. & Duc. Canc. Vic. Blasii de Molino Patr. Grad. deputatus a Congreg. ad Concilium Basileense. Ex serie Pleb.

1438. Michael Trivisanus Vic. S. Bartholomæi. Ex Arch. Cong.

1464. 19. Mart. Joannes de Christophoro Ex eod. Arch.

1464. 4. Nov. Gasparinus Dardo Pleb. S. Paterniani Delegatus Apostolicus ab Innocentio VIII. una cum Episcopo Spalatensi pro recuperandis bonis Ecclesiæ Sancti Silvestri. Ex Arch. Cong.

1491. Aprilis. Ludovicus Sperono Pleb. S. Crucis. Ex eod. Arch.

1496. 7. Nov. Natalis Colonna Pleb. S. Leonis, prius Frater Cong. Sanctæ Mariæ Formosæ. Ex eod. Arch.

1502. 9. Nov. Isidorus Bagnoli Pleb. Sanctorum Apostolor. Canon. Duc. Ex Arch. Cong.

1524. Natalis Regia Proth. Apost. Pleb. S. Jac. de Rivoal. Canon. Castell. Ex eod. Arch.

1532. 6. Junii. Marcus Stella Canonicus Ducalis. Ex Congregationum Arch.

1541. 27. Octob. Marcus Bettega J. U. D. Pleb. S. Bassi, deinde S. Leonis Canon. Duc. & Vic. Patr. Ob. 1579. Ex eod. Arch.

1579. Franciscus Lauranus Primicerius Castell. post plures annos Archipresbyteratui renuntiavit.

1613. 19. Apr. Augustinus Arrigoni Pleb. S. Fantini. Ob. 1628. Decemb.

1628. Jan. M. V. Joannes Monferrà Pleb. S. Lucæ electus a Collegio Cong. Ob. 1630. 2. Dec.

1630. 3. Decemb. Jacobus de Corderiis Pleb. S. Eustachii, Canon. Patr. electus fuit in Ecclesia S Ubaldi tempore Pestis. Ob. 1654. 20. Aug.

1654. 25. Aug. Franciscus Foresti Presb. Tit. S. Moysis Capell. Cur. S. Proculi. Ob. 1661.

1661. 2. Sept. Melchior Presb. S. Thomæ. Ob. 1661.

1661. 2. Octob. Justinianus Martinionus Presb. Tit. SS. Apostolorum; edidit additiones ad librum Sansovini cui titulus *Venetia*. Ob. 1681.

1681.

1681. 28. Maii. Paschalis Casolinus Presb. Tit. S. Moysi.

1681. 30. Aug. Angelus Cavalerius Presb. Tit. Sanctæ Mariæ Matris Domini. Obiit 1691.

1691. 10. Maii. Petrus Cariolatus Pleb. S. Lucæ, Canon. S. Marci. Ob. 2. Martii 1727.

1727. 10. Mart. Antonius Maria Manzoni J. U. D. Proth. Apost. Pleb. S. Geminiani Canon. Ducal. Ob. 1747. 9. Jan. M. V.

1747. 15. Januarii M. V. Bartholomæus Trivisanus J. U. D. Pleb. Sanctorum Hermagoræ, & Fortunati Canon. Patriarchalis.



Collegium Venetum Congregationum eligit in Judicem arbitrum, & arbitratorem Divum Laurentium Justinianum Episcopum Castellanum.

A 1443. 14. Septembris.

Ex Catastico Cleri Veneti Congregationum.

IN Chisti nomine Amen. Rex pacificus pia miseratione disposuit sibi subditos fore pudicos & modestos, sed efformata cupido sui prodiga pacis emula, mater litium, ac materia jurgiorum tot quotidie nova litigia generat; ut nisi vi reprimerentur extra mundi limites exularet. Ideoque lex traditur, ut appetitus noxius sub juris regula limitetur, per quam genus humanum recte vivat & honeste, alterum non ledat, jus suum unicuique tribuat & informet. Unde infrascripti Venerabiles Viri hæc prædicta attendentes. In Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio Ind. undecima die quartodecimo Mensis Septembris. Venerabiles & circumspecti Viri Dom. Presbyteri Federicus de Stephanis Plebanus S. Mariæ Formosæ & Archipresbyter Congregationis S. Mariæ prædictæ, Petrus Zane Plebanus S. Mariæ de Murano, & Archipresbyter Congregationis S. Mariæ Matris Domini. Hilarius de Guazadoris Plebanus S. Jeminiani & Archipresbyter Cong. S. Angeli. Petrus Nigro Pleb. S. Sophiæ, & Archipresbyter Cong. S. Silvestri. Marcus Tajapetra Pleb. S. Joannis Chrisostomi, & Archip. Cong. S. Canciani. Ambrosius Pleb. S. Margaritæ, & Archip. Cong. S. Pauli. Marcus Alberto Pleb. S. Joannis Decolati & Archip. Cong. S. Hermacoræ. Franciscus Gritti Pleb. S. Pantaleonis & Archip. Cong. S. Lucæ. Ac etiam Venerabiles & prudentes Presbyteri Deodatus de Manis, & Andreas Benedicto procuratores in solidum Cong. S. Angeli, ut apparet per publicum Instrumentum scriptum manu s. Benedicti Desmeniliis publici imperiali auctoritate Notarii in MCCCCXXXII. Indict. x. die xxiii. mensis Feb. In Ecclesia S. Angeli Michaelis, & Andreas de Avanzago Pleb. S. Eufemiæ de la Judaica, & Ambrosius Viti Pleb. S. Vitalis Sindici procuratores in solidum Cong. S. Mariæ Matris Domini; Ut apparet publico Istrumento stipulato manu s. Gasparini Merlo publici Imperiali auctoritate Notarii in MCCCCXXXII. Indict. x. die xvi. Mensis Augusti. Et Joannes Belino Pleb. S. Joannis in Bragora, ac Nicolaus Venerio Pleb. S. Augustini Sindici Procuratores Cong. S. Silvestri in solidum; ut apparet publico Instrumento scripto manu s. Antonii de Teramo publici auctor. Not. in MCCCCXXXII. Indictione x. die xxiii. mensis Sept. Et Blasius de Lupis Plebanus S. Silvestri, ac Laurentius Catapan Pleb. Sanctæ Marinæ Sindici Procuratores insolidum Cong. S. Canciani; ut apparet publico Instrumento stipulato manu Basilii Basso publici imperiali auctoritate No-

No-

Notarii in MCCCCXXXII. Indictione x. die x. mensis Septemb. ac Leonardus Pleb. S. Pauli ac Pleb. S. Thomæ Sindici & Procuratores in solidum Cong. S. Pauli, ut apparet publico instrumento stipulato manu Simonis Phici publici imperiali auct. Not. in MCCCCXXXII. Indictione x. die VII. mensis Decemb. Et Marcus Placentino Pleb. S. Apollinaris, ac Dom. Gaspar de Monte Zubiano Sindici & procuratores insolidum Congreg. S. Mariæ Formosæ, ut apparet publico instrumento stipulato manu Lucæ Angeli Marino S. Mauritii Venetiarum Notarii in MCCCCXXXII. mense Feb. die XIX. Indictione XI. Rivoalti. Et Presb. Dominicus de Fava Pleb. S. Mariæ Magdalenæ, ac Preb. Benedictus a Crucibus Pleb. S. Jeremiæ Sindici, & procuratores insolidum Cong. SS. Hermacoræ & Fortunati, ut apparet publico Instrumento stipulato manu f. Joannis de Buosis publici imperiali auctoritate in MCCCCXXXII. Indictione x. die XVI. mensis Septemb. Et Presb. Dominicus S. Gervasii, & Presb. Jacobus S. Pantaleonis Sindici & procuratores insolidum Cong. S. Lucæ, ut adparet publico instrumento scripto manu Nicolai Pini publici Imperiali auctoritate Notarii in MCCCCXXXIII. Indictione XI. mense Augusti die ultimo, & Dom. Presb. Andreas de Avanzago Pleb. S. Eufemiæ de la Judaica, & Presb. Ambrosius Viti Pleb. S. Vitalis confirmati insolidum sindici & procuratores Cong. S. Mariæ Matris Domini, ut apparet publico Instrumento stipulato manu f. Bartholomei de Verisellis publici imperiali auct. Not. in MCCCCXXXII. Indictione x. die XXIII. mensis Nov. Et Dom. Joannes Campisano Pleb. S. Juliani & Archip. Cong. S. Salvatoris ac procurator & Sindicus unicus Cong. ut apparet publico Instrumento stipulato manu Angeli de Gronda Not. publici sub anno Domini MCCCCXXXIII. Indictione XI. die XIIII. Octob. a me Notario infrascripto visis & lectis. Omnes unanimiter & concorditer per se, & suos successores sponte scienter libere ac non per errorem, imo omni modo via, jure, causa & forma, quibus magis, atque melius possunt & potuerunt, se posuerunt & compromiserunt in Rev. in Christo Patrem & Dom. D. Laurentium Justignano Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum Venet. presentem, & hoc onus in se sponte acceptantem, tanquam in amicum arbitrum & arbitratorem, ac amicabilem compositorem, laudatorem, & diffinitorem de omnibus statutis, legibus, ordinationibus, litibus, differentiis, discordiis & dissentionibus, quæ sunt & essent inter dictas Cong. qualibet ratione vel causa. Dantes dicti Archip. & Sindici ac Procuratores dictarum Congr. dicto D. Episcopo arbitro & arbitratori plenam libertatem virtutem & potestatem valendi libere dicere, arbitrari, sententiare terminare & definire, audire & amicabiliter pronunciare super predictis statutis & ordinationibus litibus, & defferentiis dictarum Cong. tam de jure, quam de facto ipsis Congregationibus & qualibet ipsarum citata & non citata, & juribus ipsarum auditis & non auditis, quacunque hora & loco die feriato & non feriato, directe vel indirecte, & penam & penas imponere, & unam & plures sententias proferre. Nec non procedere per omnem alium modum, qui sibi videbitur & placuerit tam de jure, quam de facto. Ex nunc laudantes dicti Dom. Presbyteri ac ipsi Procuratores & sindici dictarum Cong. quidquid continebitur in quacunque sententia ferenda a dicto Dom. Episcopo arbitro & arbitratore. Et promittentes per se & suos successores stare & parere omni sue sententie, & ab ea non reclamare & non contradicere per se vel alium, seu alios aliqua ratione & causa, de jure vel de facto sub pena duc. 300. auri accipiendorum de propriis bonis illorum, qui contradicent vel contrafacient, & dividendorum inter alias Cong. quæ paruerint sententiæ ferendæ per ipsum Dom. Episcopum sibi invicem solemni stipulatione præmissa cum refectione omnium & singulorum damnorum expensarum & interesse litis &c. Et de pena soluta vel non, damnis, expensis refectis & non, præsens compromissum nihilominus sua firmitate persistat. Obligantes dicti Archi-

chipresb. & dicti Syndici & procuratores dictarum Congregationum pro prædictorum omnium observatione se & suos successores, res, & bona quæcunque mobilia & immobilia presentia & futura, & renuntiantes in prædictis omnibus & singulis exceptioni contractui non sic factorum doli mali conditioni indebiti, & sine causa in factum actioni, & omni alio auxilio dictis Congregationibus competenti & cuilibet competituro, ac legi dicenti generalem renuntiationem non valere &c.

Actum Venetiis in Episcopali Palatio Castellano presentibus Venerabilibus Viris Dominis Leonardo de Valle Archidiacono Castell. & Dom. Juliano Canonico S. Georgii de Alega testibus ad suprascripta habitis vocatis & rogatis, & aliis.

Plebanis ad Consilium Basileense processuris assignantur a Collegio Congregationum Salaria.

B 1433. 23. Januarii.

Ex Catastico Cleri Veneti Congregationum.

1433. die 23. Januarii.

In Sacrario Sancti Bartholomæi. Capta fuit in Collegio.

VAdit Pars, quod auctoritate hujus Collegii committatur uni vel pluribus hujus Collegii, ut possint libere quærere & tractare de recuperando tantam summam denariorum quanta erit ad sufficientiam mittendi unum Plebanum ex singulis Congregationibus nostris juxta mandatum nobis factum per nostrum Excelsum Dominium, & detur vigore hujus partis libertas præfatis electis, ut si dictam pecuniam ad hoc necessariam non poterint reperire ad discretionem vel mutuo vel alio quovis modo quo possint vendere de imprestitis dictarum Cong. tot quot sufficerent ad expeditionem ipsorum transmittendorum cum honore nostri Excelsi Dominii, & statu SS. D. nostri Pape cum uno famulo pro quolibet & dentur cuilibet cum suo famulo duc. decem in mense, & ad rationem mensis a die recessus sui usque ad adventum suum, & pro suis expensis pro tribus mensibus duc. centum auri, & ab illo tempore in antea duc. unus pro singulo die usquequo stabunt in servitio prædicto. Et presfacti Plebani non possint inde recedere absque licentia Oratorum nostri profati Dominii, & gaudeant illis privilegiis, quibus gaudent Residentes & ex nunc elegerunt D. Plebanum de Judaica, Presbyterum Laurentium Catapan S. Marinæ, nec non Plebanum Sancti Appollinaris ad prefatam pecuniam recuperandam. Declarando, quod elapso termino trium mensium dicti Plebani habeant duc. unum pro die, & suum salarium prælibatum ad rationem prædictam pro singulo mense pro toto tempore, quo steterint usque ad reversionem suam in Venetiis. Quæ pars capta fuit per omnes de Collegio, excepta una ballotta.

1434. *die* 28. *Mensis Maii*.

Cum de mense Januarii nuper elapso capta fuerit pars, quod darentur duc. triginta aurei unicuique novem Pleban. qui ad Concilium accedere debeant, & ultra hoc duc. decem aurei in mense cuilibet ipsorum pro eorum salario, & cum data fuerit dicta provisio ipsis pro mensibus tribus, & considerata facultate tenui Cong. prædictarum, & transactus sit terminus ipsorum trium mensium, ex quo necesse sit circa istud providere; aliter Cong. prædictæ de brevi cederent ad desolationem.

Vadit Pars, quod pars provisionis supra-

præscripta sit in omnibus & per omnia revocata ita, & taliter, quod a modo in antea nullius sit efficatiæ vel vigoris; & capta fuit per omnes.

Die prædicto.

Vadit Pars quod detur unicuique Plebanorum ad Consilium ad presens se reperientium duc. decem auri solummodo tam pro eorum expensis, quam salarii &c.

Et capta fuit &c.

Paulus Papa IV. Sanctiones & sententias a Patriarchis Venetiar. arbitris & arbitratoribus electis pro Coll. Veneto Congregationum statutas Apostolica auctoritate confimat.

C

1558. 11. Septembris.

Ex Autographo in Archivo Cleri Congregationum.

PAulus Papa IV. Ad perpetuam rei memoriam. Ex solita Sedis Apostolicæ providentia ad ea, per quæ singularum præsentium ecclesiasticarum personarum paci & quieti opportune consulatur, libenter intendimus, & iis quæ pro pace hujusmodi, & concordia inter easdem personas semotis dissidiis firmanda, & solidanda Prælatorum Ecclesiast. arbitrio ordinata fuisse dicuntur, ut firma perpetuo, & illibata maneant, libenter, dum a nobis petitur Apostolici muniminis præsidium, propensius impartimur; Hinc pro parte dilectorum filiorum modernorum Præsidentium Collegii Novem Cong. Clericorum Civitatis Venetiarum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod retroactis temporibus cum in dicta Civitate novem Congregationes Clericorum sub titulo, & denominationibus suis, quarum singulæ singulos sibi constituebant, prout constituunt Archip. perpetuos, ex quibus tres, qui supramassarii omnium ipsarum Cong. ac ex aliis Clericis prefactis alii tres, qui Syndici Majores nuncupabantur, prout nuncupantur de biennio in biennium creabantur, prout creantur, & ex istis sex, qui Præsidentes Collegii Cong. hujusmodi vocabantur & vocantur, nec non ex novem Archip. & Syndicis Majoribus, & Massariis, & Syndicis Minoribus omnium dictarum Cong. omnibus ad numerum viginti septem ascendentibus Collegium hujusmodi erectum, institutum & ordinatum existeret, prout de presenti existit, & Collegium ipsum ex antiquissima consuetudine, quæ vigebat & viget, a primordio fere Civitatis prædictæ tutaretur & defenderet prout tutatur & defendit jura & bona omnium Congr. predictarum ac dicta Civitate, & in ea Clericorum numero dante Dom. auctis de anno Domini 1423. vel circa multæ discordiæ dissentiones & controversiæ inter Clericos Congregationum & formam Congregationis hujusmodi exortæ fuissent, & orirentur, & propterea Congregationes sive illarum Clerici prefati, ut sedatis animis gratias Omnipotenti Deo debitas offerre possent & dimissis jurgiis liberius divino cultui vacarent, laboribusque procurent Collegio hujusmodi discordiis, dissentionibus & controversiis, ac quibusvis litibus & causis alterius generis qualitercunque tunc exortis in bo. me. Laurentium Justinianum tunc Episc. Castell. nuncupatum; postmodum vero, suppresso titulo Episcopali, Patriarcham ejusdem Civitatis Venetiarum, tanquam in Arbitrum & Arbitratorem & amicabilem compositorem compromisissent, dictus Laurentius Patriarcha tunc Episc. onere compromissi hujusmodi in se sponte suscepto, laudum seu arbitralem sententiam protulit, per quod, seu quam nonnulla statuta & ordinationes ipsarum Congreg. concernentia, & quo modo congregari, nec non qui ex corpore earumdem Cong. esse & per quos, & ad quantum tem-

pus Præsidentes, & Officiales earum creari, & quomodo jurgia & controversiæ inter ipsas Cong. & illarum congregatos, seu Confratres ex quacunque causa pro tempore exorta, circa ea tamen, quæ spectabant ad ordinationes, & consuetudines earumdem Cong. deffiniri & terminari & illarum introitus distribui deberent; & alia tunc expressa statuit & ordinavit, ac postmodum cum processu temporis multa contra tenorem laudi, seu sententiæ arbitrariæ hujusmodi exoriri & fieri viderentur, & exinde novæ controversiæ exortæ fuissent pro illis sedandis & litibus amputandis Congregationes & Clerici præfati hujusmodi Collegio iterum convocato super omnibus laudis & reformatione & constructione dictæ sententiæ cum facultate addendi in bo. me. Maphæum Ghirardo, tunc Patriarcham Venet. dicti Laurentii successorem, quem Judicem arbitralem arbitratorem & amicabilem compositorem esse voluerunt cum hoc, quod amplius aliqua ratione reclamare, aut contradicere, vel appellare, seu reductionem ad arbitrium boni viri petere de jure vel de facto non possent; sed quodcunque laudum vel quamcunque sententiam arbitralem nempe ferendum seu ferendam ratificarent, aprobarent, & evulgarent sub perjurii & centum Ducat. & aliis pœnis certis modo & forma tunc expressis compromiserunt.

Et idem Maphæus Patriarcha compromissi hujusmodi vigore laudum, seu arbitralem sententiam, plura Capitula seu additiones continens, seu continentem in scriptis protulit, per quod, seu per quam inter cætera laudavit & ordinavit, quod præfati præsidentes tanquam primi Judices causas predictas, quæ inter Congregationes & illarum congregatos seu Confratres hujusmodi pro tempore existentes juxta consuetudinem & ordinationem dictarum Congr. deciderent & terminarent, & si ab eis contingeret appellari secundo loco Collegium Congr. hujusmodi, ac tandem & tercio loco si a dicto Collegio appellaretur Patriarcha Venet. pro tempore existens tamquam arbiter & arbitrator, & amicabilis compositor, ut prefertur, de illis cognosceret, & eas definiret, nec non inhærendo sententiæ dicti Laurentii Patriarchæ cum plures essent judices in Civitate Venet. ad quos Officiales & alii Congregationum hujusmodi sæpius recurrebant, ne tanta talisque confusio in ipsis Congregationibus fieret, statuit & ordinavit, quod nullus ipsarum Cong. cujuscunque ordinis existeret ad alium judicem, quam ad ipsum Patriarcham Venet. pro tempore existentem pro quibuscunque casibus differentiis controversiis & dissentionibus inter eos exortis recurrere posset sub penis in ipso compromisso descriptis dicitur plenius continere.

Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, Lauda seu sententiæ arbitrales hujusmodi per centum annos & ultra observata, seu observatæ & juxta illorum seu illarum formam ac tenorem omnes Congr. hujusmodi hactenus pacifice & quiete conservatæ fuerint & conserventur, ut litigia diminuantur pro parte modernorum Præsidentium dictarum Cong. asserentium inter Congregationes, seu Clericos prefatos super præmissis pro re parvi momenti, veluti pro uno Marcello, & aliquando parum plus vel minus, ac raro pro summa valorem unius ducati excedente, ut plurimum litigari, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Laudis vel sententiis arbitralibus hujusmodi pro illorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ firmitatis addicere, ac alias in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui inter singulos pacis & concordiæ vincula conservari cupimus modernos Præsidentes præfatos, eorumq; singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac aliis ecclesiast. sententiis censuris & penis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendi harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac hujusmodi supplicationibus inclinati lauda, seu sententias arbitrales hujusmodi ac pariter illa concernentia omnia & singula in litteris seu documentis desuper factis contenta, licita tamen & honesta ac sacris canonibus non adver-

adversantia auctoritate Apost. tenore presentium approbamus, & confirmamus supplentes omnes & singulos juris & facti defectus, si qui forsan intervenerint, illis perpetuæ firmitatis robur adjicimus, & ea per Congregationes & congregatos seu confratres prefatos & alios sub eisdem Laudis & sententiis comprehensos observari, & ab illis obediri, ac nisi ad Romanum Pontificem pro tempore existentem, non autem ad Legatum seu Nuntium dictæ Sedis in dicta civitate & Dominio Venetiarum pro tempore existentem & non per modum restitutionis in integrum contra rem judicatam recursum habere non posse, neque debere. Nec non Congregationes & Congregatos, seu Confratres prefatos ad observationem hujusmodi via juris, ac etiam per censuras & penas Ecclesiast. & pecuniarias cogi & compelli posse, & ex sic in premissis omnibus per quoscunque judices quavis auctoritate fungentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpetrandi facultate judicari & deffiniri debere. Nec non quicquid secus super his a quocunque quavis auctor. scienter vel ignoranter contingerit attemptari, irritum decernimus & inane, non obstantibus præmissis & constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscunq; Nulli ergo hominum &c.

Datum Romæ apud S. Marcum III. Id. Septemb. pontificatus nostri anno IV.

Synodus Cleri Veneti in Ecclesia S. Moysis, præsente Nuntio Apostolico, ubi multa statuuntur.

D 1519. 27. Novembris.

Ex Catastico Cleri Veneti Congregationum.

IN Christi nomine Amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter, & sit notum, quod anno Nativ. Domini 1519. Ind. VII. die vero 27. mensis Nov. Pontificatus SS. in Christo Patris D. N. D. Leonis divina providentia Papæ X. ann. VII. Convocato, & congregato universo Clero Civitatis Venetiarum de mandato Rev. in Christo Patris D. Altobelli Averoldi Episc. Pollensis SS. D. N. Papæ Referendarii, ac per totum Venet. Dominium cum potestate Legati Card. de latere Legati Apost. in Eccl. S. Moisi Venet. accedente etiam ad predicta consensu Rev. in Christo Patris D. Antonii Contareno Moderni Patriarchæ Venet. in qua interfuerunt tam Ven. D. Pleb. & Rectores Eccl. Curatarum, quam earum titulati Presb. Diaconi & Subdiaconi num. 155. representantes majorem, ac saniorem partem totius Cleri præfati ad presens existentis, & vocem in dicta universitate habentis, & interesse volentis, sponte, & omnibus melioribus modo, via, jure, causa, & forma, quibus magis, ac melius potuerunt, & debuerunt, ac possunt, & debent ratificando primitus, laudando, confirmando, & approbando, prout ratificant, laudant, confirmant, & approbant omnia, & singula pro ipsis D. Pleb. seu Rectoribus parochialium & Collegiatarum Eccles. ac Capitulorum earumdem quomodocunque acta, gesta, facta, seu impetrata, & obtenta per quoscunq; earum Eccles. suarum nominibus in quibuscunque litibus, causis, & deferentiis versis, vertendis, seu quæ verti posse sperarentur cum quibuscunq; nominibus, & personis tam Ecclesiasticis, quam secularibus cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existentibus, rationibus, & causis quibuscunque, & præsertim infrascriptis per suffragia num. 114. de sic assententia, & consentientia, & 21. de non, elegerunt, fecerunt, creaverunt, constituerunt, deputaverunt, & solemniter ordinaverunt, prout faciunt, creant, constituunt, deputant, & solemniter ordinant Consultores, & defensores suos, ac etiam in quantum expediat Sindicos Rev. Patres Dom. omnes Ven. Collegium omnium Ven. Congregationum Venet. totius Cleri præfati facientes, constituentes, & re-

& repreſentantes, qui nunc ſunt, & pro tempore erunt ac illius Præſidentes Ven. qui omnes non dederunt ſuffagia ſua in & ſuper omnibus juribus Eccleſiarum Capitulorumq; ſuorum, & eorum ſtatutis, conſuetudinibus, conſtitutionibus, & ordinationibus pro bono utili pace, ac omnium quiete, & eorum Eccleſiis, & qualibet ipſarum hactenus obſervatis, etiam ad ſervientium in eisdem commodo, & proficuo contra cujuscunque ordinis, etiam mendicantium, regulares, & ſeculares fratres & religioſos etiam Congregationis cujuscunque diſciplinatos, & quocunque ſcolarum nomine nuncupentur, etiam Magnarum, in Civitate iſta exiſtentium confratrum, laicorum, ſeu fraternitatum clericorum, ſeu illas regentes, & gubernantes Capitulumque, & Canonicos Patriarchalis Eccleſiæ Venet. ac Rev. D. Patriarcham noſtrum, ſi, & quatenus contravenire vellet conſtitutioni per D. ſuam Rev. facte ſuper electionibus titulorum vacantium in Eccleſiis ſub die ſexta Octob. 1514. Et ſimilibus modo, & forma fecerunt, creaverunt, conſtituerunt, & ſolemniter ordinaverunt, prout faciunt, creant, conſtituunt, & ſolemniter ordinant ſuos, & dictarum Curatarum, & Collegiatarum omnium, & ſingularum Eccleſ. ac Capitulorum ipſorum veros, certos, legitimos, & indubitatos ſindicos, & procuratores, ac negotiorum geſtores, ubi, quando, & quotiescunque idem Rev. D. Patriarcha modernus dictæ conſtitutioni factæ aut fiendæ circa electiones tantum contravenire vellet, ita tamen, quod per verba infraſcripta, & ſupraſcripta quæcunque, quantumcunque generalia in preſente inſtrumento & inſtrumentis contenta non extendantur contra Rev. D. Patriarcham, ſeu Patriarchas, niſi circa conſtitutiones, & electiones titulorum omnium Plebium Civitatis Venet. ut præfertur ſpeciales, & generales, ita tamen quod ſpecialitas generalitati non derogget, nec e contra, procuratores Ven. Viros D. Jacobum Gratolarium Pleb. S. Apollinaris Dec. Doct. Cancell. Sereniſſimi Principis; D. Joannem Monceſanum Pleb. S. Euſtachii; D. Jo. Franciſcum Zuchonianum Pleb. S. Thomæ Decret. Doct. D. Demetrium Feruclum Pleb. S. Cantiani; D. Andream de Theobaldis Pleb. S. Silveſtri Decret. Doct. Prothonot. Apoſtolicum, D. Jo. Triviſinum Pleb. S. Caſſiani, D. Jo. Baptiſtam Ignatium Prior. hoſpitalis S. Marci abſentem, & D. Presb. Antonium Spiri Eccleſiarum S. Barnabæ titulatum preſentes, & acceptantes, & quoslibet duos ipſorum conjunctim in ſolidum, itaquod non ſit melior conditio duorum primitus occupantium, nec deterior aliorum duorum ſubſequentium, ſcilicet quicquid duo ipſorum inceperint, alii duo totiens quotiens id proſequi, mediare, terminare, & finire valeant ſpecialiter, & expreſſe ad ipſorum D. D. Conſtituentium, & Eccleſ. ac Capitulorum ſuorum præfatis nominibus, & pro eis procurandum, & pertractandum omnes & ſingulas cauſas motas, & movendas, commiſſas, & committendas contra ipſos D. D. Conſtituentes, ac Eccleſias ſuas ipſarumq; Capitula, & cujuscunque ipſarum juraque ſupra expreſſa, & ſpecificata a quibuscunque perſonis Eccleſiaſticis, & ſecularibus, & aliis ſupra expreſſis & ſpecificatis, ſeu quas etiam ipſi D. D. Conſtituentes contra quoscunque conditionis, & ſtatus cujuscumque, ut præfertur, deſcriptos, & ſpecificatos præter ipſum Rev. D. Patriarcham, niſi cauſa, & occaſione conſtitutionis jamdictæ electionum titulorum, ut ſupra monere volunt, & intendunt agendumq; & cauſas ipſas lites, queſtiones, controverſias & diferentias, honorem, ſtatum, & ipſarum Eccleſ. jura, ſtatuta, conſtitutiones & conſuetudines concernentes proſequendum, & in omnibus & per omnia defendendum, comparendumq; coram quibuscunque judicibus, Commiſſariis delegatis, ſubdelegatis, delegandis, ſubdelegandis, ſubrogatis, ſeu ſubrogandis, datis, ſeu dandis tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus deputatis, ſeu deputandis, & eorum quolibet tam in partibus, quam in Romana Curia agendumque, & petendum, ac libellum, ſeu libellos, & quascunque alias petitiones ſummarias verbo vel in ſcriptis dandum, & recipiendum, dariq; & recipi videndum, litem, & lites conteſtandum & conteſtari videndum, de calumnia vitanda, & veritate diſcenda.

da cum omnibus, & singulis capitulis, & clausulis in & sub calumniæ juramento contentis jurandum, & cujuslibet alterius generis honestum, & licitum juramentum in animas ipsorum D. D. Constituentium principalium præstandum, & ex adverso præstari videndum, ponendum & sic ponendum & articulandum, ponique & articulari videndum, & audiendum positionibus & articulis partis dictæ respondendum & suis responderi faciendum, ac contra eos dicendum & renuntiandum, replicandum, duplicandum, triplicandum & quadruplicandum, testes partis adversæ jurare videndum & contra eos, & eorum quemlibet, ac eorum dicta dicendum & objiciendum crimina, & defectus opponendum, & probandum testes, acta, literas, scripturas, instrumenta, privilegia, jura & munimenta, ac alia quæcunque probationum genera producendum & exhibendum, & extrahendum & ex adverso produci exhiberi, & extrahi videndum & opponendum unum vel plures, semel aut pluries, judices & notarios eligendum de loco & judice concordandum & conveniendum, eumq; vel eos suspectum, aut suspectos recusandum & declinandum, & suspitionis causas assignandum & allegandum, & alios judices & notarios petendum eligendum & nominandum sententiam vel sententias quascunq; tam interlocutorias, quam difinitivas, seu cum diffinitive habentes ferre petendum & audiendum, & ab ea, vel eis vel alio quocunque illato, vel inferrendo gravamine provocandum & appellandum, Apostolosque semel vel pluries debita cum instantia petendum & obtinendum appellationem, seu appellationes hujusmodi intimandum insinuandum, & notificandum ipsasque ac nullitatis causas prosequendum, & ad Romanam Curiam, si opus fuerit, devolvendum, & devolvi, damna, & interesse taxari petendum & extorquendum, litteras quoque compulsorias & remissorias, & rescripta tam in audientia contradictarum, quam alibi, & alias quascunque litteras Apost. & indulta, gratiam seu justitiam concernentes seu concernentia pro conservatione, tuitione & defensione Ecclesiarum, ac Jurium capitulorum earum, & cujuslibet ipsarum cum consilio tamen D. Consultorum, & defensorum profanorum seu majoris partis ipsorum per sufragia inter eos per partem positam etiam per quemlibet ipsorum dandum & declarandum, impetrandum, obtinendum, & expediendum, ac expeditionibus consentiendum; in causis præmissis etiam super hujusmodi impetratione, & ex adverso impetratis contradicentis beneficium restitutionis in integrum, ac absolutionis simpliciter, vel ad cautelam petendum, & obtinendum, Judicis officium implorandum, impetrandum & obtinendum. Unum quoque vel plures loco etiam cujuslibet ipsorum sindicos & procuratores, seu sindicum & procuratorem ubique etiam in Romana Curia cum simili vel limitata potestate & facultate substituendum, & quo ad Reverendiss. D. Patriarcham tantum, ut supra, videlicet, ubi, quando & quotiescumque dictæ seu dictis Constitutionibus contravenire vellet, & non aliter, eumque vel eos totiens quotiens revocandum, onusque hujusmodi procurationis etiam per solam comparitionem & presentiam in juditio de facto in se reassumendum presenti tamen mandato semper firmo, & in suo robore permanente. Item quarumcunque pecuniarum quantitatem, & summam necessariam, & opportunam per præfatos D. D. Constituentes pro hujusmodi expeditionibus, & causis persolvendum etiam de novo taxandum & limitandum de consensu tamen pro majori parte inter eos capienda per unum etiam quemcunque eorum ponenda in Colle ... ipsamque ab eis, & suis Ecclesiis exigendum, recuperandum & levandum per se, vel solicitatores, seu submassarios Congregationum ad hoc per eos deputandos, & de exactis & levatis tam de preterito, quam in futurum quietandum & liberandum in ampla forma, qui etiam de expositis & exponendis justum ac legale computum tenere debeant, & illud dictis D. D. defensoribus exhibere justificandum & non solvere curantes, seu volentes juris mediis cogi faciendum, impetrandum & obtinendum, gerendum, exercendum, procurandum, expediendum, consentiendum & expendendum, quæ in ... & circa ea necessaria sue-

fuerint & opportuna & quæ ipsimet Constituentes facere possent si presentes ut premititur congregati interessent, etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam presentibus est expressum, non comprehendendo tamen præfatum Reverendiss. D. Patriarcham, nisi ut supra, dantes & concedentes omnimodam facultatem & potestatem dicti D. principales constituentes præfatis D. Constitutoribus, Sindicisque & procuratoribus, ut supra, electis & deputatis, seu majori parti ipsorum concordandi, componendi, paciscendi & transigendi, & finalem compositionem faciendi, tam cum Reverendiss. D. Patriarcha præfato, quam cum Capitulo & Canonicis præfatis, inter quos lites & causæ, seu discrentiæ quommodolibet verterentur, seu verti possent. Ita tamen, quod nihil concordari, componi, pacisci, seu finaliter transigi possit, nisi.... ipsis D. D. Defensoribus consultis & consentientibus, qui & eorum quilibet pro.... partem & partes per suffragia inter eos pro majori parte eorum laudandum ponere possint, nec non elligendi constituere, & creandi alium seu alios in locum dictorum supra expressorum Sindicorum, vel decedentium, seu alias quommodolibet impeditorum etiam ad prædictam causam & pro prescripta causa constitutionum & electionum tantum quo ad Reverendiss. D. Patriarcham absque alio de novo per præfatum Clerum prestando consensu, quem ex nunc prout extant, præstant per presens instrumentum, atque si opus fuerit pro præmissis, seu præmissorum aliquo unum, seu plures ad Romanam Curiam mittendi, seu substituendi sindicos & procuratores cum predictis super premissis. Promittentes namque præfati D. D. Constituentes mihi notario publico, uti publicæ personæ solemniter stipulanti & recipienti vice, & nomine omnium & singulorum, quorum interest, intererit, aut interesse poterit, quommodolibet in futurum se gratum, ratum, atque firmum habituros totum id, & quicquid per dictos suos Consultores, seu defensores & sindicos, ac procuratores & forsan substitutos, vel substituendos ab eis seu quomodolibet ipsorum actum, gestum, impetratum, obtentum, expeditum, impensum vel procuratum fuerit in præmissis & circa ea, seu quomodolibet præmissorum. Relevantes nihilominus & relevare volentes, eosque constitutos & substituendos & quemlibet ipsorum ab omni onere de satisdando judicio sisti, & judicatum solvi cum omnibus clausulis necessariis & opportunis sub hyppotheca & obligatione omnium & singulorum bonorum suorum ac præfatarum Ecclesiarum & Capitulorum earumdem mobilium & immobilium presentium & futurorum, super quibus omnibus & singulis rogatus fui ego notarius infrascriptus, ut publicum conficerem Instrumentum & instrumenta.

Actum Venetiis in Ecclesia suprascripta, interessente in Congregatione ipsa Rev. D. Roberto Magio Clerico nullius Diocesis Secretario ipsius Reverendiss. D. Legati Apostolici de illius ordine & mandato Anno, Ind. die, & Pontificatu, quibus supra. Præsentibus D. Presb. Marino Ecclesiæ S. Marci Nuntio Ven. Collegii totius Cleri, & presb. Thoma de Marcialis Sacrista in Ecclesia S. Moisi prefati, ac Baptista filio q. Antonii de Electis Circularii Clerico Venet. testibus rogatis &c.

Subscriptio Notarii ommisso signo.

Ego Presb. Jacobus Fasolo qu. D. Nicolai de Venetiis pub. Imperiali & Venet. auctoritatibus Not. & præfati Rev. Collegii Cancell. quia suprascriptis omnibus, & singulis rogatus interfui, ideo hoc præsens publicum Instrumentum aliena manu exinde confeci & in fidem me subscripsi signo meo apposito consueto &c.



DE
MONASTERIO
S. MARIÆ DE VIRGINIBUS.

CUM pro Honorio hujus nominis III. Romano Pontifice Hugolinus Cardinalis Episcopus Ostiensis, (qui postea Gregorius IX. Summus Pontifex fuit) in Langobardiæ partibus ad sedandas Italiæ turbationes adversus Ecclesiam a Federico II. Imperatore dire commotas legationis munere fungeretur, Venetias venit ut Ducem, & Rempublicam in Pontificias partes contra Imperatorem adduceret. Summa Urbis gratulatione exceptus inter cætera sui muneris officia Petrum Ziani, qui tunc in supremæ dignitatis honore Reipublicæ præerat, adhortatus est, ut prope Cathedralem Divi Petri Ecclesiam in eminentiori Paludis situ Ecclesiam construi imperaret, quæ a Hierosolimitano Deiparæ Templo nuperrime a Saracenis fœde occupato S. Mariæ Novæ in Hierusalem nuncuparetur. Annuens tanto viro pius Dux in designato paludis loco Ecclesiam adjectumque ei Monasterium ædificari præcepit, quod ex animi sui religione assignatis redditibus dotatum sub sua, & successorum Ducum jurisdictione recepit. Hæc de ejus fundatione affert Dandulus in

Chronico lib. x. cap. IV. part. 40. " *Hugolinus* Ostiensis Episco-
" pus Legatus in Lombardiam veniens, ut seditiones securius
" removeret, Venetias venit, & Duci persuasit, ut Monaste-
" rium S. Mariæ in Jerusalem, sive de Virginibus noviter fa-
" bricaret, quod Dux perficiens, & dotans Patronus cum suc-
" cessoribus statuitur.

Ex hoc igitur Clarissimi Viri testimonio Ecclesiæ hujus, & Monasterii origo Romani Pontificis Legato adhortanti, & Petro Ziani pie, & alacriter annuenti tribuenda est. Interea tamen dignitatum, & nominum affinitas æquivocationi ansam dedit, multosque in errorem pertraxit, qui Gregorio IX. Alexandrum III. & Petro Ziani Sebastianum ejus Patrem perperam sufficiunt. Hinc lapsu temporis error veritati prævaluit, adeo ut etiam in Apostolicis novissimi temporis diplomatibus, inque marmorea epigraphe Ecclesiæ parietibus affixa Alexander III. veluti Parthenonis fundator enuntietur. Addita quoque errori fabula, dum Frederici Ænobarbi (qui eo temporis Venetias pacem cum Pontifice conciliaturus advenerat) filia Julia nomine prima loci Abbatissa statuitur. Commentum hoc tum ex probatioris notæ Scriptoribus, tum ex antiquioribus Summorum Pontificum litteris manifeste rejicitur; omnes enim concorditer supralaudatis Gregorio IX. atque Petro Ziano fundationis meritum apertissime adscribunt. Dubium omne, si quod superesset, amolitur vetustissimum autographum documentum anni 1289. quo Judicibus ad inquirenda bona publica communis Venetiarum constitutis a Bartholomæo Quirino Episcopo Castellano jura Episcopatus, & Ecclesiæ Castellanæ confirmanda exhibentur. Ex eo instruimur Ecclesiam S. Mariæ in Jerusalem, seu de Virginibus, olim vocatam fuisse Sanctorum Joannis & Pauli, quorum unico vocabulo ipsam inscriptam legimus in ea promissionis tabula eidem documento adnexa, anno 1182. confecta sub Marco Nicola Episcopo Castellano.

" 1289. Ind. II. die Lunæ X. intrante Octobris, Venetiis in
" Episcopali Palacio. Ven. Dominus Bartholomeus Quirino Di-
" vina, & Apostolica gratia Dignissimus Episcopus Castellanus
" coram Nobilibus Viris Dominis Joanne Mauroceno, Petro Con-
" tareno dicto zaparello, & Marino georgio Judicibus, & offi-
" ciallibus de mandato Illustriss. Domini Johanis Dandulo bo-

„ næ memoriæ olim incliti Venetiarum Ducis, & communis „ Venetiarum ſuper univerſis publicis conſtitutis comparuit di- „ cens nomine, & vice Sanctæ Matris Eccleſiæ Caſtell. & ſui „ Epiſcopatus, & proponens ſe & dictam eccleſiam Caſtell. & „ Epiſcopatum habere, tenere, & poſſidere & ad ipſam ſuam „ matrem Eccleſiam pertinere, & Epiſcopatum; de jure totam „ aquam, & paludem poſitam, & ſitam eſſe ante & retro dictam „ Eccleſiam S. Petri de Caſtello, & S. Mariæ in Jeruſalem quæ „ condam appellabatur Eccleſiam SS. Johanis & Pauli, ut jux- „ ta monaſterium & locum S. Mariæ in Jeruſalem ſecundum „ quod in infraſcriptis ſuis cartis & inſtrumentis continetur, & „ ſunt confiniate.

„ Et produxit quoddam Inſtrumentum conceſſionis manu Va- „ leriani Presbiteri Eccleſiæ Caſtellanæ Canonici, & Notarii con- „ fectum 1181. menſe Novembris Indictione xv. Rivoalti per „ quod intendit probare ~~quod~~ Dominicus donato de canareglo „ habuit ad fictum a Dom. Marco nicola, condam Epiſcopo „ Caſtell. unam paludem aqua ſuperlabente quæ firmat unum „ ſuum capud in litore B. Petri, & ultra litus uſque ad portum. „ Aliud capud unum ſuum latus in canale de Caſtello. Aliud „ latus in porticello. Cujus tenor talis eſt. Promittens promit- „ to ego quidem Dominico Donato de canareglo cum meis he- „ redibus vobis quidem Dom. Marco Nicola Caſtell. allecto ac „ veſtris ſucceſſoribus quod amodo in antea uſque ad duos an- „ nos complectos in unoquoque anno in feſto S. Michaelis octo „ dies poſt predictum feſtum, vel octo ante feſtum dare, & de- „ liberare debeam 1070. cevalos abſque omni contradicione vo- „ bis, & veſtris ſucceſſoribus, & predicta Dei Eccleſia pro una „ palude aqua ſuperlabente quam mihi conceſſionis carta uſque „ ad duos annos dediſti quæ eſt de jure, & proprietate veſtri „ Epiſcopatus. Unum ſuum capud firmat in litore B. Petri, & „ ultra lictus uſque ad portum. Alio capite. Unum ſuum latus „ firmat in Canale de Caſtello, alio latere firmat in porticello. „ In qua palude aqua ſuperlabente debeo piſcare in die ac no- „ cte abſque veſtra contradicione. Hæc omnia ſi non obſerva- „ vero &c. ut in ipſo inſtrumento continetur.

„ Item produxit unum aliud inſtrumentum dicti tenoris per „ totum manu Dominici ſino Presb. S. Paterniani, & Not. ſcri-

„ ptum in 1238. mensis Decembris die 3. exeunte Indictione XII.
„ Rivoalti ut in ipso instrumento plenius continetur.
„ Item produxit quoddam aliud instrumentum promissionis
„ scriptum manu Bonifacii inviciato Clerici Clugensis, & Notarii completum & roboratum. Cujus per totum tenor talis est.
„ In nomine Dei eterni amen Anno ab incarnatione Domini
„ nostri Jesu Christi 1289. die 13. intrante mensis Augusti Indictione 2. Rivoalti. Promittentes promittimus nos quidem Andreas basso, & Marcus fasolo ambo de pupilia cum nostris
„ heredibus vobis namque Ven. Patri Dom. Bartholomeo Dei,
„ & Apostolica gratia Episcopo Castell. & vestris successoribus.
„ Ideo quia nobis dedistis, & concessistis amodo usque ad 4. annos complectos proximos venturos totam unam vestram dictique vestri Episcopatus aquam, seu paludem quæ est posita post
„ Monasterium S. Mariæ de Virginibus, quæ olim vocabatur SS.
„ Johanes & Paulus, & discurit justa canale qui vadit ante Episcopatum Castell. usque ad ramum dicti canalis, qui vadit usque ad locum S. Mariæ de Celestibus, & usque ad aggerem
„ loci S. Danielis ad piscandum, & aucellandum cum grisolis &
„ aliis artibus de die, & nocte sicut nobis placuerit ita tamen
„ quod non claudamus cum ipsis grisolis, vel artibus viam taliter quod exinde cum barchis, & navibus transiri non possit. quod pro fictu ipsius aque omni anno hic in Rivoalto dare
„ debemus vobis, vel vestro misso viginti quinque paria de bonis elausis Videlicet sexdecim in festo Nativitatis Domini, &
„ alia novem paria in festo Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis si poterunt inveniri. Si vero non poterunt inveniri, vobis dare, & persolvere debemus pro quolibet pario, illud quod
„ persolvent alii suis patronis de Venetiis. Si igitur unquam &c.
„ Item produxit quoddam promissionis instrumentum manu
„ isti notarii confectum in 1182. mensis Octobris Indictione prima Rivoalti. In quo probatur, & apparet quod Marcus & Johannes Urso ambo de confinio S. Fuscæ habuerunt ad fictum
„ unam aquam, quæ stat ante & retro Ecclesiam S. Petri & SS.
„ Johannis & Pauli a dicto D. Marco Nicola Episcopo Castellano cujus tenor talis est. Promittentes nos quidem Marcus Urso, & Johannes Urso ambo de confinio S. Fuscæ cum nostris
„ successoribus Ecclesiæ S. Petri, quod in festivitate S. Thome

quem

„ quem modo ad presens expectamus vobis, & predicte Eccle-
„ sie Dei S. Petri dare debeamus sine aliqua contradicione, vel
„ interpositis Capitulis quindecim paria de bonis clausis propter
„ unam vestram aquam quam nobis dedistis & concessistis ad au-
„ cellandum in hoc presenti anno que est de jure & proprieta-
„ te S. Petri vestri Episcopatus & stat ante & retro Ecclesia S.
„ Petri, & SS. Johannis & Pauli, & si vobis ista quindecim
„ paria de bonis clausis ad istum terminum non deliberaverimus
„ componere promittimus cum nostris heredibus, vobis & ve-
„ stris successoribus &c. ut in dicto instrumento plenius con-
„ tinetur.

„ Item produxit unam testificationis seu abreviarii cartam te-
„ statam, & roboratam manu dicti Valeriani Not. confectam in
„ 1201. mensis Marcii Indictione IV. Rivoalti cujus tenor talis
„ est. Testificor ego quidem Dominicus Donato de canareglo
„ quod sunt quadraginta annis jam & plus, quod ego habui ad
„ piscandum per Episcopos de Castello qui fuerunt per tempora
„ in ista Castellana Ecclesia aqua de isto Episcopatu quæ aqua
„ discurrit a porticello illo quæ est juxta portu de Murianes, &
„ usque ad canale que vadit ante Ecclesia S. Nicolai, & Eccle-
„ sia S. Elene, & vadit in canale de Castello que discurit ante
„ Ecclesiam S. Petri veri Episcopatus, & vadit usque ad istum
„ porticellum recto tramite, & ipsa aqua discurit super palude
„ S. Petri isti nostri Episcopatus, que ista palude ab utroque
„ latere firmat in lidello de isto Episcopatu, & reddidi predictos
„ Episcopos fictum annuatim de suprascripta aqua. Hæc omnia
„ scio, & per verum dico testimonium &c. ut in dicta carta te-
„ stificationis continetur.

Cum ergo ex supra relatis instrumentis aperte eluceat Ecclesiam S. Mariæ de Virginibus anno 1182. uno Sanctorum Joannis, & Pauli nomine nuncupatam fuisse, quo pacto stabit ejus fundationis epocha, quæ titulo S. Mariæ in Jerusalem insignita ad annum initæ reconciliationis 1172. revocari præsumitur? Consultius itaque erit cum Dandulo, Sanuto, cæterisque melioris fidei Chronologis statuere, Templum, appositumque ei Cœnobium, eo loci, ubi antiqua Sanctorum Joannis, & Pauli ædes exsurgebat circa annum 1224. qui XIX. Petri Ziani Ducis fuisse fundata jussu, & ære ejusdem Principis, cujus agnomen memorato Sebastiano Duci commune in causa

causa fortasse fuit, ut sacri ædificii molitio, quæ ad Petrum pertinet, Sebastiano tribueretur.

Ædificatis itaque Templo, & Monasterio nonnullæ ex præclariori Venetorum sanguine progenitæ Virgines ad ea excolenda deductæ sunt, unde novo Asceterio nomen S. Mariæ de Virginibus inditum est, quibus ad æmulationem Jerosolimitani Parthenonis regularis Divi Marci Evangelistæ habitus deferendus, atque Divi Augustini regula observanda assignantur. Vocatis exinde ex Congregatione Canonicorum Regularium S. Marci de Mantua religiosis viris, novæ Sanctimoniales Congregationi adscriptæ ipsis in regulari vita instituendæ traduntur.

Triennio a fundatione evoluto supralaudatus Hugolinus ob præclara in Ecclesiam merita per Cardinalium suffragia biduo ab antecessoris obitu vix elapso ad Petri Sedem sub Gregorii Noni nomine sublimatur: In tanta dignitate constitutus veteris dilectionis memor, qua Venetum Monasterium a sui fundatione prosequutus fuerat, ipsum non spiritualibus tantum privilegiis, sed & temporalibus etiam dignatus est opibus adjuvare, siquidem tantum pecuniæ ei elargitus est, quantum esset ad tredecim prædia in agro Patavino coemenda.

Ipsis deinde redditibus Joannes Dandulus, qui in Potestatis dignitate Patavinam administrabat Rempublicam, de concordi *totius Concilii Paduani* voluntate concessit, ut *pietatis & misericordiæ intuitu* possent *tam tempore pacis, quam discordiæ* Venetiis libere quandocunque deferri, *non obstante aliquo banno seu interdicto facto, seu quod aliquo tempore fieret quoquo modo inter commune Paduanum, & commune Venetiarum*: Hoc perpetuæ concessionis privilegium datum anno 1229. die XIX. Septemb. Indict. II. Statuto Communis Paduæ *de voluntate dicti Consilii* insertum est, atque inde Apostolico Gregorii IX. diplomate ad Priorem, & Conventum S. Mariæ Novæ de Venetiis Anagniæ dato confirmatum anno 1232. die 14. Januarii (A) quo itidem die ipse Pontifex inhibuit, ne quis de novalibus ortis, virgultis, piscariis, molendinis, & animalium nutrimentis dicto Conventui spectantibus decimas exigere ullo modo præsumeret (B). Nec temporales tantum angustias sublevare, sed & ferventius spirituales promovere profectus studuit optimus Pontifex, quapropter Apostolicos visitatores destinavit, qui de religiosa Monasterii vita districtius inquirerent,

quo-

quorum testimonio omnia ad regularis disciplinæ normam congruere intellexit. *Quia vero Monasterium ipsum specialis prærogativæ brachiis amplexabatur quicquid ad conservationem status ipsius pertinere* cognovit, *quadam manu sollicitudinis* volens congruis subsidiis procurare dato Laterani Diplomate anno millesimo ducentesimo trigesimo quarto die vigesima nona Aprilis statuit ut juxta instituta Ordinis S. Marci *eidem Monasterio visitationis offitium de cætero* impenderetur, atque cætera omnia agerentur quæ ad perfectiorem regulæ observantiam oportuna esse viderentur (C). Ut autem Monasterium ipsum quod *juris & proprietatis B. Petri* existere declaravit, & *nulli alteri præter quam Romano Pontifici subjectum* firmius ab omni aliena jurisdictione liberaret per Apostolica Decreta anno millesimo ducentesimo trigesimo octavo Kal. Junii districtius inhibuit *ne quis præter mandatum Sedis Apostolicæ contra Monasterium ipsum excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgare præsumeret* (D).

Anno inde sequenti datis ad Petrum Pinum Castellanum Episcopum litteris desiderium suum ei innotescere voluit ut supra paludem quæ de jure erat Castellanæ Ecclesiæ Monasterium S. Mariæ in Jerusalem suo potissimum hortatu erectum ampliari pateretur. Pontificiis Epistolis, ea qua decet, veneratione receptis, Petrus Episcopus accedentibus etiam Jacobi Theupoli Ducis enixis precibus dato assensu permisit, *ut Prior, Fratres, atque Sorores* Monasterii S. Mariæ in Jerusalem, quorum septa intra angustiores fines continebantur, tantum de palude ad Ecclesiam Castellanam spectante elevare possent quantum sufficeret ad Cœnobii ædificia ampliori spatio dilatanda (E). Tantis Pontificiæ largitatis muneribus aliud accessit, anno enim 1240. die 4. Januarii, *Priori & Conventui S. Mariæ Novæ in Jerusalem de Venetiis* apostolica indulsit auctoritate, *ut de tredecim mansis terræ Paduanæ Diœcesis* ab ipsis *emptionis titulo aquisitæ de pecunia, quam intuitu pietatis* ipse Pontifex Monasterio dederat, nulli decimas solvere tenerentur (F). Hæc autem omnia Pontificis amantissimi privilegia novis Apostolicæ concessionis diplomatibus roborarunt Innocentius Papa IV. Perusii anno 1252. die 4. Septemb. (G) Alexander vero IV. Laterani anno 1253. die 9. Aprilis (H). Ab onere etiam Decimarum terras & possessiones Monasterii esse declaravit immunes

munes ipse supralaudatus Pontifex Alexander IV. apostolicis decretis, quorum unum Anagniæ anno Pontificatus sui quinto (I), alterum vero Laterani dedit anno sexto, quo ex infelici sacrorum bellorum exitu mœrore tabescens evolavit ad Cælum (K).

Interea cum de pecunia, quam Petrus Zianus Dux sibi ex testamento legaverat, deque aliis piorum eleemosinis Monasterium ipsum prædia aliqua in agro Tarvisino posita proprii juris fecisset, indeque ad deducendos Venetiis fructus oneribus gravaretur Clemens Papa IV. diplomate Viterbii die v. Aprilis anni 1266. Potestatem & Consilium Tarvisinum adhortatus est, ut bona Monasterii *a qualibet publica servitute* exempta ad ipsum deferri quandocunque oportuerit, libere permitterent *prohibitionis edicto aliquo non obstante* (L).

Ad Petri Cathedram evectus inde Gregorius X. in ipsis fere sui Pontificatus exordiis cuncta præcessorum suorum privilegia *Priori & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis concessa* apostolicæ confirmationis robore communivit die 2. Maii anni 1271. (M) indeque anno 1274. Lugduni degens, ubi Œcumenicum Concilium celebraturus advenerat, Abbatissæ & Conventui Monasterii eas prærogativas apostolica authoritate confirmavit, quas pridem *Prior & Diffinitores Capituli Generalis*, *ac universum Capitulum S. Marci* (de Mantua) *intuitu Ducis Venetiarum Monasterii Patroni auctoritate propria concesserant*, nempe ut quando Fratres ipsius Monasterii Priorem alium elegerint, *antequam electio publicetur*, Abbatissæ, & Sanctimonialium *requiratur assensus*, *& sic demum cum consensu ipsarum ad publicationem hujusmodi procedatur*; atque ut Monasterii thesaurus, omnesque redditus per ipsas Moniales certa lege administrarentur; Ut autem assignati Sanctimonialium alimoniæ proventus in alios usus non distraherentur, ipse Pontifex eadem superius enuntiati diplomatis die Priori, & Capitulo Generali Ordinis S. Marci per Apostolica scripta mandavit ut ad *Monasterium Monialium B. Mariæ de Virginibus*, quod *Gregorius IX. prædecessor tunc Episcopus Ostiensis*, & in Lombardiæ partibus *Apostolicæ Sedis Legatus* constituerat, ipsique Ordini S. Marci subjecerat, tot, & tales Fratres ibidem ad Sanctimoniales in spiritualibus excolendas deligerent, ut neque ipsorum numero Monasterium gravaretur,

tur, neque superfluis expensis ansa ulla scandali vulgi dicacitati præberetur.

Exemptionem inde Monasterii *ab omni jugo & jurisdictione, lege jurisdictionis & Diœcesana* a Summis Pontificibus statutam Nicolaus IV. innovavit, cujus autographum documentum datum anno 1289. die 28. Martii cum aliquando injuria temporum periisset, Calixtus III. datis ad Vicarios Generales Ordinis S. Marci de Mantua apostolicis epistolis ipsum Nicolai præcessoris diploma de verbo ad verbum inseri fecit, & Pontificii scripti patrocinio communivit (O).

Canonici interea & Prior, qui ex instituto proprio, & ad Pontificii mandati voluntatem *curam & sollicitudinem earumdem Monialium debebant gerere, ac ministrare ipsis ecclesiastica sacramenta*, cum ab offitii recta ratione recederent, & sensim ad vitia declinarent, unde *discordiæ & scandala gravia frequenter suscitabantur in Monasterio prædicto, & per hoc Monasterium ipsum quod hactenus florere in spiritualibus, & abundare in temporalibus consueverat, erat non modicum in utrisque collapsum*, Bonifatius Papa VIII. *volens super hoc illius provisionis remedium adhibere per quod obviaretur periculis, & hujusmodi discordiis, & scandalis imminentibus Monasterio prælibato; Plebano Ecclesiæ S. Bartholomæi de Venetiis dictæ Diœcesis*, qui tunc erat Leonardus Faletro, postea Patriarcha Constantinopolitanus, suis dedit litteris in mandatis, *ut super præmissis authoritate sua inquireret diligentius veritatem, & si per inquisitionem hujusmodi de hiis sibi constaret super quibus suam intendebat conscientiam onerare præfatos Priorem & Fratres per se vel alium, seu alios a præfato Monasterio amoveret, ita quod ex tunc ad monasterium ipsum nullatenus reddire valerent, nec in eo sibi jus aliquod vindicare; & nihilominus statueret ut monasterium ipsum ex tunc gubernaretur per Abbatissam propriam, cujus electio ad filias Conventus spectaret, & ne ipsæ præmissorum occasione in spiritualibus defectum* sustinerent, ipse Plebanus eis *deputaret aliquem ydoneum sacerdotem ad audiendum confessiones & ministrare Ecclesiastica Sacramenta*. Insuper ipse Pontifex decrevit, ut Plebanus delegatus, *electionem, quam a Filiis Conventus de Abbatissa contingeret celebrari ea vice authoritate Apostolica confirmaret, eique munus benedictionis impenderet, & ab ipsa postmodum reciperet ipsius Bonifatii*

& Ecclesiæ Romanæ nomine fidelitatis solitæ juramentum juxta formam ipsis Bullis introclusam. Apostolico mandato, ea qua decebat veneratione recepto Plebanus prudenter re perspecta, *quia sibi legitime constitit de præmissis, Priorem, & Fratres sententialiter amovit a Monasterio memorato*, aliaque omnia perfecit, quæ sibi fuerant ex Pontificio decreto demandata: Hæc autem omnia ab ipso Bonifatio confirmata, in posteriori Joannis XXII. diplomate mox ad litteram Q referendo ex integro recensentur. Sub hæc ferme decreta Matthæus Venerio Primicerius S. Marci ex commissione sibi ab eodem Bonifatio injuncta Priorem S. Mariæ de Virginibus Servum Dei nomine cæterosque Canonicos jampridem, ut dictum est, a Monasterio expulsos aliis locis ejusdem Ordinis assignavit lata sententia die v. Maii anni millesimi ducentesimi nonagesimi octavi (P).

Expulsionem Canonicorum Ordinis S. Marci de Mantua a Monasterio S. Mariæ de Virginibus retulit, ut superius dictum est, Joannes XXII. in duobus Apostolicis litteris Avenione datis anno millesimo trecentesimo trigesimo secundo die Aprilis tertiadecima privilegia Monasterii jam ab Alexandro IV. & Gregorio X. elargita confirmantibus, quæ cum pariter longo temporis tractu deperdita a Sanctimonialibus desiderarentur, Petrus Cardinalis de Tusco Episcopus Albanensis, & Nicolai V. Papæ in Civitate Avenionensi Vicarius ad instantiam *Abatissæ & Conventus Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Ordinis S. Marci de Mantua* ex Avenionensi Pontificio Archivo erui jussit, & de verbo *ad verbum cum authenticis collacionari* atque plene & perfecte concordantes subscribi, & sigilli sui appensione muniri mandavit (Q). Eo itidem die ipse Cardinalis Episcopus aliud Pontificium Diploma a Clemente Papa VI. Avenione datum anno millesimo trecentesimo quadragesimo quinto die XVII. Augusti, quo ejectio Canonicorum iisdem ferme verbis recensebatur, & Alexandri IV. confirmabatur apostolica concessio ex regestis Avenionensibus extrahi atque transcribi instante S. Mariæ de Virginibus Monasterio decrevit (R).

Quamvis autem ex Pontificio mandato Prior, & Canonici Ordinis S. Marci de Mantua a Monasterio S. Mariæ de Virginibus expulsi fuerint, adhuc tamen Monasterium ipsum sub obedientia ejusdem Ordinis perseveravit, siquidem anno millesi-

lesimo trecentesimo quadragesimo sexto die Martii tertiadecima Abbatissa visitatores Ordinis *benigne*, & *devote* recepit, seque cum monialibus suis *tanquam filiæ obedientiæ* ipsorum visitationi & correctioni submiserunt, ut in publico instrumento apparet manu Nicolai Zambonini de Tabulis de Bononia Notarii confecto (S).

Circa hæc tempora anno scilicet millesimo trecentesimo sexagesimoquinto die XI. Augusti Monasterium sive potiorem ipsius partem ex fortuito incendio conflagrasse ejusque reparationi manus dedisse adjutrices Andream Contarenum Venetiarum Ducem testatur antiqua marmorea epigraphe hæc exhibens:

✠. M.° CCC.° LXIIIII. adi XI. de Avosto. Ensi. fuogo. el. qual. arse tuto. questo. luogo. e in tempo. de misier Andrea Contarini. Doxe de venexia. lo quale focavo. e principio. de redificar questo luco. e per tuta. la convicinanza de questa benedetta citade la qual Christo mantenga in bon stado. Amen.

Ad hæc usque tempora nulla ex autographis documentis memoratur antiqua loci Abbatissa, primaque ad annum millesimum trecentesimum sexagesimum sextum ostenditur Abbatissa Isabetta Quirino electa die XVIII. Aprilis *vacante Abbatia Monasterii S. Mariæ de Virginibus per obitum Agnetis de Canali ultimæ Abbatissæ*. Ex Historia Monasterii ms. circa Sæculum XVI. exarata ante Agnetem de Canali octo enumerantur Abbatissæ, quorum nominibus eæ quoque Sanctimoniales adjiciuntur, quæ in solemni dignitatis inauguratione festivam protulerunt Panegerim; cum autem codex hic multis scateat mendaciis, ut videre est in commentitio primæ Abbatissæ nomine, nihil pro certo statuens eas tantummodo ut inveni recenseam.

Julia Federici Ænobarbi Imperatoris filia sub Alexandro III. laudatur a *Primiceria* filia cujusdam Symeonis equitis de comitatu Imperatoris.

Maria Ziana Sebastiani Ziani Ducis ex fratris filio neptis sub Innocentio III. orationem habuit.

Helisabeth Sanctimonialis ejusdem Cœnobii.

Zilia Ziani Mariæ soror sub Innocentio IV. laudes protulit *Ursa Baduario*.

Polixena Cornelio sub Urbano IV. panegerim habuit *Birgitta Longo*.

Euphemia Maſtalizi sub Nicolao IV.

Jacobina de Canali sub Bonifatio IV. laudata *a Cecilia Juſtiniana*.

Maria Venerio sub Joanne XXII. laudationem fecit *Cecilia Baſilio*.

Nicolaa Georgio sub Benedicto XII. oratione elata a *Cecilia Arimondo*.

Agnes de Canali sub Clemente VI. laudatur a *Joanna Zane*.

Agnete itaque de Canali die XVI. Aprilis anni 1366. defuncta Sanctimoniales ſolemniter *more & loco conſuetis* congregatæ *Iſabetham Quirino* unanimiter in Abbatiſſam Monaſterii elegerunt die 18. ejusdem menſis, cujus electionis tabulas ſolemniter rogavit *Raphaynus de Careſinis Notarius*, *& Venetiarum Cancellarius*, & inſtrumento ſolemniter ſibi Sactimonialium nomine exhibito ipſa Heliſabeth nolens Divinæ reſiſtere voluntati aſſenſum præbuit die 20. ejusdem menſis Aprilis, moxque tertia tranſacta die procuratores inſtituit *Nicolaum Faletro*, *Marinum Venerio*, *& Joannem Foſcari Ambaxatores ſolemnes Ducalis Dominii Venetiarum ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Papam*, *ac providos Viros Deſideratum Lucium* (qui poſtea Magnus Cancellarius fuit) *ac Andream de Olcedo Notarium Ducatus Venetiarum*, *nec non Napoleonem de Pontirolis procuratorem Communis Venetiarum in Romana Curia abſentes tanquam præſentes ad præſentandum ſe cum Decreto electionis ſuæ prædictæ nomine*, *& vice ipſius Dominæ electæ coram Urbano V. & ad petendum & obtinendum confirmationem electionis prædictæ*, & ad cætera omnia præſtanda quæ in ipſo procuratoriæ inſtitutionis inſtrumento latius continentur. Hæc autem prudenter ab electis procuratoribus acta fuiſſe teſtatur ſupplicationis formula Summo Pontifici exhibita, ac in Monaſterii Archivo una cum enuntiatis inſtrumentis aſſervata (T).

Reparationem interea Monaſterii ex incendio, ut dictum eſt, magna ex parte diruti lento opere proſequebantur Sanctimoniales tum ob anguſtias proventuum, tum ob piorum eleemoſinas minus abundanter ad pium opus affluentes, quod ut celerius ad ſui perfectionem deduceretur, Urbanus V. omnibus utrius-

utriusque sexus Christifidelibus, qui statis diebus Ecclesiam S. Mariæ de Virginibus devote visitarent, & *ad reparationem ipsius & Monasterii manus porrigerent adjutrices centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxavit*. Dato Viterbii diplomate die tertia Octobris anni millesimi trecentesimi sexagesimi noni (V).

Administrato per duos supra viginti annos laudabiliter Monasterio Helisabeth e sæculo egreditur, in cujus locum per Sanctimonialium suffragia Abbatissa instituitur Marina Dandulo anno millesimo trecentesimo octuagesimo octavo. Ejus electio, ut Apostolica authoritate confirmaretur, Urbano V. Perusii tunc degenti oblata est, qui datis epistolis Andream (Nobilem Venetum ex Familia Bona) Episcopum Caprulensem pro se Delegatum constituit, ut electionem rite factam Pontificio confirmaret nomine, electæ Abbatissæ munus benedictionis impenderet, atque ab ipsa solitum debitæ fidelitatis juramentum exciperet, quæ omnia die IV. Novembris ejusdem anni per ipsum Episcopum rite in ipso Monasterio acta fuerunt, atque in publicas tabulas redacta per Morandum Philippi Clericum Cenetensis Diœcesis Apostolica, & Imperiali authoritate Notarium (X).

Post Marinam Dandulo anno millesimo trecentesimo nonagesimo sexto viam universæ carnis ingressam, Monasterii regimini concorditer præfectam fuisse Agnetem Lauretanam, quæ septuagesimum suæ ætatis annum attigerat, ex supplicatione ostenditur, quam Bonifacio IX. Summo Pontifici pro ipsius confirmatione obtulerunt ipsius Monasterii Sanctimoniales, quæ unanimiter in ejus electionem assenserant. (Y)

Ut autem Ecclesia Deiparæ nomine consecrata copiosius frequentaretur, & in suis juvaretur indigentiis ipse Bonifatius IX. anno millesimo trecentesimo nonagesimo octavo die undecima Junii Apostolico Diplomate elargitus est, ut qui *primo & secundo diebus Mensis Maii Ecclesiam hujusmodi devote visitaverint annuatim, & ad reparationem, & conservationem ipsius manus porrexerint adjutrices illam indulgentiam & remissionem peccatorum suorum* perciperent, *quam visitantes Ecclesiam S. Mariæ de Portiuncula alias dictam de Angelis extra muros Assisinates primo & secundo diebus Mensis Augusti annuatim quomodolibet consequuntur* (Z). Hujus Pontificiæ largitatis intuitu

tu

tu Leonardus Delphinus Castellanus Episcopus anno sequenti 1399. die 27. Aprilis ordinaria authoritate concessit, ut iisdem enunciatis diebus prima & secunda Maii possent universi *libere, & licite ingredi dictam Ecclesiam procedendo usque ad Altare Magnum absque metu alicujus excommunicationis propter ingressum hujusmodi incurrendæ* (A 2.)

Ad Deiparæ gloriam sub suæ Visitationis titulo eodem anno millesimo trecentesimo nonagesimo nono in ipsa Sanctimonialium Ecclesia pium Sodalitium erectum est, quod ad ejusdem Virginis Matris cultum, & honorem sacris officiis promovendum apprime dicatum ex Decemvirum Capitalium decreto approbatum est. Ex eo etiam instruimur, quanto pietatis studio supramemorati incendii damna instaurare curaverint Sanctimoniales: ad reædificationis enim celerius consumandæ auxilium *ipsæ contentæ fuerunt totaliter privare se vino, quod per Conventum ordinarie ministrabatur eisdem, convertendo pecuniam illam, & omnem aliam, quam restringendo se quantum potuerunt habere, & percipere quomodolibet potuerunt in fabricam Monasterii antedicti, atque ita facere dispositæ erant, donec reducerent ipsum locum ad terminum rationabilem, & necessariam habitationem* (B 2.)

Novis insuper largitionibus Monasterii rebus favit sæpelaudatus Pontifex Bonifatius, siquidem cum ex supplicibus Sanctimonialium libellis sibi constitisset Cœnobii facultates adeo diminutas fuisse, ut ex eis Moniales congrue sustentari non possent, Apostolica dispensatione indulsit, ut bona, seu munera privatis Monialibus a quocunque seu consanguineo, seu alio largita, ipsæ apud se retinere, atque in suos usus convertere licite, & libere nullo contradicente valerent (C 2.) Datum fuit Diploma Romæ anno sæculari millesimo quadringentesimo VI. Kal. Martii, qua ipsa die etiam permisit, ut parentes, consanguinei & affines fœminei sexus, quæ *ipsas Canonicas* (sic vocavit Sanctimoniales quamvis jam a subjectione & obedientia Canonicorum Regularium Ordinis S. Marci subductas) *aut aliquam, seu aliquas ex eis ægrotantem, seu ægrotantes visitare voluerint infra septa ejusdem Monasterii* reciperentur (D 2.) Hanc autem ingrediendi claustra facultatem anno sequenti ad universas sequioris sexus personas, seu visitandi, seu ministrandi gratia dilatavit (E 2.)

Cum

Cum vero ad præsentes loci angustias sublevandas Michael Steno Venetiarum Dux nonnulla Monasterii prædia anno millesimo quadringentesimo octavo venundari concessisset, (F 2.) Alexander V. qui nuper in Concilio Pisano Pontifex Maximus adlectus fuerat, succrescentem in dies Cœnobii inopiam miseratus Francisco Bembo Episcopo Castellano datis Pistorii epistolis anno millesimo quadringentesimo nono die XXI. Novembris mandavit, ut Prioratum S. Margaritæ de Pulveraria Ordinis S. Benedicti Paduanæ Diœcesis, *cujus centum, & septuagintaquinque Ducatorum auri fructus, reditus & proventus secundum communem extimationem valorem annuum* non excedebant, eidem Monasterio S. Mariæ authoritate Apostolica in perpetuum *incorporaret*, uniret, & annecteret, *ita quod cedente, vel decedente Priore dicti Prioratus, seu ipsum Prioratum alias quomodolibet dimittente liceret Abbatissæ & Conventui prædictis per se, vel alium corporalem possessionem Prioratus auctoritate propria libere apprehendere, ejusque fructus, & reditus in proprios usus perpetuo retinere Diocesani loci, & cujuscunque alterius super hoc licentia minime requisita*. Ad quarum litterarum executionem Episcopus procedens juxta traditam sibi formam ipsum Prioratum de Pulveraria cum omnibus juribus & pertinentiis suis Monasterio S. Mariæ de Virginibus perpetuo univit, & unitum esse decrevit die XXIII. Decembris ejusdem anni millesimi quadringentesimi noni.

Interea urgente arctius inopia Monasterii, cum usque ad annum 1417. gratia ipsa nondum fuisset suum sortita effectum, Moniales maximis detrimentis & incommodis gravatæ Martino V. Summo Pontifici Constantiæ tunc degenti per Venetos Oratores humillime supplicarunt, ut Donato de Verona Priori de alio benefitio Prioratu scilicet S. Crucis Paduanæ Diœcesis Ordinis S. Augustini providere dignaretur, ne ulterius dilata unione Sanctimoniales in tantis continuarent angustiis. Virginum supplicatio, quamvis manu Pontificis signata ut de ea ageretur, irrita tamen cessit, siquidem Priore in vivis perseverante Eugenius IV. qui Martino vita functo ad Summi Pontificatus apicem advectus fuerat de ipso Prioratu per apostolicas litteras diverso modo disposuit: Accepto siquidem, quod ipse Prioratus *jam multis tunc elapsis annis regulari observantia, ac religiosis inibi residentibus destitutus* fuerat, *pro incremento*

mento Divini cultus in Ecclesia S. Johannis Decollati extra portam Pontiscorvi Paduani, *ac commodiori substentatione Canonicorum de Congregatione S. Georgii in Alega de Venetiis Castellanæ Diœcesis* Prioratum S. Margaritæ prædictum eidem Ecclesiæ *motu proprio & ex certa scientia perpetuo incorporavit & univit*. Cum autem ad ipsius Pontificis notitiam delatum esset, ipsum Prioratum ab Alexandro V. Veneto Virginum Monasterio dudum fuisse concessum, accedente Francisci Foscari Ducis, & Reipublicæ Venetiarum desiderio, prioribus litteris Apostolica authoritate annullatis, Alexandri V. unionem, Pontificiæ novæ confirmationis munimine roboravit. Ut autem Apostolica liberalitas celeriorem obtineret effectum, supralaudatus Prior Donatus de Verona sponte & libere beneficio cedere in favorem Monasterii disposuit. Eapropter Eugenius Pontifex Alphonso de Caneis rubeis Archidiacono Ecclesiæ Zamorensis executori unico Apostolico ad hæc specialiter deputato per apostolica scripta mandavit, ut resignatione Prioris recepta *Prioratum ipsum cum membris annexis & aliis omnibus juribus*, *& pertinentiis suis* Monasterio B. Mariæ de Virginibus perpetuo annecteret, & uniret; Pontificiæ litteræ datæ fuerunt Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo primo die XII. Junii. Post earum litterarum receptionem Delegatus Apostolicus, cum ipse Donatus Prior in ipsius manibus *pure*, *libere*, *& simpliciter* Prioratui ejusque juribus renuntiasset, Monasterio S. Mariæ de Virginibus Venetiarum Prioratum atque omnia jura ad ipsum pertinentia perpetuo adnexum esse decrevit, die IV. Julii ejusdem anni, qua die omnia prædicta in publicis tabulis per Pasium Bertepaleam Civem Paduanum & Notarium mandari jussit. Post hæc ex Pontificio Decreto Venetiis acta die 22. ejusdem mensis Julii Nicolaus Trivisanus Episcopus Termipolensis ex unanimi Sanctimonialium consensu Monasterii Sindicus & Procurator electus *existens in Ecclesia prædicta Prioratus S. Margaritæ de Pulveraria* statutis ceremoniis rite adimpletis possessionem corporalem ipsius Prioratus omniumque jurium adnexorum eique pertinentium apprehendit (G 2.)

Die XXV. Januarii anni millesimi quadringentesimi undecimi Joannes XXIII. Pontificio diplomate Viterbii dato *omnes libertates*, *& immunitates a prædecessoribus suis Romanis Pontifi-*

tificibus Monasterio concessas, aliasque exemptiones ab aliis indultas Apostolica authoritate confirmavit (H 2); Martinus vero V. plenariam criminum remissionem Sanctimonialibus in articulo mortis constitutis elargitus est die 29. Martii anno millesimo quadringentesimo decimo nono (I 2).

Agneti Lauretanæ anno 1397. defunctæ successisse in Præsulatu Franciscam Georgio, ejusque laudes enarrasse Soradamor Georgio ejus consanguineam, testatur superius enuntiatus codex Monasterii, atque inde per ejus obitum adlectam fuisse alteram ejusdem pariter nominis & agnominis Sanctimonialem anno 1428. additque in ejus electione Virginum suffragia ex æquo divisa ipsam Franciscam Georgio & Elenam Contareno ad Abbatissæ dignitatem designasse, qua re ad Ducem Franciscum Foscarum perlata ipse propitio voto ad electionem Franciscæ adaucto litem diremit. Hanc autem Franciscam Georgio Abbatissam hujus nominis secundam e vita emigrasse asserit anno 1431. succedente Helena Contareno.

Utut hæc Præsulum successio se habeat, Elenam Contarenam in Abbatissali dignitate præcessit Virgo quædam nomine Soradamor, ut aperte deducitur ex Pontificio Eugenii IV. Diplomate anno millesimo quadringentesimo trigesimo secundo die vigesima octava Augusti Romæ dato, quo ipse Pontifex electionem Helenæ Contareno in Abbatissam *Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus, cui Soradamor Abbatissa præerat*, tunc vacantis, Apostolica authoritate confirmat, cujusque inde confirmationis decretum jubente Pontifice executioni mandarunt Nicolaus Trivisanus Episcopus Termipolensis, atque Andreas Bono S. Gregorii de Venetiis Abbas die XVIII. Septembris anni millesimi quadringentesimi trigesimi secundi (K 2).

Biennio in Præsulatu nondum expleto supremum diem clausit Helena Abbatissa: cui ex Sanctimonialium votis successit Soradamor ejus nominis secunda ex Nobili Maurocena gente progenita. Electionem datis Romæ epistolis approbavit Eugenius IV. Summus Pontifex die 1. Aprilis anni millesimi quadringentesimi trigesimi quarti (L 2.) mandavitque insuper die 27. Septembris ejusdem anni per Apostolica scripta Florentiæ, quo se contulerat, data Divo Laurentio Castellano Episcopo, ut electæ Abbatissæ benedictionis munus impenderet atque ab ea vicissim juramentum fidelitatis & obedientiæ reciperet (M 2).

Ipsi deinde supralaudato Laurentio Nicolaus V. Summus Pontifex Apostolica authoritate mandavit, ne in Monasterii hujus gubernatione utpote Sanctæ Sedi immediate subjecto ullo modo se ingereret, atque suæ Diœcesis Clericos in ipsius Monasterii Ecclesia ad Abbatissæ placitum Divina celebrare & administrare permitteret (N 2.) Romæ datæ fuerunt epistolæ die xxx. Aprilis anni 1448. anno vero sequenti die 27. Octobris idem Pontifex prædecessorum suorum Privilegia Monasterio ejusque Sanctimonialibus concessa Apostolica confirmatione munivit (O 2).

Pantasileam Contarenam ad Monasterii regimen post Soradamoris Maurocenæ obitum assumptam anno 1455. litteris Apostolicis confirmavit Calixtus Papa III. datis Romæ die vi. Decembris, mandavitque insuper Maphæo Contareno Patriarchæ Venetiarum, ut ipsam Pantasileam in Abbatissam præficeret, eique Monasterii curam & administrationem in spiritualibus & temporalibus plenarie committeret (P 2). Francisca, seu Francischina Quirino sexennio evoluto, cum Pantasilea Abbatissa mortalitatem exuisset, in ipsius locum a Sanctimonialibus suffecta per Patriarcham Venetiarum Andream Bondumerium Pio II. Pontifice Maximo mandante (Q 2.) confirmatur anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo.

Per duos & viginti annos administrato Monasterio decessit Francisca, cui ex Sanctimonialium suffragiis successit Elisabeth Bragadeno anno millesimo quadringentesimo octuogesimo tertio, electionem ejus confirmante ex Syxti Papæ IV. Diplomate Antonio Saracho Archiepiscopo Corinthiensi Patriarchali Vicario (R 2).

Inter hæc intempesta nocte diem xix. Novembris precedente exortum incendium anno 1487. Monasterii ædificia potiori ex parte consumpsit, cujus damna Augustini Barbadici Ducis potissimum hortatu S. C. ære publico instaurari decrevit.

Iis temporibus Sanctimoniales Sanctæ Mariæ de Virginibus nec vota solemnia emittere, nec professionis velum recipere, neque ulla regularis clausuræ lege teneri consueverant, quinimo proprii juris in libertate permanentes, nihilque præter habitum de Monachatu gerentes de Monasterio libere *exire, ac Matrimonium si vellent contrahere & in sæculo remanere* poterant, deque sibi pertinentibus *Patrimonialibus, & aliis ex*

earum

earum industriis acquisitis bonis disponere pro ipsarum libito voluntatis libere valebant. Manifesto patent hæc ex Apostolico Innocentii VIII. Diplomate, quo ad annum 1488. *Contarinæ de Contarenis Priorissæ, Euphemiæ Lauredanæ, ac Andrianæ Contarini Canonissis Monasterii B. Mariæ de Virginibus nuncupati Venetiarum Ordinis S. Marci Mantuani*, facultas conceditur de dicto Monasterio B. Mariæ cum omnibus bonis suis ad aliud Monasterium S. Danielis Ordinis S. Augustini se transferendi, & *in illo pro majori animarum suarum quiete sub ipsius habitu & professione regulari perpetuo remanendi* (S 2).

Post hæc ipsemet Pontifex Innocentius Angelæ Marcellæ electionem per Elisabeth Bragadenæ obitum in Abbatissam suffectæ Apostolica authoritate approbavit, datoque diplomate die XXII. Martii anno millesimo quadringentesimo nonagesimo Vicario Patriarchali Venetiarum mandavit, ut ipsi accepto prius debitæ fidelitatis juramento curam & administrationem Monasterii submitteret (T 2). Cum autem eo temporis Innocentius Pontifex *omnes & singulas indulgentias* quibusvis Ecclesiis, *monasteriis & piis locis per Romanos Pontifices prædecessores concessas certis de causis suspensas* esse decrevisset, *pro conservatione* tamen *Ecclesiæ Monasterii B. Mariæ de Virginibus indulgentias prædictas ad biennium validas & efficaces esse* declaravit (V 2). Eas autem indulgentias Ecclesiæ B. Mariæ de Virginibus per Romanos Pontifices concessas, atque per Innocentium VIII. confirmatas fuisse ad instar & similitudinem indulgentiæ Capellæ S. Mariæ de Portiuncula alias de Angelis nuncupatæ extra muros Assisinates, prima & secunda die mensis Maii obtinendas, significatur per aliud Pontificium Alexandri VI. Diploma, quo *contemplatione Nobilis Viri Augustini Barbadico Ducis Venetiarum supplicantis*, ipsas indulgentias concessas, & confirmatas, ut superius dictum est, pro anno duntaxat millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio *de speciali dono gratiæ* confirmavit (X 2). Eo ipso deinde anno die V. Julii *omnia, & singula privilegia, indulta, libertates, & immunitates per alios Romanos Pontifices prædecessores suos concessas, & concessa* eidem Monasterio Apostolica authoritate approbavit, & confirmavit, volensque insuper Sanctimoniales *uberiori gratia prosequi*, ipsis ut quemcunque idoneum seu sæcularem, seu regularem Sacerdotem ad divina officia celebranda, & ecclesiastica

Sacramenta ministranda eligere possent, ac *de consensu Abbatissæ pro tempore existentis mulieres consanguineas affines, amicas, & benivolas in dictum Monasterium juxta consuetudinem* diurno tantum tempore recipere valerent, indulsit (Y 2).

Anno deinde millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto ipsemet Pontifex Alexander ipsas Indulgentias a Bonifatio Nono pridem pro diebus prima & secunda Maii concessas Apostolicarum tenore litterarum *in Vigilia Nativitatis Virginis Mariæ a primis vesperis usque ad occasum Solis sequentis diei* obtinendas una dumtaxat vice ad instantiam Pauli Pisani Veneti Oratoris de novo concessit (Z 2); quod iterum præstitit anno 1496. iisdem ferme verbis exorante Hieronymo Georgio Equite Oratore Veneto, atque anno 1497. ad preces Nicolai Marcelli Equitis & doctoris, pariter pro Veneta Republica apud Sanctam Sedem Oratoris. Eas deinde confirmarunt Paulus Papa III. Julius III. Pius V. aliique Summi Pontifices successores.

Ad annum 1503. die XXVIII. Septembris Angelæ Marcello defunctæ Leona Leono sufficitur, cui decimo octavo ab electione mense nondum inita possessione e vivis excessæ Benedicta Baduario subrogata fuit anno 1505. die XVII. Aprilis, Pontificia Julii II. authoritate electionem confirmante Episcopo Chisamensi (A 3).

Benedicta Baduaria viam universæ carnis ingressa ad Abbatissæ dignitatem ex Capitulari Sanctimonialium electione Clara Donata provehitur, ejusque electionem mandante Altóbello Averoldo Episcopo Polensi Apostolico Legato approbavit Episcopus Chisimensis die VIII. Septembris anno 1518. (B 3). Per ea ferme tempora non in hoc tantum monasterio, sed & in pluribus aliis Sanctimonialium Cœnobiis tam Venetæ, quam Torcellanæ Diœceseos laxata admodum regularis vitæ observantia solutaque disciplina vix aliquid in eis præter habitum de religioso instituto supererat; Conventuales proinde passim dici cæperunt, quia sola veste, & Conventus incolatu a Laicis differebant. Ut tanto tamque gravi malo occurreret Antonius Contarenus Patriarcha Venetiarum, Apostolica Leonis X. authoritate suffultus Monasteria Venetiarum, atque inter ea præcipue celeberrimum Virginum Cœnobium ad veterem sanctimoniam nisus est omni studio revocare. Ea propter cum

IONI

IVIXIT

ΓOSITV




Sacramenta miniſtranda eligere poſſent, ac *de conſenſu Abbatiſſæ pro tempore exiſtentis mulieres conſanguineas affines, amicas, & benivolas in dictum Monaſterium juxta conſuetudinem* diurno tantum tempore recipere valerent, indulſit (Y 2).

Anno deinde milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quinto ipſemet Pontifex Alexander ipſas Indulgentias a Bonifatio Nono pridem pro diebus prima & ſecunda Maii conceſſas Apoſtolicarum tenore litterarum *in Vigilia Nativitatis Virginis Mariæ a primis veſperis uſque ad occaſum Solis ſequentis diei* obtinendas una dumtaxat vice ad inſtantiam Pauli Piſani Veneti Oratoris de novo conceſſit (Z 2); quod iterum præſtitit anno 1496. iiſdem ferme verbis exorante Hieronymo Georgio Equite Oratore Veneto, atque anno 1497. ad preces Nicolai Marcelli Equitis & doctoris, pariter pro Veneta Republica apud Sanctam Sedem Oratoris. Eas deinde confirmarunt Paulus Papa III. Julius III. Pius V. aliique Summi Pontifices ſucceſſores.

Ad annum 1503. die XXVIII. Septembris Angelæ Marcello defunctæ Leona Leono ſufficitur, cui decimo octavo ab electione menſe nondum inita poſſeſſione e vivis exceſſæ Benedicta Baduario ſubrogata fuit anno 1505. die XVII. Aprilis, Pontificia Julii II. authoritate electionem confirmante Epiſcopo Chiſamenſi (A 3).

Benedicta Baduaria viam univerſæ carnis ingreſſa ad Abbatiſſæ dignitatem ex Capitulari Sanctimonialium electione Clara Donata provehitur, ejuſque electionem mandante Altobello Averoldo Epiſcopo Polenſi Apoſtolico Legato approbavit Epiſcopus Chiſimenſis die VIII. Septembris anno 1518. (B 3). Per ea ferme tempora non in hoc tantum monaſterio, ſed & in pluribus aliis Sanctimonialium Cœnobiis tam Venetæ, quam Torcellanæ Diœceſeos laxata admodum regularis vitæ obſervantia ſolutaque diſciplina vix aliquid in eis præter habitum de religioſo inſtituto ſupererat; Conventuales proinde paſſim dici cœperunt, quia ſola veſte, & Conventus incolatu a Laicis differebant. Ut tanto tamque gravi malo occurreret Antonius Contarenus Patriarcha Venetiarum, Apoſtolica Leonis X. authoritate ſuffultus Monaſteria Venetiarum, atque inter ea præcipue celeberrimum Virginum Cœnobium ad veterem ſanctimoniam niſus eſt omni ſtudio revocare. Ea propter cum


IONI
VIXIT
OSITV

cum adhortationes primum & salutaria monita irrito labore adhibuisset, hac spe dejectus, unum reliquum putavit esse remedium, si alias ex observantibus Monasteriis eductas Virgines in illud induceret. Eo pii Præsulis consilio actæ in rabiem Sanctimoniales, cum nulla alia suppeteret ratio, qua formidata Reformationis pericula devitarent, Sedem Apostolicam appellarunt, antiqua privilegiorum jura ad tuendam laxioris vitæ licentiam evocantes. Altobello Averoldo Episcopo Polensi demandata fuit appellatio, qui re ex animi sui prudentia intime examinata causam ipsam ad Sedem Apostolicam remittens in tanto tamque gravi negotio censuit nihil esse innovandum. Res ex integro latius ex subsequentibus monumentis apparebit.

„ Coram Vobis &c.

„ Comparent, & se præsentant Vener. D. Clara Donato Ab-
„ batissa Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venetiar. & D.
„ Pisana Pisani, D. Laura Maria Camerlenga, & D. Pelle-
„ grina Basegio, D. Maria da Leze, D. Pellegrina Canalis,
„ D. Helena Pisani. D. Franciscina Justiniana, D. Loreda-
„ na Loredano, D. Franciscina Soranzo. D. Biancha Valerii.
„ D. Livia Briani. D. Lucia Marcello, D. Diana Tiepoli. D. Fo-
„ scarina Foscarini. D. Paula Venier. D. Laura Badoer. D. Lau-
„ ra de Prioli. D. Gradeniga Gradenigo. D. Andriana Zane. D.
„ Andriana Zorzi. D. Andriana Gradenigo. D. Samaritana Ca-
„ nalis, omnes moniales S. Mariæ de Virginibus Ord. Cano-
„ nicorum regularium S. Marci Evang. omnes Moniales di-
„ cti Monasterii convocatæ ad sonum Campanellæ, & existen-
„ tes omnes concordes, nullaque ipsarum discrepante, dicunt,
„ narrant, exponunt, & protestantur, per viam qualis prote-
„ stationis qualiter ad ipsarum noticiam devenit quod Reve-
„ rendissimus D. Patriarcha Venetiarum suo nomine proprio vel
„ ex asserta quadam Commissione. S. D. N. vult & pretendit
„ ipsas Reverend. D. Moniales reducere ad rigorem & austeri-
„ tatem observantiæ & intendit, ex quo prefate Reverend. Mo-
„ niales sunt concordes insimul ad bene vivendum secundum
„ Regulam ipsarum ponere aliquas alias Moniales alterius or-
„ dinis in dicto Monasterio, & ipsum Monasterium dividere,
„ & prefatas Reverend. D. Abbatissa, & Moniales ad obser-

„ van-

„ vantiam reducere. Et cum sit quod Reverend. D. Moniales „ fuerunt & sunt sub protectione Sanctæ Sedis Apostolicæ im- „ mediate subjectæ, prout apparent Bullæ Papæ Bonifacii, & „ Nicolai V. Alexandri VI. & aliorum Pontificum, quarum te- „ nores sunt infrascripti, videlicet Nicolaus Papa V. Venerab. „ Frater salutem. Item Alexander Papa VI. Dilectæ in Chri- „ sto Filiæ &c.

„ Item dicunt & exponunt quod prædictæ Reverend. D. Mo- „ niales intraverunt ordinem vel Religionem in dicto Mona- „ sterio, in quo, & in qua Religione ab antiquo non inve- „ nerunt aliquam observantiam, nec rigorem observantiæ im- „ mo a Principio ædificationis Monasterii nunquam talis au- „ steritas fuit in Regula, & ita fuit observatum, & per tan- „ tum tempus cujus inicii memoria non extat in contrarium, „ & ideo cum prædictæ Moniales intraverunt in dicto Mona- „ sterio, & non invenerunt aliquam observantiam tempore „ quo se obligarunt ad Regulam, & sic per consequens non „ possunt astringi ad ea observandum immo S. D. N. non „ posset includere præfatas Dom. moniales contra earum volun- „ tatem & ita præfatæ Moniales & quælibet ipsarum protestan- „ tur quod ipsæ non intendunt servare aliquem rigorem ob- „ servantiæ ab antiquo non institutum in dicto Monasterio, nec „ ad rigorem illius observantiæ protestantur velle artari, & ita „ declarant earum liberam voluntatem quod ad asperiorem ri- „ tum nollunt astringi, & quatenus prefatus Reverendiss. D. „ Patriarcha, vel alius dictis nominibus ipsas gravarent ad „ supradicta protestantur prefatæ Reverend. D. Abbatissa & „ Moniales se vi, & metu facere & non ex earum libera vo- „ luntate, & ex violentia & renovatione, & ab omnibus in- „ de secutis, & fiendis appellant ad S. D. N. & ad Sacram „ Sanctam Sedem Apostolicam in cujus protectione sunt & „ esse intendunt protestantes &c. Coram vobis Reverendissimo „ in Christo Patre & D. D. Antonio Contareno divina pro- „ videntia Patriarcha Venetiarum videlicet. Comparet Egre- „ gius Vir D. Franciscus Zio Gastaldio, & nomine, ac vi- „ ce R. Dom. Claræ Donato Abbatissæ Monasterii S. Mariæ „ de Virginibus Venetiarum, & totius conventus exponit di- „ cto nomine ad ejus aures, & noticiam pervenisse quod V.

„ Re-

„ Reverendiss. D. Auctoritate sua ordinaria intendit, & asse-
„ rit se velle visitare dictum Monasterium S. Mariæ Virginum
„ in capite, & ejus membris & quia præfatæ R. D. Abbatissa,
„ & Moniales pretendunt, prout sunt revera & in effectu
„ exemptæ ab jurisdictione ordinaria, & a quovis alio preten-
„ dente jurisdicionem super eis, & immediate sunt subjectæ
„ Romano Pontifici, nec alius cujuscunque dignitatis, gradus,
„ seu præeminentiæ possit aliquid contra ipsas innovare nec
„ attentare sine expresso mandato Apostolico, ut districtius
„ constat ex tenore privilegiorum, & indultorum Apostolico-
„ rum eidem Monasterio per plures summos Pontifices con-
„ cessorum. Ideo præfatus D. Franciscus Gastaldio & procura-
„ tor nomine præfatarum R. D. Abbatissæ & monialium omni
„ meliori modo protestat V. R. D. quatenus se nollit impedire,
„ nec intromittere in aliquo contra præfatas R. D. Abbatis-
„ sam, & Moniales, seu Conventum prædictum contra teno-
„ rem & formam privilegiorum præfatorum, & indultorum
„ Apostolicorum, aliter protestat nomine quo supra injuriis hiis
„ irrogandis dicto monasterio, & appellat Sedi Apostolicæ cui
„ immediate sunt subjectæ & a qua habuerunt prædicta privi-
„ legia, & indulta, & exemptiones, ut ex nunc in hiis scri-
„ ptis provocant & appellant ad Sanctam Sedem Apostolicam
„ præfatam, & ad Sanctum D. nostrum D. Leonem Papam X.
„ maximis rationibus & causis suprascriptis, & aliis suis loco,
„ & tempore dicendis & allegandis, submittentes se, & jura
„ dicti monasterii protestationi præfatæ Sedi Apostolicæ petiit
„ primo secundo & tertio instanter instantius & instantissime
„ protestantes interim nihil innovari hac sua appellatione pen-
„ dente, & damnis impensis & interesse, & hæc omni melio-
„ ri modo &c. salvis &c.

„ In Christi nomine amen Anno Nat. ejusdem 1519. Ind. 7.
„ die vero 27. mensis Junii Pont. SS. in Christo Patris &
„ Dom. Dom. Leonis Papæ X. anno 7.

„ Coram R. in Christo Patre D. Altobello Averoldo Epis-
„ copo Pollen. Sanctissimi Dom. nostri Papæ Referendario, &
„ per totum Venetorum Dominium cum potestate Legati Car-
„ dinalis de latere Legato Apostolico: Comparuit D. Soror Ca-
„ mella Conversa in Monasterio S. Mariæ de Virginibus Ve-
„ netiarum Sindicario nomine Ven. D. Claræ Donato Abba-

„ tis-

„ tissæ, & aliarum monialium dicti Monasterii prout de suo
„ Sindicatu legiptimam fecit fieri publico documento & D.
„ Suæ exhibuit & presentavit litteras Apostolicas prælibati
„ SS. D. N. Papæ in forma brevis annulo Piscatoris signatas,
„ sanas quidem, & integras, non vitiatas, nec in aliqua
„ sui parte suspectas una cum suplicatione introclusa, quas
„ petiit recipi, & admitti debere, illasque apperiri, & ad illa-
„ rum executionem procedi juxta formam & continentiam suam.

„ Qui Reverendiss. D. Episcopus, & Legatus Apostolicus
„ antedictus litteras ipsas ad se reverenter accipiens mandavit
„ illas per me Notarium legi, & intellecto tenore earum ob-
„ tulit se tamquam filius obedientiæ apostolicis parere velle
„ mandatis prout sibi injungitur, & mandatur ex forma lit-
„ terarum ipsarum tenoris subsequentis. A tergo brevis.

„ Ven. fratri Episcopo Pollensi apud Venetos Nuntio no-
„ stro ab intus. Leo Papa X. deinde Vener. fr. sal. & Apostol.
„ Bened. mittimus fraternitati tuæ supplicationem presentibus
„ introclusam: manu dilecti Filii Nostri. l. Card. S. Petri ad
„ Vincula in presentia nostra signatam volumusque & tibi
„ committimus, ac mandamus, ut vocatis vocandis ad illius
„ executionem procedas juxta ejus signaturam. Datum Romæ
„ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 17. Junii 1519.
„ Pont. Nostri anno 7. l. Blondus Jo: de Boscheris: Tenor sup-
„ plicationis.

„ Beatissime Pater. Ex multis Privilegiis Apostolicis maxi-
„ me fel. recor. Alexandri 3. Papæ, Nicolai 5. Bonifacii, Ale-
„ xandri 6. Monasterium Monialium beatæ Mariæ Virginis
„ Venet. liquido constat fuisse, & esse exemptum a jurisdictio-
„ ne ordinaria, & immediate subjectum Sedi Apostolicæ. Ta-
„ men modernus Patriarcha Venetiarum devotas S. V. Ora-
„ trices Claram Donato Abbatissam & alias moniales dicti mo-
„ nasterii molestare, & vexare non cessat asserens se in ipso
„ Monasterio quatuor Moniales alterius Monasterii forte mi-
„ nus recipiendas & condignas ipsis Oratricibus invitis pone-
„ re velle & quia notorie constat hoc fuisse & esse contra te-
„ norem dictorum Privilegiorum Apostolicorum de exemptis,
„ & exemptionibus prædictis, ac contra divina & humana ju-
„ ra, ut minus gratæ Mulieres & diversæ professionis Ordinis
„ & habitus ponere in Monasterio, ubi benignas non inve-

„ ne-

„ nerint receptatrices, ne ex comixtione aliarum non ibi pro-
„ fessarum scandala oriantur, & aliquod deterius in ipsis mo-
„ nasteriis inde contingat; Unde ad occurrendum scandalis, &
„ ne forte contingat totum ovile alienis ovibus perturbari, seu
„ infici, ut consulatur indemnitati oratricium, quæ ea voca-
„ tione, qua vocatæ sunt in Deo Jesu in pace & quiete in
„ famulatum & reliquum vitæ suæ pie de resurectione cogi-
„ tantes traducant, recurrerunt propterea Oratrices prædictæ
„ ad pedes S. V. quæ noctes traducit insomnes & volunta-
„ rios assumit labores pro quiete ipsarum Monialium sexu fra-
„ gilium, & quia etiam interest V. S. ut privilegia Apostoli-
„ ca illæsa serventur, & venerentur, illi humiliter supplican-
„ do quatenus de gratia speciali alicui integerrimo Prelato in
„ dicta Civitate Venetiarum commorante mandet, ut consti-
„ to sibi summarie de præmissis maxime tenori ex dictorum
„ privilegiorum Apostolicorum, dictas Oratrices gaudere & per-
„ frui ac potiri facere dictis Privilegiis exemptionum defen-
„ dat, affistat & mandet etiam sub censuris, & pœnis Eccle-
„ siasticis, & aliis juris remediis una cum invocatione auxi-
„ lii brachii secularis, si opus fuerit, prefatumque Patriarcham
„ & alios quoscunque a molestationibus, vexationibus, ac per-
„ turbationibus, & impedimentis hujusmodi compescat, & re-
„ primat, quoties a prefatis oratricibus, vel earum nomine fue-
„ rit requisitus, & eidem interea, ne Oratrices videantur pro
„ libito voluntatis & forte minus decenter vivere velle, com-
„ mittere, & mandare visitationem suam tam in capite, quam
„ in illius membris & illarum castigationem, & morum co-
„ rectionem & hoc ad obturandum os loquentium iniqua, quia
„ ut plurimum teste Apostolo omnes qui pie & religiose in
„ Christo vivere volunt persecutiones patientur. Cum faculta-
„ te citandi, & innovata retractandi; & quod per eumdem
„ Delegatum factum & decretum ac sancitum fuerit incon-
„ cussum & firmum per easdem Censuras permaneat, habens
„ omnia & singula hic forte necessario exprimenda etiam te-
„ nore dictorum Privilegiorum pro sufficienter expressis con-
„ stitutionibus, Decretis, ordinibus, statutis & aliis, quæ pre-
„ fati Summi Pontifices Predecessores S. V. in dictis Privile-
„ giis obstare voluerunt. Cæterisque in contrarium facienti-
„ bus non obstantibus quibuscunque. Concess. ut petitur prout

„ de jure in presentia Dom. Nostri Papæ L. Card. S. Petri ad „ Vincula, & pro Breve S. V. hac supplicatione introclusa attenta „ ta paupertate concessit. L. Card. S. Petri ad Vincula. Dat. „ Romæ apud S. Petrum 8. Idus Junii Anno 7. Hujusmodi nam„ que Litteris exhibitis & presentatis, ac ut decet reverenter „ receptis sic requirente & instante Sorore Comella Sindicario „ nomine quo supra decrevit litteras citatoriales contra, & „ adversus R. Patrem D. Antonium Contareno Patriarcham Ve„ netiarum Principalem exadverso in litteris ipsis principaliter „ nominatum tenoris, & continentiæ subsequentis.

„ Altobellus Averoldus Episc. Pollen. SS. Dom. Nostri Pa„ pæ Refferendarius & per totum Venetiarum Dominium cum „ potestate Legati Card. de latere Legatus Apostolicus causæ, „ & partibus inscriptis ab eodem SS. D. nostro Judex Comis„ sarius ac defensor specialiter deputatus.

„ R. in Christo Patri D. Antonio Contareno miseratione „ divina Patriarchæ Venetiarum Dalmatiæque Primati, omni„ busque aliis & singulis sua quomodolibet interesse putanti„ bus quibus presentes nostræ præsentabuntur salutem in Do„ mino nostrisque hujusmodi imo verius Apostolicis firmiter „ obedire mandatis. Noveritis quod litteras SS. Dom. Nostri „ Papæ prælibati in forma brevis Annulo Piscatoris signatas „ sanas & integras non vitiatas omni suspicione carentes no„ bis per Sororem Comellam Conversam & sindicam, ac pro„ curatricem Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venetiarum „ exhibitas & presentatas nos ea qua decuit reverentia rece„ pimus hujusmodi sub tenore videlicet a tergo Brevis Ven. „ Fr. Episcopo Pollen. apud Venetos nuntio &c.

„ Post quarum quidem litterarum Apostolicarum presenta„ tionem nobis, & receptionem per nos ut premittitur fa„ ctis..... per..... Sororem Comellam Sindicario nomine D. „ monialium dicti Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venet. „ prout de suo procurationis mandato fidem fecit publico do„ cumento, rogati fuimus, quatenus ad debitam executionem „ dictarum litterarum apostolicarum procedere deberemus, & „ citationem contra P. V. R. omnesque alios suprascriptos de„ cernere aliasque & aliter facere, prout ex forma litterarum „ ipsarum nobis injungitur, & mandatur. Nos itaque atten„ ta litterarum ipsarum forma quoniam justa petentibus non

„ est

„ est denegandus assensus ipsas exequi cupientes tenore pre-
„ sentium, & auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac
„ parte ex speciali comissione suprascripta facta nobis & pre-
„ sentata vos prefatum R. D. Antonium Contareno Patriarcham
„ Venetiarum omnesque alios suprascriptos citamus, requiri-
„ mus, & monemus primo, secundo, tertio & peremptorie
„ quatenus tertia die post hujusmodi citationem vobis factam
„ coram nobis in Palatio Apostolico Venetiarum vel alibi,
„ ubi tunc nos residere contigerit seu legiptimum procurato-
„ rem vestrum mane hora causarum consueta, si dies ipsa ter-
„ tia juridica fuerit, sin autem prima die juris ex tunc im-
„ mediate sequentis comparere debeatis ad dicendum, propo-
„ nendum, & excipiendum quidquid vultis & intenditis tam
„ contra comissionem prædictam, quam personam nostram, &
„ successive ad respondendum dictæ sindicæ & procuratrici,
„ in & super hiis quæ contra vos dictæ nobis factæ & presen-
„ tatæ comissionis vigore dicere voluerit, successiveque per
„ nos ad omnia & singula mandata & comissa ipsarum litte-
„ rarum virtute facienda & debitæ executioni demandanda pro
„ ut juris fuerit.

„ Et nihilominus hujusmodi lite indecisa pendente Coram
„ nobis, dicte D. Moniales Monasterii prædicti a Vobis nec
„ ab aliis quibuscumque molestari, vexari, & perturbari non
„ debent, auctoritate & tenore premissis V. R. D. aliisque
„ quibuscumque, quibus presentes nostræ presentabuntur sub
„ excommunicationis pena mandamus, quatenus ab omnibus
„ molestationibus, & turbationibus, & vexationibus contra ipsas
„ D. Moniales ac Monasterium suum desistere debeatis, & de-
„ beant, ne pro ut juris fuerit contra D. V. R. &c. alios ad
„ ulteriora procedere cogamur, innovata quæcunque revoca-
„ mus. Novimus autem D. V. satis prudentia præditam ob-
„ sequentissimamque Apostolicis mandatis, quod bene intelle-
„ cta SS. Dom. nostri intentione & litterarum ipsarum forma
„ perscrutata, ita consulte hujusmodi mandatis inherere pro-
„ curabit, quod illius obedientia apud Deum & homines com-
„ mendari merebitur, nec aliis mandatis nostris imo verius
„ Apostolicis in hac materia erit opus. Certiorem igitur red-
„ dimus D. vestram quod sive in dicto citationis termino com-
„ paruerit, sive non, nos nihilominus ad partis comparentis

D 2 „ in-

„ instantiam, & causam prosequi curantis procedemus, in quo-
„ rum fidem presentes fieri jussimus, nostrique sigilli impressio-
„ ne muniri. Datum Muriani Torcell. Dioces. die 27. Junii
„ 1519. præsentibus D. Presbitero Dominico de Aretio Capel-
„ lano, & D. Francisco de Organis de Bononia familiare no-
„ stro testibus rogatis.

Die 27. Junii 1519.

„ Ego Not. infrascriptus litteras citatorias suprascriptas in
„ autentica & legali forma sigillo Reverendiss. D. Legati si-
„ gillatas, & manu mea subscriptas Reverendiss. in Christo
„ Patri D. Antonio Contareno Patriarchæ Venetiarum persona-
„ liter apprehenso in Palatio suo Patriarchali intimavi, insi-
„ nuavi, & notificavi ipsum citando, monendo, & requiren-
„ do, prout in eis, eidem inhibendo juxta illarum tenorem,
„ quas etiam in propriis manibus in signum veræ & legipti-
„ mæ executionis tradidi, & dimisi. qui R. D. Patriarcha
„ respondit quod erat paratus mandatis Apostolicis parere.

Die 28. Junii 1519.

„ Reverend. in Christo Pater D. Altobellus Averoldus Episc.
„ Pollen. SS. Dom. Nostri Referendarius, & per totum Vene-
„ torum Dominium cum potestate legati Card. de latere Lega-
„ tus Apostolicus judex delegatus apostolicus causæ & partibus
„ infrascriptis specialiter deputatus ex certis justis & rationa-
„ bilibus causis animum suum moventibus causam & causas
„ inter R. in Christo Patrem D. Modernum Patriarcham Ve-
„ netiarum ex una, & D. Sororem Claram Donato Abbatis-
„ sam, & Moniales S. Mariæ Virginum Venetiar. de & super
„ contentis expressis narratis, & specificatis in comissione A-
„ postolica, & illorum occasione partibus ex altera coram
„ R. D. S. Judice, & Comissario Apostolico ad SS. in Chri-
„ sto Patrem D. N. D. Leonem divina Prov. Papam X. ejus-
„ que Cancellariam Apostolicam remittendas duxit, atque re-
„ misit, habuit, quod & habere voluit easdem presentium per
„ tenorem pro remissis. Revocavit mandatum, seu inhibitio-
„ nem per D. suam sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ ad
„ Reverendiss. Dom. Patriarcham & alios sub poena excom-

„ mu-

„ municationis factam, quia de voluntate, & intentione pre-
„ fati Sanctiss. Dom. nostri per supplicationem manu S. S.
„ signatam satis D. Suæ R. constitit & constat, sub Datum
„ Romæ apud S. Petrum 8. Kal. Junii Anno 7. Pont. sui su-
„ per quibus omnibus rogatus fui Ego Notarius infrascriptus
„ ut publicum conficerem instrumentum.

„ Actum Moriani Torcell. Diocef. presentibus Ven. Dom.
„ Præsb. Dominico de Aretio Capell. & D. Francisco ab Or-
„ ganis Clerico Bononiense familiare præfati Rev. Dom. Le-
„ gati testibus rogatis &c.

Post hæc Antonius Patriarcha Apostolica authoritate fretus, & suprema Principis potestate adjutus pias aliquas Virgines, de quarum probitate, & prudentia sibi optime constiterat, ex observantiori S. Justinæ Asceterio ad Monasterium S. Mariæ de Virginibus transtulit, reluctantibus sane ipsius Cœnobii Monialibus, quarum redditus Patriarchali decreto inter veteres Conventuales, novasque Observantes ita partiri jussit, ut assignata Conventualibus pro ipsarum victu statuta portione, *residuum una cum calculo & computo rerum omnium Monialibus observantibus tanquam* Dominis & Patronis assignaretur. Hoc ut firmius observaretur, Patriarcha Contarenus exequutor Apostolicus per epistolas datas die 26. Septembris anni 1519. Francisco Zio ipsius Cœnobii Procuratori vulgo *Gastaldo* innotescere voluit.

„ Antonius Contareno miseratione Divina Patriarcha Vene-
„ tiarum Dalmatiæque Primas, & in hac parte executor Apo-
„ stolicus Dilecto nobis in Christo Spectabili Viro D. Franci-
„ sco Zio olim Gastaldioni Monialium Conventualium Mona-
„ sterii S. Mariæ de Virginibus Venetiarum, nunc vero Ga-
„ staldioni Monialium dicti Monasterii per dictas moniales
„ acceptato, & per nos confirmato salutem in Domino. Te-
„ nore præsentium auctoritate Apostolica tibi præcipimus &
„ mandamus quatenus de cœtero debeas dare, & assignare
„ Monialibus Conventualibus dicti monasterii pro qualibet
„ earum omni & singulo anno pro substentatione victus ipsa-
„ rum portionem infrascriptam illis solitam a monasterio tra-
„ di, & assignari, residuum vero una cum calculo, & com-
„ puto rerum omnium dicti ejusdem monasterii dictis Monia-
„ libus observantibus tanquam Dominis & Patronis assignare

„ ac

„ ac rationem reddere debeas; Nec non portionem deficien-
„ tium seu morientium monialium Conventualium reservare
„ retinere, & tradere eisdem Observantibus & prædicta om-
„ nia sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, & expul-
„ sionis de domo, & cassationis de dicta Gastaldia.
„ Datum Venetiis in Patriarchali Palatio nostro die 26. men-
„ sis Septembris 1519.

Cum hæc Patriarchalia decreta tanquam sibi injuriosa ægre ferrent Conventuales, nec quod satis esset ad vitæ sustentationem sibi relictum dolerent, datis iterum ad Principem supplicibus libellis publicam clementiam obtestari, atque obsecrare cæperunt, ut inopes virgines ex patritio sanguine progenitas in tanto discrimine tueretur, ne propriis bonis expoliatæ fame propemodum necarentur. Decemvirale Collegium cui & adjecto Senatorum numero eo temporis publicæ rei cura gerenda demandata erat, Virginum preces pro ipsius pietate virtuteque suscepit, cumque ex aliis quoque monasteriis qui reformationis leges susceperant, Conventuales pari modo conquestæ essent, Magistratum eligere optimum censuit, cui totum negotium delegaretur. Electionis Decretum die 17. Septembris anno 1521. datum fuit, ex quo manifesto patet Sanctimonialium reformationem ex publicæ pietatis instituto potissimum processisse.

„ 1521. *die 17. Septembris in Concilio Decem cum add.*

„ Havendosi più e più volte reclamado al conspetto della
„ S. Nostra le Monache Conventuali di questa Città dolendo-
„ se della limitatione fatta per el Reverendiss. Patriarcha No-
„ stro del viver loro l' è ben conveniente proveder che una
„ volta si ponga fine a questa sua lamentazione accioche quel-
„ lo che per inspiration divina potius quam humana indusse
„ questo Conseglio al far una tanta, e cusi grata cosa al no-
„ stro Signore Patrone habbi loco. Però
„ L' anderà parte, che per auttorità di questo Conseglio sia
„ preso & deliberato che di presente per scrutinio di detto
„ Conseglio elezer se debbano tre honoratissimi, & di prima-
„ rii Zentilhomeni de questa Città possendosi tuor de ogni
„ luogo, & officio quali insieme con ditto Reverendiss. Pa-
„ triarcha habbiano ad udir & intendere le lamentazioni &
„ que-

„ querelle di queste Monache Conventuali circa il viver suo,
„ havendo libertà per la mazor parte loro non essendo sta
„ fatta quella debita limitazion del preditto suo viver de pro-
„ veder per modo & forma che ditte Monache Conventual
„ possino star nelli Monasterii suoi, e viver secondo le quali-
„ tà & conditione loro, & cusi etiam le osservante dando all'
„ una, e all'altra de esse Monache si conventuale, come osser-
„ vante quella portion li parerà conveniente, & honesta, &
„ tutto quello sarà per la mazor parte ut supra de loro ter-
„ minato, & deliberato circa el viver suo sia valido come si
„ fatto fosse per questo Consiglio non possi persona alcuna sia
„ di qual grado, & condition esser se voglia fatta tale limi-
„ tazione, & deliberatione, ne alcunaltra cosa contenuta nel-
„ le bolle, & brevi Pontificii superinde emanati sotto pena
„ della indignation de questo Consiglio & tutte altre più se-
„ vere pene contenute nelle più strette parte de ditto Consiglio.

„ A questa veramente ellezione non possano essere elleti
„ Padri, Fratelli, Germani ne fratelli de Padre si delle Mo-
„ nache Conventuale, come osservante ne che avesseno livel-
„ li, ne affitti de preditti monasterii, ne che fusseno procura-
„ tori di quelli.

„ Con questa condition che quelli se haveranno ut supra
„ ad elezere possino esser eletti de ogni luogo, & offitio, &
„ etiam offitio continuo, i quali siano tenuti, & obligati ve-
„ der con diligentia tutte livellation, & affitti fatti, si per le
„ Conventual, come osservante de essi monasterii dapoi fatta
„ la reformation de quelle etiam avanti secondo che a loro
„ apparerà, quali habbino libertà & auttorità trovando esser
„ fatto cosa alcuna in danno aut prejudicio de essi monaste-
„ rii de revocar & annullar, sicome cognosceranno esser es-
„ pediente in beneficio de i antedetti monasterii non se possi
„ dar affitto, ne etiam a livello cosa alcuna delli ditti mona-
„ sterii, ne per monache Conventuale, ne osservante a perso-
„ ne che ad esse fosseno conzonte de parentella che caza da
„ capello, non intendendo pero de casada.

Ad supremi Decreti mentem congregati cum supralaudato Patriarcha Nobiles Viri Dominicus Trivisano Eques, & D. M. Procurator, Baptista Erizzo, & Joannes Marcello, qui omnium primi ad gravissimi Magistrati onus destinati fuerant rem non tan-

tantum ex Conventualium quærelis quam ex libris in quibus redditus adnotantur intime perspicientes unanimi consilio certas proventuum portiones ad alimoniam ipsarum Conventualium constituerunt, reliquum vero, quod supererat, redituum Observantibus ex integro assignarunt die 29. Octobris anno 1521.

Hæc cum graviter, & dolenter accepissent Conventuales immemores quasi repulsa sub Leone X. rejecte fuissent, Sedem Apostolicam, cui ea tempestate præerat Adrianus VI. appellarunt, Venetum Patriarcham criminantes quod nullo juris ordine servato, nec salutaribus monitis vel suasionibus præcedentibus, sub specie ipsas reformandi bonis, ac reditibus, ac etiam pro majori parte habitationibus Monasterii expoliasset, atque ipsius Monasterii institutum contra Fundatorum voluntatem ad Divi Francisci regulam deduxisset. His a Pontifice acceptis ne mærentium fæminarum preces ab se inauditas dimitteret, datis Romæ litteris die 13. Julii anno 1523. rem Thomæ Campeggio Episcopo Feltrensi suo apud Venetos Nuntio, apud quem minimum loci fore putavit gratiæ, delegavit; ut ipse vocatis vocandis justo & maturo consilio ad negotii consumationem procederet (C 3).

Desperati tamen fæminarum ausus irriti cesserunt, atque paulo post cum Clara, quæ Conventualibus præerat Abbatissa e vivis excesisset, supralaudatus Antonius Patriarcha Marinam Barbaram ex Observantium suffragiis Abbatissam electam Apostolica authoritate confirmavit die XXII. Decembris anno 1523. indeque die XXV. subsequentis Januarii in *Abbatissatus juriumque & pertinentiarum ejus* possessionem induxit (D 3).

Hieronymus Quirinus Antonii in Patriarchatu successor, cum Apostolicarum vigore litterarum facultatem accepisset *durante reformatione Monasteriorum Monialium præficiendi, & deputandi Abbatissam in dictis Monasteriis cum pro tempore interea vacare contigeret*, Monasterio S. Mariæ de Virginibus per obitum Marinæ Barbaræ vacanti Michaelam Cuppo præfecit die 1. Januarii anno 1527. qua itidem die Cæsar Bacconus Vicarius Patriarchalis ei dignitatis initæ omniumque jurium & pertinentiarum ipsius possessionem tradidit recepto prius nomine Sanctæ Apostolicæ Sedis expresso fidelitatis juramento (E 3).

Rei bene inceptæ invidens humani generis inimicus simultates

tates & discordias inter ipsas moniales ex maligno invidiæ semine oriri curavit, unde non Conventuales tantummodo, sed & ex ipsis Observantibus aliquæ ad jurgia & opprobria invicem devenerunt. Hæc ad Pontificis Clementis VII. notitiam de Andreæ Gritti Venetiarum Ducis mandato delata sunt, ut ad tollenda scandala in præmissis opportune providere dignaretur. Eapropter Pontifex datis die VIII. Octobris anno 1527. ad Hieronymum Patriarcham epistolis ei mandavit, ut *Moniales contentiosas de Observantia ad Monasteria, & Ordines quorum ante translationem hujusmodi erant, reverti, & in eis recipi* faceret & exequeretur (F 3). Insequenti anno electionem Sophiæ in Abbatissam missis ad ipsam die x. Junii litteris approbavit, atque aliis pariter ad Archipresbyterum Castellanum datis litteris die XIII. ejusdem mensis, ipsi mandavit, ut electæ Sophiæ a Monasterio ejusque subditis debitam obedientiam faceret integre exhiberi (G 3). In ea ineundæ possessionis solemnitate Sophia Abbatissa hoc præstitit juramentum, quod Romæ bulla plumbea signatum mox Venetias remissum est, ut ad perpetuam rei memoriam servaretur, inque futurorum exemplum, ut factum est, postea deduceretur.

„ Ego Sophia Pisana Abbatissa Monasterii Beatæ Mariæ de
„ Virginibus Ordinis S. Augustini Congregationis S. Marci
„ de Mantua Venetiarum Castellanæ Diocesis ab hac hora in
„ antea fidelis, & obediens ero Beato Petro Sanctæque Aposto-
„ licæ Romanæ Ecclesiæ, & Dom. Nostro D. Clementi Pa-
„ pæ VII. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero
„ in consilio aut consensu, vel facto ut vitam perdant, aut
„ membrum, seu capiantur mala captione. Legatum Aposto-
„ licæ Sedis in eundo, vel redeundo honorifice tractabo, &
„ in suis necessitatibus adjuvabo. Possessiones vero ad mensam
„ mei Abbatissatus pertinentes non vendam, neque donabo,
„ neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo
„ modo alienabo inconsulto Romano Pontifice. Sic Deus me
„ adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

„ F. Branconius.

G. de Rubeis.

Sigillata sigillo plumbeo Clementis VII.

Non tamen ex tot tantisque rebus optime gestis reformationis opus plenitudinem suæ perfectionis acceperat, ad quod perinde ex integro perficiendum cum Hieronymus Patriarcha in authoritate Antonio præcessori concessa perseverare renuisset, Clemens VII. anno 1529. ad supralaudati Ducis Gritti preces Jacobum Pisaurum Episcopum Paphensem Venetiis commorantem in Monasterii reformatorem elegit, ut ea exequeretur, & perficeret, quæ ex apostolico Leonis X. Diplomate facere, & exequi poterat Antonius Contarenus Patriarcha (H 3). Ut autem celerius statuta reformatio perageretur, Jacobus Episcopus Delegatus, ea qua pollebat authoritate, Priorissæ & Monialibus Conventualibus anno 1531. præcepit, ut sub pœna privationis introituum de cætero intra septa Monasterii nec sæculares puellas, nec alias Moniales auderent ullo modo recipere (I 3).

Dum hæc aguntur aliud inter Moniales, & Patriarcham exortum fuerat dissidium, siquidem iste, dum Reformatoris Apostolici munere fungeretur, adversus *Abbatissam & Moniales tanquam sub Parochia suæ Patriarchalis Ecclesiæ* commorantes monitorium emanavit, quo eis mandabatur, ut adveniente casu obitus alicujus ex monialibus, nec non in diebus solemnibus invitare deberent ad Divina officia peragenda *simpliciter Capitulum dictæ suæ Patriarchalis Ecclesiæ*. Porro cum ex hoc Patriarchali mandato Monasterii privilegia non leviter infringi cognovisset Andreas Gritti Dux, ipsorum indemnitati consulens Ducali ordinatione sancivit, ut deinceps ad funera, aliaque Ecclesiæ solemnia *Capitulum & Canonicos Ecclesiæ S. Marci* (*si Capitulum invitare voluissent*) *invitare* deberent (L 3). Ex iis fortasse commotus Patriarcha statutæ reformationi, quam pridem susceperat, dare manum ulterius denegavit.

Redacto interea numero Conventualium *citra numerum quatuor*, Episcopus Paphensis *adhærens dispositioni Apostolicæ* jubenti, ut quandocunque numerus Conventualium ad quatuor deveniret, tunc Monasterium *uniri deberet*, *reintegrari*, *& in unum reduci; conspiciens etiam bonam mentem trium Monialium Conventualium superstitum velle ingredi Observantiam* prout fecerunt; authoritate sibi a Pontifice concessa *Monasterium prius separatum univit & in unum reduxit*, *& observantiam tantum Monialium nominari mandavit*. *Acta hæc fuerunt*

in

in Ecclesia S. Mariæ de Virginibus anno a Nativitate D. N. J. C. millesimo quingentesimo trigesimo septimo, Indict. X. die vero XXVIII. mensis Decembris (M 3).

In ipso reformationis exordio, ut dictum est, Antonius Patriarcha nonnullas Moniales tam professas, quam sorores (Conversas vocant) e Claustris S. Justinæ ad hoc Monasterium deduxerat, quæ relicto eo, quo prius utebantur habitu grisei coloris, vestem Canonissarum albam (*non facta distinctione habitus Monialium de Offitio, & Conversarum prout ante reformationem fuerant*) susceperunt. Ex hac vestium paritate in superbiam elatæ sorores, cum minus prudenter se agerent, pateretque occasio scandalis, unde bona Monasterii fama carperetur, Abbatissa & Moniales Apostolicam Sedem obsecrarunt, ut quod Monasterium authoritate sua reformaverat, id quoque ab omni mali suspicione vellet esse liberum. Juberet itaque sorores non professas nigro uti indumento, quo a Sanctimonialibus discriminarentur, hoc enim & ante reformationis tempora in usu erat, sicque fiet, ut quæ hactenus perfecte ordinata fuerant, diutius perseverarent. Monialium supplicationem excepit Antonius Cardinalis Episcopus Albanensis, atque *auctoritate D. Papæ cujus pœnitentieriæ curam gerebat & de ejus speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo ei facto*, decrevit, ut *Moniales Conversæ de cætero in habitu nigro ad differentiam, & non albo ad instar Monialium professarum perinde ac prout ante reformationem deferre solebant, incederent*. Latum fuit Decretum die II. Novembris anno 1541. ac deinde die XI. Augusti anni subsequentis confirmatum. Ambo autem executioni mandata fuerunt die I. Octobris anno 1543. per Hieronymum Barbadicum Ecclesiæ S. Marci Primicerium, Judicem & Apostolicum Commissarium, cujus mandatis sorores omnes obtemperarunt, una excepta cui magis e monasterio exire placuit, quam vestem candidam cum atra commutare (N 3).

Novis dissensionibus inter Sanctimoniales subinde exortis Paulus Papa III. supralaudatum Episcopum Paphensem, cujus prudentiam in perficienda reformatione experimento probaverat, Visitatorem, & Delegatum Apostolicum, dum in vivis ageret, ad Virgines in regulari disciplina continendas destinavit anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo die VIII. Decembris, a cujus officii onere ipsum postea Apostolica autho-

thoritate liberavit datis litteris ad Hieronymum Barbadicum Ducalis Ecclesiæ Primicerium die VI. Aprilis anno millesimo quingentesimo quadragesimo tertio (O3).

Anno deinde millesimo quingentesimo quadragesimo octavo die XX. Augusti ipsemet Pontifex omnia & singula privilegia a Summis Pontificibus Monasterio concessa amplissimo diplomate confirmavit, mandavitque insuper Cesenatensis & Tarvisini Episcoporum Vicariis, ut apostolicas litteras publicari & observari curarent: hæc autem omnia novæ confirmationis munimine roboravit die XIX. Octobris ejusdem anni (P3).

Præcessorum suorum munera eximio beneficio cumulavit Julius hujus nominis Papa III. siquidem Parochialem Ecclesiam S. Odorici de Musestre in agro Tarvisino positam, quam Nicolaus de Dominis Ecclesiæ Cathedralis Tarvisinæ Decanus obtinebat, *ipsius ad id expresse accedente consensu* Monasterio S. Mariæ de Virginibus perpetuo uniri, & unitam fore decrevit Apostolicis litteris Romæ datis die IV. Septembris anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo (Q3). Anno deinde sequenti die XVII. Decembris Nicolaus Venerius Episcopus Balneoregiensis apostolicas ejusdem Julii litteras, quibus detentores bonorum ad Monasterium S. Mariæ de Virginibus pertinentium ad restitutionem per ecclesiasticas censuras compellebantur, publicari jussit, & exequutioni mandari (R3).

Quas Paulus III. confirmatione Apostolica roboraverat Monasterii exemptiones, & immunitates, easdem novo diplomate munivit Paulus etiam hujus nominis Papa IV. die II. Martii anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo (S3); iisdem omnino verbis Pius Papa IV. die XXII. Januarii anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto Apostolicas litteras dedit, quas una cum Nicolai Papæ V. diplomate ad supplicationem Abbatissæ & Sanctimonialium executioni mandavit *Flavius Ursinus Episcopus Muranus Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, & quarumcunque litterarum Apostolicarum universalis exequutor* (T3).

E' vivis excessit anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo Sophia Abbatissa, quæ difficillima Monasterii negotia prudenter ad optatum usque exitum perduxerat. In ipsius locum Sanctimoniales *concorditer & nemine penitus discrepante* suffecerunt Mariam de Benedictis (*Benetti*), cujus electio per Gre-

Gregorium XIII. approbata fuit datis Tusculi epistolis die 5. Aprilis ejusdem anni millesimi quingentesimi septuagesimi octavi (V 3).

Pari diplomate Clemens VIII. Sophiam Maripetro in Abbatissam approbavit die II. Januarii anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono cujus exequutionem Patriarchæ Venetiarum & Episcopo Amerino, & Vicario Ecclesiæ S. Marci Venetiarum per apostolica jussa demandavit. Porro cum iisdem omnino verbis, & clausulis conceptum sit, ut superius allatum Gregorii XIII. quibus & in subsequentibus electionibus usi sunt successores Pontifices, ne rerum series inutili mole gravetur ipsum æque, ac subsequentia censeo esse omittenda.

Monasterii regimen administrante Maria de Benedictis Clemens Papa VIII. ad preces Marini Grimani Ducis Venetiarum *Monasterii curam, & gubernium* demandaverat Aloysio Molino Tarvisino Episcopo in educandis sacris Virginibus (ut refert Ughell. Tom. V. col. 572.) laude prudentiæ præstantissimo. Huic victa functo idem Pontifex supradicto Duce postulante successorem dedit Joannem Theupolum Ecclesiæ S. Marci Primicerium, missis ad eum epistolis die IV. Decembris anno millesimo sexcentesimo quarto (X 3). Anno deinde sequenti Paulus Papa V. qui Clementi post Leonem XI. in Pontificatu successerat, Indulgentias Ecclesiæ S. Mariæ de Virginibus pro diebus prima, & secunda Maii perpetuo concessas, iterum perpetuo valituras, sublata tamen clausula porrigendi manus adjutrices, elargitus fuit (Y 3).

Anno millesimo sexcentesimo quintodecimo die XXI. Martii Paulus V. Belingerio Gypsio Episcopo Ariminensi suo apud Venetos Legato, atque Joanni Theupolo Ducalis Ecclesiæ Primicerio, & Vicario Generali Torcellano per Apostolica scripta mandavit, ut Virginiam Quirinam Sophiæ defunctæ substitutam in administrationis possessionem inducerent. Septennio mox elapso Gregorius X. electionem Aureliæ Quirinæ per Apostolicos Delegatos Laudivium Episcopum Phisconis Montis Apostolicum Legatum, Marcum Antonium Cornelium Basilicæ S. Marci Primicerium, & Vicarium Episcopi Torcellani confirmari decrevit die XIX. Novembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo.

Adriana Mocenigo in defunctæ Aureliæ locum sufficitur, cujus

cujus electio ficuti & fubfequentium Abbatiffarum Nuntio Apoftolico & Primicerio S. Marci demandata fuit, ut confirmaretur. Confirmata fuit Adriana ex Urbani VIII. Diplomate dato die XVII. Octobris anno millefimo fexcentefimo vigefimo feptimo.

Monafterii gubernium Joanni Theupolo, dum Primicerii munere fungeretur, ex Clementis VIII. Decreto demandatum apud ipfum etiam in Patriarchali dignitate conftitutum perfeveravit; eo autem viam univerfæ carnis ingreffo Urbanus VIII. Francifcum Juftinianum olim Epifcopum Tarvifinum, fuum, & Apoftolicæ Sedis Delegatum Monafterio præfecit anno millefimo fexcentefimo trigefimo quarto, die vero XXVII. Aprilis, eique mortalitatem exuto fuccedere juffit Petrum Epifcopum Sithienfem die V. Julii anno millefimo fexcentefimo quadragefimo fecundo (Z 3). Ex horum Diplomatum chronicis notis augendæ, & corrigendæ veniunt adnotationes ad Ughell. in Epifcopis Tarvifinis Tom. V. col. 572.

Gabriella Molino per Innocentium Papam X. confirmatur die VII. Aprilis MDCL.

Helena Priolo per Clementem Papam IX. die XXVII. Julii MDCLXVII.

Ifabella Benzono per ipfum Clementem IX. die V. Januarii MDCLXIX.

Gratia Contarena per Clementem Papam X. die XXVIII. Februarii MDCLXXIV.

Maria Jucunda Contarena per Innocentium XI. die XXII. Februarii MDCLXXXIII.
Obiit 21. Decembris MDCLXLIII.

Maria Diana Grimana electa die XXX. Januarii MDCLXLIII. More Veneto confirmata per Innocentium Papam XII. Obiit 26. Jannarii MDCCXVI. M. V.

Maria Blanca Delphina electa die XVII. Aprilis MDCCXVII. confirmatur a Clemente IX. Obiit XI. Nov. MDCCXXXVI.

Gabriella Marcello electa die IV. Februarii MDCCXXXVI. M. V. confirmata a Clemente XII. Ob. XVI. Decemb. MDCCXLII.

Maria Seraphina Bragadena electa die XIV. Febr. MDCCXLII. confirmatur a Benedicto XIV.

Ad augenda Clariffimi Monafterii ornamenta ftatutum eft ex P. C. Decreto diei 23. Aprilis anni 1613. ut Ecclefia Virginum

num die I. Maii solemni pompa a Principe, comitante Senatu, singulis recurrentibus annis inviseretur; quod ad nostra usque tempora religiose perseverat.

Celebris Imago Deiparæ, quam in sanitatibus elargiendis beneficam devotio populorum testatur, in Ecclesia colitur, quæ imago in Jerosolimitana Mariæ Virginis æde, ut prisca traditio refert, prius culta per Zilium de eadem Petri Ducis Fundatoris gente Venetias deducta est, inque Virginum æde collocata. Multis præterea Sanctorum lipsanis decoratur, quorum insigniora sunt Pes S. Johannis Calybitæ, Manus S. Theodori Heracleensis Mart. Os S. Jacobi intercisi Mart. & tria præterea Sanctorum Martyrum Corpora e Cryptis Romanæ Urbis, appositis Magni, Pii, & Honorati nominibus, extracta.

Qua die consecrata fuerit Ecclesia, addiscimus ex hac Epigraphe:

Consecratio hujus Ecclesiæ celebratur die XX. Mensis Junii.

Fundationem quoque & instaurationem edocet alia marmori insculpta epigraphe, de cujus fide, quantum ad fundationem attinet, jam disseruimus superius.

„ Templum hoc ab Alex. III. Pont. Friderico Barbarossa
„ Imp. Sebastiano Ziano Venet. Principe M. C. LXXVII. Fun-
„ datum; a Julia ejusdem Imperatoris filia prima Abbatissa
„ rectum; Maria Electa Benetti Patrit. Venet. Abbatissa in-
„ staurandum & amplificandum mandavit. Apollonio Massa Phi-
„ losopho, ac Monasterii Medico, & Procuratore consulente,
„ atque procurante. M. D. LXXXI. Kal. Augusti.

Novem Altaria in Templo erecta visuntur, quorum præcipua magnificentissimo opere magnisque impensis elaborata sunt hæc: Majus Divinæ Eucharistiæ Sacramentum asservans, in quo tabernaculum ex pretiosis lapidibus exsurgit, aliud Deiparæ Virgini titulo Rosarii, tertium denique e regione Crucifixo Domino dedicata.

Gre-

Gregorius IX. confirmat privilegium immunitatis concessum Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus a Poteſtate & Conſilio Paduanis.

A.

1232. 14. Januarii.

Ex Authographo in Archivo Monaſterii S. Mariæ de Virginibus.

GRegorius (*a*) Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Priori, & Conventui Sanctæ Mariæ Novæ de Venetiis Ordinis S. Marci Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum a nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis ut id per ſollicitudinem offitii noſtri ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu privilegium libertatis, & immunitatis a J. (*b*) quondam Poteſtate, & conſilio Paduano pia vobis, & Eccleſiæ veſtræ liberalitate conceſſum cujus tenorem de verbo ad verbum præſentibus præcepimus annotari vobis, & eidem Eccleſiæ auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor autem ejusdem privilegii talis eſt: In nomine Domini Dei æterni. Anno ejusdem nativitatis 1229. Indict. II. die XII. exeunte Septembris Præſentibus Domno Jordano (*c*) Priore S. Benedicti de Padua, Domno Siginzello de Bon. Judice, & Aſſeſſore infraſcripti Dom. Joannis Dandulo Paduæ Poteſtatis dominis Petrogna Bogodano de Jadera milit. Poteſt. Homobono de boto Axaxoardo qui fuit de Sancta Juſtina in collo marco qui fuit de Peraga Notariis, & aliis. Dominus Joannes Dandulus Paduanorum Poteſtas de voluntate totius conſilii Paduani ad ſonum campanæ more ſolito congregati nullo contradicente ſtatuit, & firmavit, & Domino Ugolino qui fuit de Bononia Priori S. Mariæ de Virginibus de Venetiis pro dicto Monaſterio, & ſe, & ſucceſſoribus ſuis recipienti, & hoc ſibi, & dicto Monaſterio pietatis, & miſericordiæ intuitu a communi prædicto fieri poſtulanti conceſſit pro Paduano communi, ut ipſe Prior, & ſui ſucceſſores poſſint, & debeant ſemper tam tempore pacis, quam diſcordiæ, ſeu guerræ Venetias ad Monaſterium ipſum defferre libere, & portare omnes redditus, atque fruges terrarum, & poſſeſſionum cunctarum, quas dictum Monaſterium S. Mariæ de Virginibus habet, (*d*) & habebit in Paduano diſtrictu ſine contradictione alicujus perſonæ; non obſtante aliquo banno, ſeu interdicto facto, ſeu quod aliquo tempore fieret quoquo modo inter commune Paduanum, & commune Venetiarum; Et ut prædicta ſcribantur, & ponantur in ſtatuto communis Paduæ, de voluntate dicti Conſilii ſtatuit, & præcepit. Actum Paduæ in Communis Palatio in Camera conſuetorum conſiliorum congregati. Ego Ægidius de ponte longo ſacri Palatii Notarius exiſtens in offitio ſigilli prædictis interfui, & juſſu Poteſtatis, & conſilii ſcripſi. Nul-

(*a*) Gregorius IX. electus fuit die 20. Martii anno 1227. ſucceſſit Honorio III.
(*b*) Joannes Dandulus Poteſtas Paduæ, de quo inferius.
(*c*) Celebre eſt nomen B. Jordanis Prioris S. Benedicti de Padua Ordinis Camaldulenſis qui ob perſecutionem immaniſſimi Eccelini Venetiis obiit apud Cœnobium Sanctæ Mariæ ad Cæleſtia.
(*d*) Prædia hæc empta fuerant ex ea pecunia, quam ipſe Pontifex Monaſterio huic dono obtulerat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ (a) XIX. Kal. Febr. Ponti ficatus nostri anno VI.

(a) Aliud hujus Pontificis diploma datum Anagniæ anno VI. visitur in Bullario Romano edit. noviss. Tom. III. pag. 277.

Gregorius IX. liberat bona Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus ab onere decimarum.

B.

1232. 14. Januarii.

Ex Authographo in Monasterio S. Mariæ de Virginibus.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Priori, & Conventui Sanctæ Mariæ Novæ in Jerusalem de Venetiis Ordinis S. Marci salutem, & Apostolicam Benedictionem. Annuere consuevit Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis precibus inclinati nequis de novalibus ortis & virgultis vestris piscariis & molendinis, ac vestrorum animalium nutrimentis a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat auctoritate præsentium districtius inhibemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc atemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ XVIIII. Kal. Februarii Pontificatus nostri anno VI.

Gregorius IV. Monasterio S. Mariæ Novæ, seu de Virginibus præficit visitatores ex ordine S. Marci de Mantua, atque alterius ordinis visitatores revocat.

C.

29. Aprilis 1234.

Ex Authographo in Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis ... S. Marci Mantuani. S. Spiritus Veronensio & S. Thomæ Vincentino Prioribus Ordinis Sancti Marci. Salutem & Apostolicam benedictionem. Litteras quas nobis vestra devocio destinavit benignitate recepimus consueta, & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter. Ceterum quod Monasterii S. Mariæ Novæ in Jerusalem de Veneziis visitatores quosdam duximus deputandos non egre feratis cum pro-

propter hoc factum fuerit, quia quædam nobis insinuata fuere, quæ per Dei gratiam non esse vera sunt facta inquisitione reperta. Quia vero monasterium ipsum specialis prærogativæ brachiis amplexamur quicquid ad conservationem status ipsius pertinere dinoscitur quadam manu sollicitudinis volentes congruis subsidiis procurare, volumus & mandamus, ut eidem monasterio juxta instituta vestri ordinis visitationis officium de cœtero impendatur, confessiones etiam secundum instituta eadem audiantur aliis visitatoribus & confessoribus alterius ordinis, qui ad hoc auctoritate nostra deputati dicuntur, penitus revocatis. Et quia quidam ex Fratribus & Sororibus ipsis obedire Priori suo, sicut accepimus, contradicunt, cum ex eorum arbitrio si in hoc deferretur, eisdem Prioris destitutio dependeret eos ad exhibendam dicto Priori obedientiam, & reverentiam debitam per visitatores ejusdem ordinis induci volumus & si opus fuerit ecclesiastica censura compelli. Datum Laterani III. Kal. Maii. Pontificatus nostri anno octavo.



Gregorius IX. decernit, ne quis adversus Monasterium S. Mariæ de Virginibus excommunicationem promulgare præsumat.

D.

1238. 1. Junii.

Ex Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Priori, & Conventui S. Mariæ Novæ in Jerusalem de Venetiis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, & vota, quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Sane cum Monasterium vestrum juris, & proprietatis Beati Petri existat, & nulli alteri præterquam Romano Pontifici subjectum, Nos vestris precibus inclinati auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis preter mandatum Sedis Apostolicæ in vos, vel Monasterium ipsum excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgare presumat. Quod si secus fuerit attemptatum sententias ipsas decernimus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc atemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli se noverit incursurum.

Datum Laterani Kal. Junii Pontificatus nostri anno XII.

Petrus

Petrus Pinus Episcopus Castellanus partem paludis de jure Castellanæ Ecclesiæ concedit ad dilatationem Monasterii Sanctæ Mariæ in Jerusalem, seu de Virginibus.

E.

1239. 29. Decembris.

Ex Archivo Patriarchali.

ANno Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono Indicione decima die tercio exeunte mensis decembris. Presentibus Thoma Francho, Michaele marignoni, Jacobo bellegno (*a*) Canonicis S. Marci, presbitero Dominico S. Agnetis, presbitero Dominico S. Paterniani, presbitero Dominiço Caravello plebano S. Gervasi notario, & multis aliis clericis & laicis. Cum Dominus Petrus (*b*) Dei gratia Episcopus Castell. esset cum Domino Jacobo Teupolo Dei gratia duce venecie, & ejus consillariis in ducali palacio, idem Dominus Dux pro se suoque consilio, tam majori, quam minori, & pro officialibus Communis Veneciarum, videlicet quadraginta, & etiam pro toto Communi Veneciarum affectuose, & cum magna instancia rogavit prefactum Dominum Episcopum, ut permitteret & assentiret atque concederet, quod prior & fratres, atque sorores monasterii S. Marie in Jerusalem castellane diocesis allevarent de palude, que est justa ipsum monasterium, pro ortis, & aliis suis necessitatibus faciendis dicens, quod si in hoc Dominus Episcopus preces, quas sibi faciebat, exaudiret, multum faceret ei, & consilio suo & toto communi veneciarum ad plaser, (*c*) & quod multum haberetur pro bono, & esset ei, & toti Veneciarum gratum plurimum & acceptum. Cui prenominatus Dominus Episcopus, sic respondit, Domine Dux, licet preces, quas nobis facitis, gravent nos & Ecclesiam Castellanam, vid. ut permittamus & concedamus, quod dicti prior & fratres, atque sorores predicti monasterii possint allevare de predicta palude ad Castellanam Ecclesiam pertinente, tamen ut sciatis, quia preces vestras & Communis Veneciarum cupimus exaudire, & specialiter preces Santissimi Patris & Domini Pape Gregorii (*d*), qui super hec etiam suis literis nos rogavit. Nos permittitimus, atque concedimus, quod prenominati Prior, fratres & sorores monasterii S. Mariæ in Jerusalem possint allevare de predicto pallude ad Ecclesiam castellanam spectante secundum (*e*) presam, quam fecerunt & non plus. Quam responsionem Dominus Dux acceptavit dicens, quod bona erat, & ei placebat, sed adhuc vellet quod esset plenior. videlicet quod pertaxati prior fratres & sorores possent allevare de dicto pallude, & secundum presam quam fecerunt, & plus ad voluntatem suam. Cui Dominus Episcopus respondit, quod non consentiebat nec permittebat, neque concedebat eis quod allevarent nisi secundum presam quam fecerunt. Cui responsioni Dominus Dux assensit, & eam acceptavit, & ratam habuit. Actum fuit in comuni palacio. Ego Petrus benevenutus sacri palacii Notarius his interfui, scripsi, complevi & roboravi.

(*a*) Jacobus Bellegno de quo dictum est in Ecclesia S. Bartholomæi, & fusius in Patriarchis Gradensibus. (*b*) Petrus Pinus Episcopus Castellanus.
(*c*) Quod ipsi duci, & Communi Venetiarum placeret.
(*d*) Gregorius IX. de hac rescripserat ad Petrum Episcopum, Pontificiæ tamen litteræ injuria temporum perierunt.
(*e*) *Secundum presam quam fecerunt*, idem est ac secundum portionem, quam signaverant.


Gregorius IX. eximit ab onere decimarum prædia acquisita de pecunia, quam ipse dederat Monastario Sanctæ Mariæ Novæ de Virginibus.

F.

1239. 4. Januarii.

Ex Autographo in Archivo Monasterii.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei: Dilectis filiis Priori, & Conventui S. Mariæ Novæ in Jerusalem de Venetiis Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Devotionis vestræ præcibus inclinati, ut de tredecim mansis terræ Paduanæ diecesis a vobis emptionis titulo aquisitæ de pecunia, quam Monasterio vestro dedimus intuitu pietatis nulli decimas solvere teneamini vobis auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani II. Non. Januarii Pontificatus nostri anno XIII.



Innocentius IV. Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus immunitates & exemptiones confirmat.

G.

1253. 4. Septembris.

Ex Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

INnocentius (*a*) Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Priori, & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis ad Romanam Ecclesiam nullo, sicut dicitur, medio pertinentis. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est, & honestum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem offitii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Monasterio vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus & principibus, & vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate vobis apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc atemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii II. Nonas Septembris Pontificatus nostri anno X.

(*a*) Innocentius IV. anno 1243. die 24. Junii electus Pontifex Perusii degens anno 1253. solemnem peregit apotheosim S. Petri M. Ord. Prædicat.

Alexan-

Alexander IV. immunitates a prædecessoribus Romanis Pontificibus Monasterio S. Mariæ de Virginibus concessas confirmat.

H.

1256. 9. Aprilis.

Ex Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

ALexander (*a*) Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Priori & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetis Ordinis S. Marci ad Romanam Ecclesiam, ut dicitur nullò modo pertinentis Castellanæ Dioecesis Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Monasterio vestro concessas, nec non & libertates, & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus & Principibus, vel aliis Christifidelibus rationabiliter vobis indultas sicut ea omnia juste ac pacifice obtinetis vobis, & per vos eidem monasterio, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani v. Idus Aprilis Pontificatus Nostri Anno secundo.

(*a*) Alexander IV. electus anno 1254. die 21. Decemb. Obiit die 25. Maii anno 1261.



Alexander IV. Monasterium Sanctæ Mariæ de Virginibus liberat ab onere Decimarum.

I.

1259. 16. Decembris.

Ex Archivo S. Mariæ de Virginibus.

ALexander Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis. Priori, & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis S. Marci Mantuani Salutem & Apostolicam benedictionem. Monasterio vestro, quod sicut intimantibus vobis accepimus, olim a fel. record. G. Papa predecessore nostro de bonis Ecclesiæ Roman. dotatum gravi debitorum sarcina præmitur paterno compatientes affectu auctoritate præsentium districtius inhibemus ne quis de terris, & possessionibus vestris, quas propriis manibus, aut sumptibus colitis decimas a vobis exigere, vel extorquere præsumat. Nulli ergo &c. Datum Anagniæ XVII. Kal. Januarii Pontificatus Nostri anno quinto.

Ale-

Alexander IV. liberat bona Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus a solutione Quartesiorum.

K.

1260. 10. Decembris.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

ALexander Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Priori, & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Veneciis Ordinis S. Marci Mantuani salutem, & Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Cum igitur, sicut petitio vestra nobis exhibita continebat, ut de terris, & possessionibus vestris, quas propriis manibus, aut sumptibus colitis nulli decimas solvere teneamini vobis a Sede Apostolica sit indultum, nos vestris supplicationibus inclinati, ut de quibusdam possessionibus, quas sicut asseritis in Tervisina Diœcesi obtinetis, quasque propriis manibus & sumptibus colitis, etiam si illi, a quibus eædem possessiones ad vos pervenerint, ratione ipsarum decimas, quæ quartesium vulgariter nuncupantur aliquando solverint, nulli decimas solvere teneamini, vobis auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Laterani v. Idus Decemb. Pontificatus nostri anno sexto.



Clemens Papa IV. hortatur Tarvisinos, ut reditus Monasterii S. Mariæ de Virginibus libere linquant ad ipsum Monasterium deferri.

L.

1267. 5. Aprilis.

Ex Archivo Sanctæ Mariæ de Virginibus.

CLemens Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Nobili Viro... potestati (*a*) & Consilio Tarvisino Salutem, & Apostolicam benedictionem. Certum habentes a Domino, qui se in suis sperni famulis & assumi sacro eloquio asserit de retributione promissa, religiosas personas ejus specialiter obsequiis deputatas benignis debetis respicere oculis, & in concessa eis libertate fovere. Cum igitur Monasterium S. Mariæ de Virginibus de Venetiis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens Ordinis S. Marci Mantuani quasdam possessiones in vestro districtu Tervisina Diœcesi habeat, sicut nobis dilecti filii... Prior, & Conventus ipsius Monasterii significare curarunt, universitatem vestram rogamus, & hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus attendentes quod bona ecclesiarum libera debent esse a qualibet

(*a*) Anno 1267 (ut affert Bonifacius Hist. Tarvis. edit. Venetæ anni 1744. lib. VI. p. 225.) Tarvisii Potestas erat Philippus Belegno Nobilis Venetus.

libet publica servitute, quodque idem Prior, & Conventus vos possunt, cum multum valeat deprecatio justorum, assiduis orationum suarum juvare suffragiis apud Deum, proventus possessionum ipsarum ad Monasterium ipsum deferri quandocunque oportuerit libere pro divina & nostra reverentia permittatis, prohibitionis edito aliquo non obstante, vestras ipsis Priori, & Conventui super libertate hujusmodi patentes litteras, saltem secundum formam quam a Communi Paduano habere se asserunt concedendo. Ita quod dictorum Prioris & Conventus adjuti orationibus æternum judicem in extremo examine propitium sentiatis, & nos devotionem vestram exinde dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Viterbii Nonis Aprilis Pontificatus nostri anno tertio.



Gregorius X. concessa a Summis Pontificibus privilegia Monasterio S. Mariæ de Virginibus confirmat.

M.

1272. 3. Maii.

Ex Archivo Sanctæ Mariæ de Virginibus.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis... Priori, & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis S. Marci Mantuani Castellanæ Diœcesis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est, & honestum tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter Dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris sive per privilegia, seu alias indulgentias vobis, & Monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus, & Principibus, aliisque Christifidelibus rationabiliter vobis, seu Monasterio prædicto indultas sicut eas juste ac pacifice obtinetis vobis, & per vos eidem Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Laterani v. Nonas Maii Pontificatus Nostri Anno Primo.

Gre-

Gregorius X. ut Prior Monasterii S. Mariæ de Virginibus ab Abbatissa ejusdem Monasterii confirmetur Apostolica auctoritate decernit, aliaque privilegia confirmat.

N.

9. Aprilis 1274.

Ex Archivo Sanctæ Mariæ de Virginibus.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & Conventui monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis ordinis S. Marci Castellanæ Diocesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum a Nobis petitur quod justum est, & honestum tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem offici nostri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat; Quod dilecti filii Prior, & Diffinitores capituli generalis, ac universum Capitulum S. Marci volentes vobis intuitu dilecti Filii Nobilis Viri.... (a) Ducis Venetiarum Monasterii vestri patroni gratiam facere specialem, vobis auctoritate propria concesserunt, ut cum dictum monasterium, in quo existunt secundum instituta prædicti ordinis Abbatissa & Conventus, ac Prior, & Fratres ordinis memorati, Priore vacaverit, & Fratres ipsius Monasterii priorem elegerint, antequam ellectio publicetur vester requiratur assensus. Et sic demum cum consensu vestro ad publicationem hujusmodi procedatur. Concesserunt insuper vobis, ut ejusdem Monasterii thesaurus in custodia vestra consistat, & omnes redditus ad manus vestras debeant pervenire, & quod vos uni ex fratribus Monasterii, qui Massarius vulgariter appellatur, denarios exhibeatis ad expensas domus necessarias faciendas, & idem massarius de receptis denariis, & expensis factis coram Priore, & Fratribus rationem reddat, quam vobis postmodum assignetur. Concesserunt etiam vobis, ut bona immobilia dictæ domus sine conscientia, & consensu vestro vendi, & alienari non debeant, nec alicubi alii comparari sine vestro consilio, & consensu, prout in litteris super hoc confectis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati quod super præmissis providere factum est ratum, & firmum habentes id auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni (b) v. Idus Aprilis Pontificatus Nostri anno Quarto.

(a) Laurentius Theupolus Dux Venetiarum.
(b) Gregorius X. Lugduni accesserat ut Concilium Oecumenicum ex ordine XII. celebraret.

Gre-

Gregorius X. Capitulum Generale S. Marci de Mantua admonet, ne ad regendum Monasterium S. Mariæ de Virginibus nimium Fratrum numerum destinet.

9. Aprilis 1274.

Ex Archivo Sanctæ Mariæ de Virginibus.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis... Priori, & Capitulo generali Ordinis S. Marci Salutem & Apostolicam Benedictionem. Fel. rec. Gregorius Papa prædecessor noster tunc Episcopus Ostiensis, & in Lombardiæ partibus Apostolicæ Sedis Legatus... Monasterium Monialium B. Mariæ de Virginibus in Civitate Venetiarum, sicut accepimus, constituens, & cupiens ut Moniales ipsæ ducatus vestri munitæ præsidio per quod a venantium ereptæ laqueis pervenire possint ad patriam perpetuæ claritatis, eas vobis, & ordini vestro submisit, atque vos aliquos fratres dicti ordinis poneretis ibidem, qui dictis monialibus divina officia celebrarent, & ipsas salutaribus instituerent disciplinis. Ideoque universitatem vestram rogamus, & ortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, ut tot & tales fratres ponatis in monasterio supradicto, quod dictum monasterium ex superflua multitudine non gravetur, & ex expensarum conversione scandalum nequeat generari, sed fructus laudabilis perveniat animarum. Datum Lugduni v. Idus Aprilis. Pontificatus nostri anno quarto.



Calixtus III. innovat concessionem Nicolai Papæ IV. qua Ordo S. Marci de Mantua, & loca ei subjecta ab omni Ordinariorum jurisdictione eximuntur, & S. Sedi immediate subjiciuntur.

O.

1289. 28. Martii Privilegium concessum.

1457. 26. Januarii innovatum.

Ex Autographo in Archivo Sanctæ Mariæ de Virginibus.

CAlixtus Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis universis Vicariis generalibus, & fratribus Ordinis S. Marci de Mantua salutem & apostolicam benedictionem: Sacræ religionis, sub qua devotum, & sedulum exhibetis altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris præsertim, quæ vestram, & dicti ordinis utilitatem concernunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. vestris itaque in hac parte supplicationibus inclinati litteras fel. record. Nicolai Papæ IV. predecessoris Nostri vobis olim concessas, quas in Camera Apostolica diligenter inspici & presentibus de ver-

... incipiant vetusta- ... auctoritate A- ... innovamus, ... patrocinio commu- ... nullum jus vo- ... denuo acquiri vo- ... tantummodo con- ... vero dictarum littera-

... Episcopus Servus Servorum ... Priori, & Conventui ... S. Marci de Mantua ordinis ... Sancti, Salutem & Apostolicam ... Dignum & honestati con- ... esse dinoscitur, ut quo ad Ec- ... regimen Domino disponente ... sumus eas, & a pravorum ho- ... morsibus tueamur, & B. Petri, atque Apostolicæ Sedis patrociniis mu- niamus. Eapropter Dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clemen- ter annuimus personas, monasterium, & loca sibi subjecta in jus, & proprieta- tem B. Petri suscipimus, atque nostram, & presentis scripti privilegio communimus personas, monasterium & loca sibi subjecta ab omni jugo, & jurisdictione, lege juris- dictionis & diocesana Archiepiscoporum, Episcoporum, Archidiaconorum, & quo- rumlibet ordinariorum penitus eximi- mus; statuimus etiam, ut Monasterium loca sibi subjecta & ipsæ personæ tan- tum Romano Pontifici sint subjectæ di- strictius inhibentes, ne quis Archiepis- copus, Episcopus, seu quilibet alius ju- dex ordinarius in monasterium loca si- bi subjecta, seu ipsas personas excom- municationis, suspensionis, vel interdi- cti sententiam promulgare, aut in eis correctionis, vel visitationis officium, seu jurisdictionem aliquam exercere, vel personas ipsas ad Synodum vocare, seu exactiones aliquas, vel collectas e- xigere, vel extorquere præsumat, non obstante si aliqui Archiepiscopi, Epis- copi contra personas ipsas, monasterium, & loca prædicta sibi subjecta moveant quæstionem decernendo hujusmodi sen- tentias si quas in personas, monasterium, & loca prædicta per Archiepiscopos, Episcopos, Archidiaconos, & judices ordinarios contra inhibitionem hujus- modi promulgare contigerit, irritas & inanes, & predictas personas ad ob- servationem predictarum sententiarum aliquatenus non teneri. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve per- sona hanc nostram constitutionis pagi- nam sentiens, contra ipsam temere ve- nire tentaverit, secundo, tertioque commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, omni dignita- te careat, reamque se Divino judici existere de perpetrata iniquitate cogno- scat, & a Sacratissimo Corpore, & San- guine Domini Nostri Jesu Christi alie- na fiat, atque in extremo examine sub- jaceat ultioni. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem v. Kal. Aprilis Pon- tificatus nostri anno secundo. Nulli er- go omnino hominum liceat hanc pa- ginam nostræ innovationis, commuta- tionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis au- tem hoc attemptare præsumpserit indi- gnationem Omnipotentis Dei, & Bea- torum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Do- minicæ 1457. septimo Kal. Febr. Ponti- ficatus nostri anno tertio.

Hoc est exemplum quarumdam pa- tentium litterum sumptum & exempla- tum per me Paulum Lenzi Notarium infrascriptum ab authenticis, & origina- libus litteris Sanctissimi in Christo Pa- tris, & Domini Nostri Domini Calixti Divina providentia Papæ III. Datum Ro- mæ anno Incarnationis Dominicæ 1457. Kal. Februarii Pontificatus ejusdem an- no Tertio. Bullatis Bulla plumbea pen- denti more Romanæ Curiæ ad cordu- lam siricam rubei coloris non viciatis, non cancellatis, neque in aliqua earum parte suspectis, & insinuatum fuit Egre- gio Viro D. Blasio de Leonardis Judice Ordinario pro tribunali sedente instan- te D. Bartholomeo de Grasolariis No- tario infrascripto posito Rivoalti, & in ejus presentia per me Paulum Lenzi, & egregios Viros D. Bartholomeum de Grasolariis, & D. Bertucium Trioli de Venetiis Notarios infrascriptos cum præ- dictis authenticis & originalibus litteris dili-

diligenter attente, & fideliter ausculta-tum, & quia ipse D. Blasius de Leonardis judex ordinarius prædictus invenit, & cognovit ipsum exemplum cum predictis authenticis, & originalibus litteris per omnia concordare, ideo ad robur fidem & credulitatem ipsius exempli suam auctoritatem interposuit, & decretum mandans ipse D. Judex prædictis s. Bartholomeo de Grassolariis, & s. Bertucio de Triolis ac mihi Paulo Lenzi Notariis infrascriptis, & jam dictis, quod debeamus nos subscribere cum appositione signorum nostrorum ad robur, fidem & credulitatem ipsius exempli. Anno a Nativitate D. N. J. C. 1462. Indict. x. die vero 29. mensis madii Venetiis.

Ego Bartholomeus de Grassolariis filius quondam Antonii de Venetiis publicus imperiali auctoritate Notarius, & Judex ordinarius suprascriptum exemplum coram præfato D. Judice ordinario cum prædictis originalibus authenticis litteris Apostolicis una cum infrascriptis s. Bertucio Trioli, & s. Lenzi Notariis publicis diligenter authentice, & fideliter ausculțavi, & quia ipsum exemplum cum prædictis authenticis, & originalibus litteris inveni per omnia concordare. Ideo de mandato dicti D. Judicis ordinarii ad ipsius exempli fidem, credulitatem, & robur me subscripsi, signumque meum apposui consuetum.

Ego Bertucius Trioli de Venetiis natus egregii D. Philippi publicus Apostolica, & Imperiali auctoritate notarius judexque ordinarius suprascriptum exemplum coram prefato D. Judice ordinario cum prædictis originalibus, & authenticis litteris Apostolicis una cum suprascripto s. Bartholomeo de Grassolariis & s. Paulo Not. pub. diligenter attente, & fideliter ausculțavi, & quia ipsum exemplum cum prædictis authenticis, & originalibus litteris inveni per omnia concordare ideo de commissione, & mandato prædicti D. Judicis ordinarii ad ipsius exempli fidem, credulitatem, & robur me subscripsi sub meis signo, & nomine consuetis.

Ego Paulus Lenzi filius s. Nicolai de Venetiis publicus imperiali auctoritate Notarius, & Judex ordinarius suprascriptum exemplum a prædictis authenticis, & originalibus litteris Apostolicis Bullatis Bulla plumbea pendenti more Romanæ Curiæ sumpsi, & exemplavi fideliter nihil addens vel minuens quod sensum mutet, vel variet intellectum, & postea ipsum exemplum cum predictis authenticis, & originalibus litteris coram prædicto D. Judice ordinario pro tribunali sedente una cum suprascriptis s. Bartholomeo de Grassolariis, & s. Bertucio Trioli Not. pub. diligenter attente & fideliter ausculțavi, & quia ipsum exemplum cum prædictis authenticis, & originalibus litteris inveni per omnia concordare; Ideo de mandato dicti D. Judicis ad ipsius exempli fidem, & credulitatem, & robur me subscripsi signumque meum apposui consuetum.



bo ad verbum cum incipiant vetustate consumi inseri fecimus auctoritate Apostolica tenore presentium innovamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum jus vobis & ordini prefato denuo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo construatur. Tenor vero dictarum litterarum talis est.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Priori, & Conventui monasterii S. Marci de Mantua ordinis ejusdem Sancti, Salutem & Apostolicam benedictionem. Dignum & honestati conveniens esse dinoscitur, ut quo ad Ecclesiarum regimen Domino disponente assumpti sumus eas, & a pravorum hominum morsibus tueamur, & B. Petri, atque Apostolicæ Sedis patrociniis muniamus. Eapropter Dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annüimus personas, monasterium, & loca sibi subjecta in jus, & proprietatem B. Petri suscipimus, atque nostram, & presentis scripti privilegio communimus personas, monasterium & loca sibi subjecta ab omni jugo, & jurisdictione, lege jurisdictionis & diocesana Archiepiscoporum, Episcoporum, Archidiaconorum, & quorumlibet ordinariorum penitus eximimus; statuimus etiam, ut Monasterium loca sibi subjecta & ipsæ personæ tantum Romano Pontifici sint subjectæ districtius inhibentes, ne quis Archiepiscopus, Episcopus, seu quilibet alius judex ordinarius in monasterium loca sibi subjecta, seu ipsas personas excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam promulgare, aut in eis correctionis, vel visitationis officium, seu jurisdictionem aliquam exercere, vel personas ipsas ad Synodum vocare, seu exactiones aliquas, vel collectas exigere, vel extorquere præsumat, non obstante si aliqui Archiepiscopi, Episcopi contra personas ipsas, monasterium, & loca prædicta sibi subjecta moveant quæstionem decernendo hujusmodi sententias si quas in personas, monasterium, & loca prædicta per Archiepiscopos, Episcopos, Archidiaconos, & judices ordinarios contra inhibitionem hujusmodi promulgare contigerit, irritas & inanes, & predictas personas ad observationem predictarum sententiarum aliquatenus non teneri. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostram constitutionis paginam sentiens, contra ipsam temere venire tempraverit, secundo, tertioque commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, omni dignitate careat, reamque se Divino judici existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a Sacratissimo Corpore, & Sanguine Domini Nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine subjaceat ultioni. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem v. Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno secundo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innovationis, communitationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1457. septimo Kal. Febr. Pontificatus nostri anno tertio.

Hoc est exemplum quarumdam patentium litterum sumptum & exemplatum per me Paulum Lenzi Notarium infrascriptum ab authenticis, & originalibus litteris Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Calixti Divina providentia Papæ III. Datum Romæ anno Incarnationis Dominicæ 1457. Kal. Februarii Pontificatus ejusdem anno Tertio. Bullatis Bulla plumbea pendenti more Romanæ Curiæ ad cordulam siricam rubei coloris non viciatis, non cancellatis, neque in aliqua earum parte suspectis, & insinuatum fuit Egregio Viro D. Blasio de Leonardis Judice Ordinario pro tribunali sedente instante D. Bartholomeo de Grasolariis Notario infrascripto posito Rivoalti, & in ejus presentia per me Paulum Lenzi, & egregios Viros D. Bartholomeum de Grasolariis, & D. Bertucium Trioli de Venetiis Notarios infrascriptos cum prædictis authenticis & originalibus litteris dili-

diligenter attente, & fideliter auscultatum, & quia ipse D. Blasius de Leonardis judex ordinarius prædictus invenit, & cognovit ipsum exemplum cum predictis authenticis, & originalibus litteris per omnia concordare, ideo ad robur fidem & credulitatem ipsius exempli suam auctoritatem interposuit, & decretum mandans ipse D. Judex prædictis f. Bartholomeo de Grassolariis, & f. Bertucio de Triolis ac mihi Paulo Lenzi Notariis infrascriptis, & jam dictis, quod debeamus nos subscribere cum appositione signorum nostrorum ad robur, fidem & credulitatem ipsius exempli. Anno a Nativitate D. N. J. C. 1462. Indict. x. die vero 29. mensis madii Venetiis.

Ego Bartholomeus de Grassolariis filius quondam Antonii de Venetiis publicus imperiali auctoritate Notarius, & Judex ordinarius suprascriptum exemplum coram præfato D. Judice ordinario cum prædictis originalibus authenticis litteris Apostolicis una cum infrascriptis f. Bertucio Trioli, & f. Lenzi Notariis publicis diligenter authentice, & fideliter auscultavi, & quia ipsum exemplum cum prædictis authenticis, & originalibus litteris inveni per omnia concordare. Ideo de mandato dicti D. Judicis ordinarii ad ipsius exempli fidem, credulitatem, & robur me subscripsi, signumque meum apposui consuetum.

Ego Bertucius Trioli de Venetiis natus egregii D. Philippi publicus Apostolica, & Imperiali auctoritate notarius judexque ordinarius suprascriptum exemplum coram prefato D. Judice ordinario cum prædictis originalibus, & authenticis litteris Apostolicis una cum suprascripto f. Bartholomeo de Grassolariis & f. Paulo Not. pub. diligenter attente, & fideliter auscultavi, & quia ipsum exemplum cum prædictis authenticis, & originalibus litteris inveni per omnia concordare ideo de commissione, & mandato prædicti D. Judicis ordinarii ad ipsius exempli fidem, credulitatem, & robur me subscripsi sub meis signo, & nomine consuetis.

Ego Paulus Lenzi filius f. Nicolai de Venetiis publicus imperiali auctoritate Notarius, & Judex ordinarius suprascriptum exemplum a prædictis authenticis, & originalibus litteris Apostolicis Bullatis Bulla plumbea pendenti more Romanæ Curiæ sumpsi, & exemplavi fideliter nihil addens vel minuens quod sensum mutet, vel variet intellectum, & postea ipsum exemplum cum prædictis authenticis, & originalibus litteris coram prædicto D. Judice ordinario pro tribunali sedente una cum suprascriptis f. Bartholomeo de Grassolariis, & f. Bertucio Trioli Not. pub. diligenter attente & fideliter auscultavi, & quia ipsum exemplum cum prædictis authenticis, & originalibus litteris inveni per omnia concordare; Ideo de mandato dicti D. Judicis ad ipsius exempli fidem, & credulitatem, & robur me subscripsi signumque meum apposui consuetum.



Matthæus Venerio Primicerius Sancti Marci, Papæ Bonifatii VIII. Delegatus, Priorem & Fratres e Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus expulsos ad diversa designat Monasteria.

P.

1298. 5. Maii.

Ex Archivo S. Mariæ de Virginibus Venetiarum.

IN Christi nomine Amen. Die Martis quinto intrante mense Madii. Venetiis in Ecclesia S. Marci ante altare S. Petri præsentibus discretis viris Dominis Johanne Magno Plebano S. Symeonis Apostoli de Veneciis, Presbytero Johanne offitiatore dictæ Ecclesiæ S. Marci, Gambanino de Fraganzeschis de Cremona judice, Antonio Clerico de Clugia, Johanne Belino Notario de Padua, Philippo Notario filio Dom. Prandi Izici, & Johanne de Tridento domicello infrascripti Dom. Primicerii S. Marci testibus ad hæc vocatis spetialiter, & rogatis, & aliis. Reverendus vir D. Matthæus Venerio Primicerius Ecclesiæ S. Marci de Veneciis Castellanæ Diœcesis D. Papæ delegatus in hac parte sedens pro tribunali talem in scriptis protulit sententiam sic dicens: In Christi nomine Amen. Nos Mattheus Venerio Primicerius Ecclesiæ S. Marci de Veneciis Castellanæ Diœcesis Domini Papæ delegatus recepimus litteras apostolicas Sanctissimi Summi Patris Domini Bonifatii Papæ VIII. nobis præsentatas cum bulla plumbea, & filo canapis roboratas, non vitiatas, non corruptas in aliqua parte sui, sed integras, & illæsas, & auctoritate nostra in publicam formam redactas, & in hac nostra sententia de verbo ad verbum insertas formam hujusmodi continentes: Bonifatius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio... Primicerio Ecclesiæ S. Marci de Venetiis Castellanæ Diœcesis salutem, & apostolicam Benedictionem. Cum nos olim Servumdei, tunc Priorem S. Mariæ de Virginibus de Venetiis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Marci Mantuani Castellanæ Diœcesis, & alios professos ejusdem Ordinis in Monasterio ipso degentes ex certis causis ab ipso Monasterio fecerimus amoveri; Ne dilectæ in Christo filiæ Abbatissa, & Conventus ejusdem Monasterii super possessionibus, aliisque bonis, & juribus ipsius Monasterii ab ipsis Priore, & professis aliquam molestiam patiantur, seu ipsi ob necessariorum defectum per sæculum dampnabiliter in animarum suarum dispendium evagentur; volentes super hoc salubriter providere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus illos ex eisdem professis, qui collocati alibi non existant in aliquo seu aliquibus Monasteriis, sive locis ejusdem ordinis auctoritate nostra per te, vel per alium, seu alios studeas collocare. Contradicentes per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante aliqua apostolicæ sedis indulgentia cujuscumque tenoris existant, per quas præsentis mandati nostri exequutio impediri valeat vel differri, & de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in præsentibus fieri mentionem. Datum apud Urbemveterem x. Kal. Augusti Pontificatus nostri anno tertio. Unde volentes super prædicto mandato Apostolico procedere, & providere, & ipsum mandatum Apostolicum exequi, ut tenemur reverenter, ne Religiosæ sorores Abbatissa, & conventus Monialium Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Veneciis dicti ordinis Sancti Marci Mantuani ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Castellanæ Diœcesis super possessionibus aliisque bonis, & juribus ipsius Monasterii San-

Sanctæ Mariæ a Fratribus Servodeo, olim Priore, Alberto de Lamprunca olim subpriore, Delaito de Mantua, Juliano, Antoniolo de Mantua, Johanne de Este, Gerardo, & Martino olim de quondam conventu fratrum ipsius Monasterii S. Mariæ aliquam molestiam patiantur, seu ipsi ob necessariorum defectum per sæculum dampnabiliter evagentur, Christi nomine invocato sequentes apostolicum mandatum decernimus, statuimus, deffinimus, sententiamus, mandamus, & ordinamus prædictos fratres Servumdei olim Priorem, & fratrem Johannem de Este in Monasterio sive loco S. Leonardi de Verona ejusdem ordinis, & prædictos Delaitum, Julianum, Antoniolum de Mantua, & Gerardum in Monasterio, sive loco S. Marci Mantuani, & fratrem Martinum in Monasterio sive loco S. Antonii de Coneglano ejusdem sui ordinis monentes districte per hanc nostram sententiam, & mandati apostolici exequutionem Religiosos viros Priorem, diffinitores, ac universum Capitulum Generale Ordinis S. Marci prædicti Visitatores præsentes, & futuros ejusdem ordinis, ac Priorem, & Conventum S. Marci de Mantua, Priorem & Conventum S. Leonardi de Verona, & Priorem, & Conventum S. Antonii de Coneglano Ordinis S. Marci antedicti, & auctoritate qua fungimur apostolica eis, & cuilibet eorum districte precipiendo mandantes, quatenus eosdem fratres Servumdei olim Priorem, Johannem de Este, Delaitum, Julianum, & Antoniolum, Gerardum, & Martinum, & quemlibet eorum per supradicta Monasteria, sive loca dicti sui Ordinis, ut dictum est superius, & declaratum in eorum consortium, & collegium, & conventum recipi faciant, & recipiant, & sicut alios fratres, & conversos sui consortii, sive conventuum, seu conventus tractent, gubernent, & salvent cum modestia, & honore ejusdem olim Prioris, & inspecta senectute, & qualitate personæ & prioratus offitio, in quo fuit, eis, ut superius est dictum, & declaratum, & cuilibet eorum sicut cæteris de eorum consortiis, collegiis, sive conventibus, ut dictum est, necessaria ministrando meritum de obedientia mandati apostolici recepturi, & sub pena suspensionis, offitii, & benefitii ac excomunicationis in Priorem, diffinitores, & Capitulum Generale dicti Ordinis S. Marci Mantuani, & Visitatores dicti Ordinis, ac in Priorem dicti Monasterii S. Leonardi, ac in Priorem S. Marci Mantuani, ac in Priorem dicti Monasterii S. Antonii de Coneglano, & itidem in eorum Capitula, Collegia, Conventus, & Ecclesias, quam, & quas si per eos contra hanc nostram sententiam, & mandatum fieret, quod non credimus, auctoritate apostolica suffulti sententialiter proferimus in hiis scriptis. Lecta, publicata, & pronuntiata fuit supradicta sententia per supradictum Dom. Primicerium pro tribunali sedentem die, loco, & testibus supradictis cum supradictis litteris Papalibus præsente, & consentiente Dom. Petro de Guastalla Judice Procuratore dictorum fratrum Servidei olim Prioris, Fratris Johannis de Este, & fratris Martini, & Conventus fratrum dicti Monasterii S. Mariæ, ut de ipsa procuratione constat publico instrumento scripto manu Eugenii Notarii filii quondam Magistri Donati Mastellarii, & offitialis Episcopalis curiæ Paduanæ. Anno MCCLXXXXVIII. Ind. XI. die dominico XXIII. mensis Februari, & procuratorio nomine prædicto, & nomine omnium aliorum Fratrum, & dicti Conventus Fratrum S. Mariæ dictam sententiam petente, requirente, & collaudante, approbante, & ratificante, & presente etiam Dom. Johanne Sindico, & sindicario nomine dictarum dominarum Abbatissæ, & Conventus Monialium dicti Monasterii S. Mariæ, ut patet publico instrumento inde scripto manu Philippi filii Dom. Prandi Igicii notarii Imperiali authoritate, & Judicis ordinarii sub anno Domini, millesimo, & indictione supradictis die Lunæ XXIV. intrante dicto mense Februarii. Et de prædictis omnibus, & singulis idem Dom. Primicerius mandavit, & etiam dictæ partes presentes ad hæc rogave-

gaverunt confici duo similia publica instrumenta. unum videlicet per me Bonifacium Not. infrascriptum subscribendum per Philippum Notarium suprascriptum filium Dom. Prandi Igici Not. & aliud per dictum Philippum subscribendum per me Bonifatium. Anno Domini MCCLXXXXVIII. Ind. XI.

Ego Philippus filius Dom. Prandi Igici Not. Imper. author. Notarius, & Judex ordinarius prædictis omnibus interfui rogatus una cum infrascripto Bonifatio Notario scribente in concordia huic instrumento de mandato dicti Dom. Primicerii, ac de voluntate & consensu dictarum partium me subscripsi, & signum meum apposui.

Ego Bonifatius de mercato novo Imper. author. Notarius prædictis omnibus interfui, & rogatus una cum suprascripto Philippo Notario scribente in concordia scripsi, & de mandato dicti Dom. Primicerii pro tribunali sedentis, & de voluntate dictarum partium in publicam formam redegi.



Petrus Episcopus Cardinalis Albanensis litteras Joannis XXII. datas Idibus Aprilis privilegia, & immunitates Monasterii S. Mariæ de Virginibus concedentes, & confirmantes ex regestis Archivi Avenionensis extrahi, & collationari committit.

Q. 1332. 13. Aprilis Concessa Privilegia.

1450. 1. Septembris Collationata.

Ex Autographo in Monasterio S. Mariæ de Virginibus.

PEtrus miseratione Divina Episcopus Albanensis S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis de Fuxo vulgariter nuncupatus in Civitate Avinione, & Comitatu Venaysino pro Domino Nostro Papa & Sancta Romana Ecclesia in temporalibus Vicarius generalis, ac in Arelatensi, Aquensi & nonnullis aliis provinciis Civitatibus & Diocesibus a latere Sedis Apostolicæ Legatus. Universis & singulis præsentes litteras inspecturis notum facimus, & tenore præsentium attestamur quod nos pro parte dilectarum in Christo Abbatissæ & Conventus Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Ordinis S. Marci de Mantua Castellanensis Diocesis asserentium se copia seu transumpto duarum Apostolicarum litterarum inter libros, seu regesta fel. rec. D. Johannis divina providentia Papæ XXII. Avinione existentis indigere requisiti litteras hujusmodi in dictis regestis perquiri mandavimus, quæ repertæ fuerint tenoris sequentis: Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Ordinis S. Marci de Mantua Castellanensis Diocesis Salutem &c. Apostolicæ Sedis benignitas piis votis annuere consuevit, & honestis petentium precibus favorem benivolum impartiri. Sane petitio pro parte vestra nobis exhibita continebat, quod dudum fel. rec. Alexander Papa IV. prædecessor noster tunc in monasterio vestro duobus conventibus uno videlicet Monialium, & alio Prioris & Fratrum Ordinis vestri consistentibus attendens sollicite tenuitatem redditUum, & proventuum ipsius monasterii, quod ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinebat, sicut adhuc pertinet eisdem

Prio-

Priori & fratribus duxit per suas litteras indulgendum, ut ad præstationem aliquarum collectarum, procurationum, subsidiorum, & aliarum exactionum imponendarum eisdem Priori & Fratribus faciendam Legatis, & Nunciis Sedis Apostolicæ, etiamsi forent Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, non tenerentur, neque compelli possent per litteras dictæ Sedis absque ipsius Sedis specialiter mandato faciente plenam & expressam de ordine ipsorum, & indulgentia hujusmodi mentionem decernendo excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, si quas occasione prædictorum in Priorem ac Fratres prædictos communiter, vel aliquos eorumdem ab aliquo promulgari contingeret non tenere, quodque postmodum fel. rec. Bonifatius Papa VIII. prædecessor noster intellecto, quod in eodem monasterio duo conventus, ut præmittitur tunc temporis existebant, & quod iidem Prior & Fratres curam, & sollicitudinem earumdem Monialium debebat gerere, ac ministrare ipsis Ecclesiastica Sacramenta, & quod ea occasione dicti Prior & Fratres, qui inhonestæ conversationis erant, & vitæ in eodem monasterio vobiscum morabantur discordiæ, & scandala gravia frequenter suscitabantur in monasterio supradicto, & per hoc monasterium ipsum, quod hactenus florere in spiritualibus, & abundare in temporalibus consueverat, erat non modicum in utrisque collapsum, volens super hoc illius provisionis remedium adhibere, per quod obviaretur periculis & hujusmodi discordiis & scandalis imminentibus Monasterio prælibato, Plebano Ecclesiæ S. Bartholomæi de Venetiis dictæ Diocesis, qui tunc erat, suis dedit litteris in mandatis, ut super præmissis auctoritate sua inquireret diligentius veritatem, & si per inquisitionem hujusmodi de his sibi constaret, super quibus suam intendebat conscientiam onerare, præfatos Priorem & Fratres per se, vel alium seu alios a præfato monasterio amoveret, ita quod ex tunc ad Monasterium ipsum nullatenus reddire valerent, nec in eo sibi jus aliquod vendicare, & nihilominus statueret, ut Monasterium ipsum ex tunc gubernaretur per Abbatissam propriam, cujus electio ad vos filiæ conventus spectaret, & ne vos præmissorum occasione in spiritualibus sustineretis deffectum, deputaret vobis aliquem ydoneum Sacerdotem ad audiendum confessiones vestras, & ministraret vobis Ecclesiastica Sacramenta, & electionem, quam a vobis filiæ prædictæ Conventus de Abbatissa contingeret celebrari ea vice auctoritate Apostolica confirmaret, eique munus Benedictionis impenderet, & ab ipsa postmodum reciperet ipsius Bonifacii prædecessoris & Ecclesiæ Romanæ nomine fidelitatis solitæ juramentum juxta formam, quam idem prædecessor eis sub bulla sua misit introclusam, quodque postmodum prædictus Plebanus prædictarum litterarum forma servata, quia sibi legitime constitit de præmissis, Priorem & Fratres prædictos sententialiter amovit a monasterio memorato, & alia omnia quæ in prædictis continebantur litteris fuit cum diligentia executus, prout in Instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri, ac deinde præfatus prædecessor, quod super præmissis a præfacto Plebano factum fuit, ratum & gratum habens, illud auctoritate Apostolica confirmavit ex certa scientia, quodque licet in dicto Monasterio, quod est in aquarum inundatione fundatum, & in quo in claustris claustralibus, & sub perpetua clausura impenditis perpetuo Domino famulatum, propter tenuitatem redditυum & proventuum ipsius Monasterii nequeatis commode substentari, nisi favore propinquorum, & aliorum Christifidelium suffragio mediante. Nihilominus tamen contra tenorem dicti privilegii a prædicto Alexandro prædecessore nostro ipsis Priori & Fratribus, ut præfertur, concessi a nonnullis Legatis & Nuntiis Sedis Apostolicæ, ac Ecclesiarum prælatis credentibus forsitan ad vos ipsum privilegium non extendi, multiplices vobis inferuntur injuriæ & jacturæ. Quare pro parte vestra fuit no-


nobis humiliter supplicatum, ut providere vobis super his de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque tenuitatem redditum & proventuum ipsius Monasterii vestri, quod ad eandem Romanam Ecclesiam, ut præmittitur nullo medio pertinet, solicite attendentes, vestris supplicationibus inclinati ad instar ejusdem Alexandri auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut ad præstationem aliquarum collectarum, procurationum, subsidiorum, & aliarum exactionum imponendarum vobis faciendam Legatis & Nuntiis Sedis Apostolicæ, etiam si fuerint S. R. E. Cardinales, non teneamini, neque compelli possitis per litteras dictæ Sedis absque ipsius Sedis speciali mandato facientes plenam & expressam de ordine vestro, & de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, si quas occasione prædictorum in vos communiter vel aliquos vestrum ab aliquo promulgari contigerit, decernimus non valere. Nulli ergo &c. nostræ concessionis, & constitutionis infringere &c. Datum Avinione Idus Aprilis Anno Sextodecimo. Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Ordinis S. Marci de Mantua Castellanæ Diocesis Salutem &c. Cum a nobis petitur, quod justum est, & honestum tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio pro parte vestra nobis exhibita continebat, quod dudum fel. rec. Gregorius Papa X. prædecessor noster tunc in Monasterio vestro in duobus Conventibus, uno videlicet Monialium & alio Prioris & Fratrum ordinis vestri consistentibus, omnes libertates & immunitates a Romanis Pontificibus prædecessoribus suis sive per privilegia, sive alias indulgentias præfatis Priori & Fratribus, & eorum monasterio concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum a Regibus & principibus aliisque Christifidelibus rationabiliter dictis Priori & Fratribus, seu Monasterio prædicto indultas, sicut eas juste & pacifice obtinebant prædictis Priori & Fratribus, & per ipsos eidem Monasterio per suas litteras auctoritate Apostolica confirmavit, quodque postmodum fel. rec. Bonifatius Papa VIII. prædecessor noster intellecto, quod in eodem Monasterio duo Conventus, ut præmittitur tunc temporis existebant, & quod iidem Prior & Fratres curam, & solicitudinem earumdem Monialium debebant gerere ac ministrare ipsis Ecclesiastica Sacramenta, & quod ea occasione, quod dicti Prior & Fratres, qui inhonestæ conversationis erant, & vitæ in eodem monasterio vobiscum morabantur, discordiæ & scandala gravia frequenter suscitabantur in monasterio supradicto, & per hoc monasterium ipsum, quod hactenus florere in spiritualibus, & abundare in temporalibus consueverat, erat non modicum in utrisque collapsum volens super hoc illius provisionis remedium adhibere, per quod obviaretur periculis & hujusmodi discordiis & scandalis imminentibus Monasterio prælibato. Plebano Ecclesiæ S. Bartholomæi de Venetiis dictæ Diocesis, qui tunc erat, suis dedit litteris in mandatis, ut super præmissis auctoritate sua inquireret diligentius veritatem, & si per inquisitionem hujusmodi de hiis sibi constaret, super quibus suam intendebat conscientiam onerare præfatos Priorem, & Fratres per se, vel alium seu alios a præfacto monasterio amoveret. Ita quod ex tunc ad monasterium ipsum nullatenus reddire valerent, nec in eo sibi jus aliquod vendicare, & nihilominus statueret, ut monasterium ipsum ex tunc gubernaretur per Abbatissam propriam, cujus electio ad vos filiæ Conventus spectaret, & ne vos præmissorum occasione in spiritualibus substineretis defectum deputaret vobis aliquem ydoneum sacerdotem ad audiendum confessiones vestras, & amministrandum vobis ecclesiastica Sacramenta, & electionem quam a vobis prædicti Conventus de Abbatissa contingeret celebrari ea vice auctoritate apostolica confirmaret, eique postmo-

modum prædictus plebanus prædictarum litterarum forma servata quia sibi legitime constitit de præmissis Priorem, & Fratres prædictos sententialiter amovit a Monasterio memorato, & alia omnia, quæ in prædictis continebantur litteris fuit cum diligentia executus, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri, ac deinde præfatus prædecessor, quod super præmissis a præfato plebano factum fuit ratum & gratum habens illud auctoritate apostolica ex certa scientia confirmavit, quodque licet in dicto monasterio, quod est in aquarum innundatione fundatum, & in quo in Claustris Claustralibus, & sub perpetua clausura impenditis perpetuo Domino famulatum propter tenuitatem reddituum, & proventuum ipsius monasterii nequeatis commode substentari, nisi favore propinquorum, & aliorum Christifidelium suffragio mediante. Nihilominus tamen contra tenorem dicti privilegii a prædicto Gregorio eisdem Priori & Fratribus, & per eos dicto monasterio, ut præfertur, concessi a nonnullis Legatis, & Nuntiis Sedis Apostolicæ, ac Ecclesiarum Prælatis credentibus forsitam ad vos ipsum privilegium non extendi multiplices vobis inferuntur injuriæ & jacturæ. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere vobis super his de benignitate Apostolica dignaremur; Ea propter dilectæ in Domino filiæ vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ad instar ejusdem Gregorii omnes liberalitates & immunitates a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, sive privilegia, seu alias indulgentias vobis & Monasterio vestro præfato concessas, nec non libertates, exemptiones secularium exactionum a Regibus & Principibus, aliisque Christi fidelibus rationabiliter vobis, seu Monasterio prædicto indultas, sicut eas juste & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis infringere &c. Datum Avinione Id. Aprilis anno sextodecimo. Quas quidem litteras, sive ipsarum copiam ex dictis regestis trahi, & per notarios publicos infrascriptos præsentibus inseri, & de verbo ad verbum collacionari, & quia post hujusmodi collationem repertum est hujusmodi litterarum transumptum cum dictis regestis concordare, ideoque suis signis & subscriptionibus subscribi & signari, nostrique autentici sigilli sigillari mandavimus in testimonium præmissorum die Prima mensis Septembris. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri D. Nicolai divina providentia Papæ Quinti Anno Quarto.

L.S. Ego Matthæus Durandi Clericus Lemovicensis Diocesis habitator Avinione publicus imperiali auctoritate notarius præinsertas litteras inter regesta dicti D. Johannis & Pontificatus sui anno sextodecimo Avinione existentis registratas, repertas ex hujusmodi regesto præsentibus transumpsi, easque cum Venerabili Viro magistro Menaudo de Casterario notario publico, & ipsorum regestorum custode infrascripto collationavi. Et quia hujusmodi transumptum cum dicto regesto prædictarum litterarum concordare reperi; Ideoque una cum appensione sigilli autentici præfati Reverendiss. D. Card. Vicarii & Legati, & de ejus mandato hic me subscripsi, & signo meo consueto anteposito, quo in publicis utor instrumentis signavi in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum.

L.S. Ego Menaudus de Casterario Clericus Lascuriensis Diocesis publicus auctoritatibus Apostolica & Imperiali Notarius prædictorum regestorum per præfatum Reverendiss. D. Card. Vicarium & Legatum Apostolicum deputatus custos, litteras Apostolicas præinsertas inter regesta præfati D. Johannis Avinione existentia reperi registratas ipsasque per Ven. Virum Magistrum Matthæum Notarium suprascriptum præsen-

sentibus transumptas cum eodem Matthæo correxi, & quia hujusmodi transumptum cum regesto dictarum litterarum concordare reperi. Ideoque hic me subscripsi & signo meo consueto signavi una cum appensione sigilli auctentici præfati Reverendiss. Domini, & de ejus mandato in testimonium præmissorum.



Clemens VI. exemptionem a solutione gravaminum Monasterio S. Mariæ de Virginibus ab Alexandro IV. concessam confirmat, & ejectionem Canonicorum S. Marci de Mantua ab eodem Monasterio jussu Bonifatii VIII. exequutam recenset.

R. 1345. 18. Augusti.

Ex Archivo Sanctæ Mariæ de Virginibus.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Ordinis S. Marci de Mantua Castellanæ Diocesis Salutem & Apostolicam benedictionem.. Apostolicæ Sedis benignitas piis votis annuere consuevit, & honestas petentium præcibus favorem benivolum impertiri. Sane petitio pro parte vestra nobis exhibita continebat, quod dudum fel. rec. Alexander Papa IV. prædecessor noster tunc in Monasterio vestro duobus Conventibus, uno videlicet monialium & alio Prioris & Fratrum ordinis vestri consistentibus attendens tenuitatem reddituum, & proventuum ipsius monasterii, quod ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinebat, sicut adhuc pertinet eisdem Priori, & Fratribus duxit per suas litteras indulgendum ut ad præstationem aliquarum Collectarum procurationum subsidiorum, & aliarum exactionum imponendarum eisdem Priori & Fratribus faciendam Legatis & Nunciis Sedis Apostolicæ etiam si forent sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales non tenerentur, neque compelli possent per litteras dictæ Sedis absque ipsius Sedis speciali mandato faciente plenam & expressam de ordine ipsorum, & indulto hujusmodi mentionem, decernendo excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, si quas occasione prædictorum in Priorem, & Fratres prædictos communiter, vel divisim ab aliquo promulgari contingeret, non tenere, quodque postmodum fel. rec. Bonifatius Papa VIII. prædecessor noster intellecto, quod in eodem monasterio duo Conventus, ut præmittitur tunc temporis existebant, & quod iidem Prior & Fratres curam & solicitudinem earumdem monialium debebant gerere, ac ministrare ipsis ecclesiastica sacramenta, & quod ea occasione, quod dicti Prior & Fratres, qui inhonestæ conversationis erant, & vitæ in eodem Monasterio vobiscum morabantur discordiæ & scandala gravia frequenter suscitabantur in Monasterio supradicto, & per hoc monasterium ipsum, quod hactenus florere in spiritualibus & abundare in temporalibus consueverat, erat non modicum in utrisque collapsum, volens super hoc illius provisionis remedium adhibere, per quod obviaretur periculis, & hujusmodi discordiis & scandalis imminentibus monasterio prælibato... Plebano Ecclesiæ S. Bartholomæi de Venetiis dictæ Diocesis, qui tunc erat suis dedit litteris in mandatis, ut super præmissis inquireret diligentius veritatem, & si per inquisitionem hujusmodi de his sibi constaret, super quibus suam intendebat conscientiam one-

onerare, præfatos Priorem & Fratres per se, vel alium, seu alios a præfato monasterio amoveret, ita quod ex tunc ad monasterium ipsum nullatenus redire valerent, nec in eo sibi jus aliquod vendicare, & nihilominus statueret ut monasterium ipsum ex tunc gubernaretur per Abbatissam propriam, cujus electio ad vos filiæ Conventus spectaret, & ne vos præmissorum occasione sustineretis defectum, deputaret vobis aliquem ydoneum sacerdotem ad audiendum confessiones vestras, & ministrandum vobis ecclesiastica sacramenta, & electionem, quam a vobis prædictæ Conventus de Abbatissa contigeret celebrari ea vice auctoritate Apostolica confirmaret, eique munus benedictionis impenderet, & ab ipsa postmodum reciperet Ecclesiæ Romanæ nomine fidelitatis solitæ juramentum juxta formam, quam idem prædecessor Bonifatius eis sub bulla sua misit interclusam, quodque postmodum prædictus Plebanus prædictarum litterarum forma servata, quia sibi legitime constitit de præmissis Priorem & Fratres prædictos sententialiter amovit a monasterio memorato, & alia omnia, quæ in prædictis continebatur, fuit cum diligentia exemtus prout in instrumento publico inde confecto dicitur plenius contineri, ac deinde præfatus Bonifatius prædecessor, quod super præmissis a præfato plebano factum fuit, ratum & gratum habens illud auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmavit. Verum quia prout eadem petitio subjungebat, licet in dicto monasterio, quod est in aquarum inundatione fundatum, & in quo claustris claustralibus & sub perpetua clausura impenditis perpetuum Domino famulatum propter tenuitatem reddituum & proventuum ipsius Monasterii nequitis commode sustentari nisi favore propinquorum & aliorum Christi fidelium suffragio mediante, nihilominus tamen contra tenorem dicti privilegii a prædicto Alexandro prædecessore ipsis Priori & Fratribus ut præfertur concessi a nonnullis legatis & nuntiis Sedis Apostolicæ ac Ecclesiarum prælatis credentibus forsitan ad vos ipsum privilegium non extendi multiplices vobis inferuntur prejudicia, & jactare, pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum ut providere vobis super his de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur immunitatem redituum & proventuum ipsius vestri monasterii quod ad eamdem Romanam Ecclesiam nullo medio ut præmittitur pertinet sollicite etiam attendentes hujusmodi supplicationibus inclinati ad instar fel. record. Joanni Papæ XXII. prædecessoris nostri auctoritate nobis præsentium indulgemus ut ad præstationem aliquarum collectarum procurationum subsidiorum & aliarum exactionum imponendarum vobis faciendam legatis & nuntiis Sedis Apostolicæ etiam si fuerint Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales non teneamini, neque compelli positis per litteras dictæ Sedis absque ipsius Sedis speciali mandato facientes plenam, & expressam de ordine vestro, ac indulto hujusmodi mentionem nos enim excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias si quas occasione prædictorum in vos communiter, vel aliquas vestrum ab aliquo promulgari contingerit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Avinioni xv. Kal. Septemb. Pontificatus nostri anno quarto.

Abbatissa, & Moniales S. Mariæ de Virginibus recipiunt Visitatores Congregationis S. Marci de Mantua.

S. 1346. 13. Martii.

Ex Tabulario Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

IN Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo quadragesimo sexto Indictione quartadecima die tercio decimo mensis Martii. Ven. & religiosa Domina Dom. Nicoleta de cha Zorzi Dei gratia Abbatissa Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Diœcesis Castellanæ existens in parlatorio, seu camera, vel loco contiguo Ecclesiæ prælibatæ cum monialibus suis in præsentia mei Notarii infrascripti, ac testium infrascriptorum dicens, & asserens, ac sponte profitens, & subponens ac submittens se tanquam filia & devota obedienciæ cum monialibus suis, ut moris est & consuetudo examinandi, inquirendi, & visitationem benigne & devote recipiendi secundum ordinem S. Marci de Mantua, de quo sumus. Religiosis & discretis Viris D.D. Fr. Rubertino Priori Ecclesiæ S. Trinitatis de Mutina, ac Fr. Jacobo de Vincentia visitatoribus, & fratribus ordinis prædicti Sancti Marci, quod volebat, & intendebat omnino & parata erat cum suis monialibus in dicto monasterio existentibus visitationem gestorum, & factorum per eam recipere gratiose, ac de omnibus eorum negociis reddere rationem, ne tractu temporis sibi, suisque monialibus seu sororibus & monasterio suo possint in generali capitulo ordinis nostri S. Marci aliquid apponere, nec in aliquo contrafacere, quod possit eis nocere, vel præjudicium aliquod generari, & hæc, quia dicta D. Abbatissa, ac Moniales dictæ S. Mariæ de Virginibus supradictam visitationem benigne recipere, & devote & ex nunc parata erat cum suis monialibus prædictis visitatoribus incipere, & inchoare; qui Fratres Rubertinus, & Jacobus visitatores facti, & constituti per annum in generali eorum Capitulo Mantuano prædicti Ordinis S. Marci illico & inmediate respondentes, dicentes quod etiam ipsi tanquam visitatores ordinis S. Marci de Mantua parati erant dictam visitationem a dicta D. Abbatissa, ac a monialibus bene & diligenter audire, & omnia eorum negocia scrutari sicut tenentur & debent ex rigore officii & caritatis intuitu, & ut supra in suo generali Capitulo commissum est, ut mihi notario apparuit ex publica commissione eis per generale capitulum ipsorum ordinis prædicti S. Marci de Mantua eis facta a me notario infrascripto visa & lecta, ac ex vigore constitutionum ordinis prædicti S. Marci de Mantua, ac etiam ut constat in privilegiis nostris factis, & promulgatis per Sanctissimum Dominum Nostrum Papam. Rogantes dicti Frater Rubertinus, & Jacobus visitatores ordinis prædicti, ac dicta D. Abbatissa, & Moniales seu Sorores me notarium infrascriptum, quod de prædictis publicum conficerem instrumentum. Actum in parlatorio seu camera, vel loco contiguo cum Ecclesia, & in monasterio S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Diœcesis Castellanæ & Ordinis S. Marci de Mantua præsentibus D. Paulo Præmarino, Marco Vitorio ambo de Venetiis, & aliis pluribus testibus ad hæc vocatis & rogatis.

Ego Nicolaus filius quond. D. Bertucii Zambonini de Tabulis de Bononia Imperiali auctoritate Notarii prædictis omnibus præsens interfui & rogatus publice scribere scripsi & publicavi &c.

Isabet-

Isabetta Quirino eligitur Abbatissa S. Mariæ de Virginibus loco Agnetis de Canale defunctæ.

T. 1366. 18. Aprilis.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

IN Christi Nomine Amen. Anno nativitatis ejusdem 1366. Indictione IV. die 18. mensis Aprilis. Venetiis in Monasterio & Capitulo S. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Marci de Mantua Castellanæ Diœcesis ad Sanctam Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente. Præsentibus nobilibus & sapientibus viris D. D. Petro Zane, Marco Mauroceno, Johanne Mocenigo, Bertucio Marcello, Gazano Marcello, Hermolao Gradonico, ac Andrea Navagerio omnibus civibus Venetiarum testibus ibi vocatis, specialiter & rogatis, & aliis. Vacante Abbatia suprascripti Monasterii S. Mariæ de Virginibus per obitum Rev. D. Agnetis de Canali ultimæ Abbatissæ dicti Monasterii, quæ suprascripta die 16. ejusdem mensis Aprilis sicut Deo placuit spiritum tradidit creatori, corpore ipsius quod, ut moris est, ecclesiasticæ tradito sepulturæ. Convenientes & insimul congregatæ in dicto monasterio in loco vocato capitulo more & loco consuetis ad sonum campanellæ pro tractando de electione futuræ Abbatissæ honestæ, & religiosæ Dominæ sanæ & non infirmæ vid. Soror Perencina Bondemiro Priorissa dicti Monasterii S. Mariæ de Virginibus, Soror Agnes Lauredano, Soror Lavina Faletro, Soror Agnes Savonario, Soror Zanina Marioni Sacristana, Soror Ursa Bono Portinaria, Soror Christina Venerio, Soror Christina Georgio, Soror Maria Quirino, Soror Phylippa Belligno, Soror Zaneta Zane, Soror Nicolota Contareno, Soror Agnes Contareno, Soror Catarucia Nani, Soror Helena Michael, Soror Ursia Contareno, Soror Helisabeth Georgio, Soror Christina Bolani, Soror Marina Dandulo, Soror Zanina Condolmerio, Soror Adalaxia Mauroceno, Soror Agnes Justiniano, Soror Lucia Michael, Soror Catarucia Bolani, Soror Magdalucia Marioni, Soror Albanella Zane, Soror Francisca Georgio, Soror Magdalucia de Medio, Soror Ursia Condolmerio omnes moniales professæ dicti monasterii. Præsentibus omnibus, quæ dictæ electioni celebrandæ debuerunt, voluerunt, potuerunt commode interesse, unamquamque divina inspiratione repente nulla nominatione, nulloque alio tractatu præcedente, in Ven. D. Sororem Isabetham Quirino ejusdem monasterii professam mulierem, utique honestissimam de legitimo matrimonio susceptam ætatis maturæ quæ jam quadraginta annos ætatis suæ exegit, & quæ ab infantia in ipso monasterio sub obedientia debita commendabilem, ymo exemplarem vitam duxit, in spiritualibus & temporalibus circumspectam, unanimiter & concorditer consenserunt & ipsam una voce, unoque spiritu simul ac unanimiter omnes & singulæ in Abbatissam ipsius monasterii elegerunt. Ipsam electionem mox publicantes solemniter in Capitulo Ecclesia, & monasterio suprascripto: Te Deum Laudamus: unanimiter decantantes, & demum rogantes me notarium infrascriptum, ut de prædictis conficiam præsens publicum instrumentum.

Ego Raphaynus de Caresinis publicus Imperiali auctoritate Notarius & Venetiarum Cancellarius prædictis omnibus interfui, & ea rogatus scripsi meoque signo solito & nomine roboravi.

Isabet-

Isabetta Quirino solemniter assensum præbet electioni de se factæ in Abbatissam S. Mariæ de Virginibus.

1366. 20. Aprilis.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

IN Christi Nomine Amen Anno Nativitatis Ejusdem 1366. Ind. IV. die 20. mensis Aprilis Venetiis. In monasterio & Capitulo S. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Marci de Mantua Castellanæ Diocesis nullo medio ad Romanam Ecclesiam pertinente præsentibus sapiente viro D. Rafayno de Caresinis Cancellario Communis Venetiarum, s. Bartholomæo Longo filio qu. s. Johannis de contrata S. Marci de Venetiis, omnibus testibus ibidem ad præmissa vocatis specialiter & rogatis, & aliis. Honestæ & religiosæ Dominæ sanæ & non infirmæ vid. Soror Perencina Bondemiro Priorissa, Sor. Agnes Savonario, Sor. Zanina Marioni Sacristana, Sor. Ursia Bono Portinaria, Sor. Agnes Lauredano, Sor. Lavina Faletro, Sor. Christina Venerio, Sor. Christina Georgio, Sor. Maria Quirino, Sor. Filippa Bellegno, Sor. Zaneta Zane, Sor. Nicolota Contareno, Sor. Agnes Contareno, Sor. Catarucia Nani, Sor. Helena Michael, Sor. Ursia Contareno, Sor. Helisabeth. Georgio, Sor. Christina Bollani, Sor. Marina Dandulo, Sor. Zanina Condolmerio, Sor. Adalaxia Mauroceno, Sor. Agnes Justiniano, Sor. Lucia Michael, Sor. Cattarucia Bollani, Sor. Madalucia Marioni, Sor. Albanella Zane, Sor. Francischina Georgio, Sor. Madalucia de Medio, & Sor. Ursia Condolmerio omnes prædicti monasterii & ordinis professæ infrascriptis Sororibus & monialibus ejusdem monasterii professis, & vocem habentibus ad infrascripta, corporaliter infirmis, tamen infra scepta ejusdem monasterii existentibus, quam quia præsentialiter cum præmissis monialibus sanis non poterant interesse totaliter commisserunt vices suas monialibus sanis suprascriptis in dicto Capitulo congregatis, ac promisserunt gratum & ratum habere perpetuo quicquid factum fuerit per ipsas in ipso Capitulo congregatas, ut apparet publico instrumento scripto manu mei Notarii infrascripti suprascriptis anno indictione mense & die quarum infirmarum nomina fuerunt, & sunt hæc videl. Soror Donata Pranigo, Sor. Margarita Longo. Quæ omnes sane in dicto Capitulo congregatæ suo, & dictarum infirmarum nomine & totius capituli omni modo, jure, forma, & causa quibus melius potuerunt, fecerunt, constituerunt, & ordinaverunt discretum virum Presb. Franciscum Spalatino Priorem S. Bartholomæi de Castello ibi præsentem & mandatum sponte suscipientem suum, & dicti monasterii & Conventus procuratorem sindicum, & nuntium specialem specialiter ad præsentandum religiosæ & honestæ D. Sorori Ysabethæ Quirino ellectæ in Abbatissam dicti monasterii ellectionem & decretum de ipsa factam ad Abbatiam ipsius monasterii, & ad petendum & obtinendum consensum ipsius D. Ellectæ. Et ad omnia alia & singula facienda & exercenda, quæ in prædictis necessaria fuerint & opportuna. Promittentes se ratum & gratum habere, & tenere quicquid per dictum eorum sindicum & procuratorem factum fuerit in prædictis & non contrafacere vel venire aliquo modo, vel ingenio sub obligatione bonorum dicti monasterii præsentium & futurorum.

Ego Bartholomæus de Gallarate natus qu. D. Jacobi publicus Imperiali auctoritate Not. & Ducatus Venetiarum Scriba prædictis rogatus interfui tradidi, scripsi & subscripsi.

In

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo sexagesimo sexto Ind. IV. die 20. mensis Aprilis. In monasterio & Ecclesia S. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Marci de Mantua Castellanæ Diocesis nullo medio ad Romanam Ecclesiam pertinente. Præsentibus sapiente Viro D. Raphayno de Caresinis Cancellario Communis Venetiarum, f. Bartholomæo Longo filio qu. D. Pacis Gastaldionis Monasterii prædicti, f. Petro de Corono filio, f. Dominici de contrata S. Pauli de Venetiis, & Christopholo Rodulpho, calefato filio q. Johannis de contrata Sancti Marci de Venetiis omnibus testibus ibidem ad præmissa vocatis specialiter & rogatis, & aliis. Constitutus in præsentia religiosæ & honestæ D. Ysabethæ Quirino electæ in Abbatissam suprascripti monasterii S. Mariæ de Virginibus discretus vir Presb. Franciscus Spalatino Prior & rector S. Bartholomæi de Castello procurator & sindicus specialiter ad infrascripta religiosarum Dominarum Sororum, & monialium Capituli, Conventus & monasterii S. Mariæ de Virginibus sepedicti procuratorio nomine suprascripro eidem ellectæ sorori Ysabethæ Quirino reverenter præsentavit, & dedit decretum electionis, sive scriptum manu Raphayni de Caresinis Cancellarii Venetiarum Imperiali auctoritate Notarii, quod continebat processum & ordinem electionis de ipsa factum petens eodem nomine ab eadem ellecta suppliciter & instanter quatenus ellectionem ipsam acceptare deberet, & eidem suum præstare consensum pariter & assensum. Quæ D. Ellecta prædicta dictum decretum in manibus suis recipiens, respondit dicto procuratori & sindico, quod super prædictis deliberare volebat & deliberatione habita responderet prout sibi Dominus ministrabit.

Ego Bartholomæus de Gallarate natus q. D. Jacobi publicus imperiali auctoritate Not. & Ducatus Venetiarum scriba prædictis rogatus interfui, tradidi, scripsi & me subscripsi.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem 1366. Ind. IV. die 20. mensis Aprilis in monasterio & Ecclesia S. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Marci de Mantua Castellanæ Diocesis nullo medio ad Romanam Ecclesiam pertinentis. Præsentibus sapiente viro D. Raffayno de Caresinis Cancellario Communis Venetiarum, f. Bartholomæo Longo filio q. D. Pacis Gastaldionis monasterii prædicti, f. Petro de Corono filio f. Dominici de contrata S. Pauli de Venetiis, & Christopholo redulpho calefato filio q. Johannis de contrata S. Marci de Venetiis omnibus testibus ibidem ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis, & aliis. Constituto in præsentia honestæ, & religiosæ D. Sororis Ysabethæ Quirino ellectæ in Abbatissam Monasterii S. Mariæ de Virginibus supradicti discreto viro presb. Francisco Spalatino Priore S. Bartholomæi de Castello procuratore & sindico monialium Capituli, & Conventus S. Mariæ de Virginibus suprascripti ad infrascripta specialiter constituto, ac petente suppliciter & instanter vice, & nomine prædictarum monialium Capituli, & Conventus, ac Sindicario & procuratorio nomine earumdem ut ipsa D. ellecta ellectioni de se factæ consentire deberet ipsa D. Ysabetha Quirino ellecta nolens divinæ resistere voluntati ellectioni prædictæ de se factæ consensit ad honorem Summæ & Individuæ Trinitatis, ac Beatæ Mariæ Virginis gloriosæ, in cujus nomine dicta ecclesia & monasterium est constructum, de cujus consensu dictus sindicus & procurator rogavit me notarium infrascriptum ut deberem inde facere hoc publicum instrumentum.

Ego Bartholomæus de Gallerate natus q. D. Jacobi publicus Imperiali auctoritate Not. & Ducatus Venetiarum scriba prædictis rogatus interfui, tradidi, scripsi, & me subscripsi.

Ysabet-

Isabetta Quirino electa Abbatissa Sanctæ Mariæ de Virginibus constituit Procuratores qui præsentent Urbano V. decretum suæ electionis.

1366. 23. Aprilis.

Ex Archivo Sanctæ Mariæ de Virginibus.

IN Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem 1366. Indict. IV. die 23. mensis Aprilis Veneciis in Monasterio, & Capitulo S. Mariæ de Virginibus. Præsentibus D.D. Presb. Thomasio de Forojulio mansionario in Ecclesia S. Petri de Castello, Presb. Francisco Spalatino Priore S. Bartholomæi de Castello, s. Bartholomæo Longo filio q. D. Pacis Gastaldionis Monasterii prædicti, & Presb. Antonio de Forlivio mansionario in dicta Ecclesia S. Petri de Castello, omnibus testibus ibidem ad præmissa vocatis spetialiter, & rogatis, & aliis. Religiosa & honesta Domina D. Soror Ysabetha Quirino Conventus & Ordinis S. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Marci de Mantua de Venetiis Castellanæ Diœcesis S. Romanæ Ecclesiæ nullo modo pertinentis electa Abbatissa, & ad Abbatiam dicti Monasterii, prout constat de ipsius electione instrumento publico scripto per Raffaynum de Carasinis Cancellarium Venet. publicum Imperiali auctoritate Notarium suprascriptis anno & indictione, die vero 18. ejusdem mensis Aprilis omni modo jure, forma & causa, quibus melius potuit, fecit, constituit, & ordinavit, suos veros & legitimos procuratores actores, factores, & nuntios speciales, & quicquid melius dici possunt nobiles & sapientes Viros D.D. Nicolaum Faletro, Marinum Venerio, & Johannem Fuscari ambaxatores solemnes Ducalis Dominii Venetiarum ad Sanctissimum Dominum nostrum Papam, ac providos viros s. Desideratum Luceum & Andream de Olcedo Notarium Ducatus Venet. nec non Neapoleonem de Pontirolis procuratorem Communis Venet. in Romana Curia, absentes tanquam præsentes, & quemlibet eorum insolidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod unus eorum inceperit alius prosequi valeat & finire, specialiter & nominatim ad præsentandum se cum decreto ellectionis suæ prædictæ, & juribus & monumentis ipsius ellectionis negotium tangentibus in Romana Curia nomine, & vice ipsius D. electæ coram Sanctissimo Domino Nostro D. Urbano digna Dei providentia Papa quinto sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifice, & coram quocunque, seu quibuscunque deputatis, vel deputandis ab ipso Domino Nostro Papa ad prædicta & infrascripta, & ad petendum & obtinendum confirmationem ellectionis prædictæ, & munus benedictionis ipsi Dominæ ellectæ impendi, & ad impetrandum quascunque litteras Apostolicas cujuscunque concessionis, & formæ seu commissionis tam simplices, quam legendas justitiam seu gratiam continentes pro prædictis, & quolibet prædictorum, & si pro prædictis vel aliquo prædictorum opus esset ad agendum, deffendendum, opponendum, respondendum libellum, & libellos dandum & recipiendum littes contestandum terminos & dillationes petendum, & in anima sua jurandum, & calumpnia, & veritate dicenda, & cujuslibet & generis alterius juramentum præstandum, excipiendum, replicandum, & triplicandum, deffectus & crimina opponendum, testes instrumenta & omnia sua jura producendum, sententias audiendum, & executioni mandari petendum, & faciendum supplicandum, & appellan-

landum, quoties eis videbitur & fuerit opportunum supplicationes, & appellationes prosequendum, procuratores unum & plures; quot sibi videbitur substituendum, & substitutos revocandum, ac procuratoris offitium in se reassumendum, & generaliter ad alia omnia & singula faciendum, dicendum, & procurandum, quæ in prædictis & circa prædicta necessaria & utilia fuerint, vel etiam opportuna. Promittens mihi Notario infrascripto veluti publicæ personæ stipulanti & recipienti nomine, & vice omnium & singulorum, quorum interest, vel poterit interesse se firmum ratum, & gratum habere perpetuo quicquid per eosdem procuratores & substitutos, & ipsorum quemlibet actum fuerit in prædictis & quolibet prædictorum. Et volens dictos suos procuratores, & substitutos ab eis, & quolibet eorum ab omni satisdationis onere relevare promisit mihi dicto notario recipienti & stipulanti, ut super de juditio sisti, & judicando, seu judicato solvendo in omnibus suis clausulis sub obligatione omnium bonorum dicti monasterii præsentium, & futurorum. Actum ut supra. Præsentibus suprascriptis testibus.

Ego Bartholomæus de Gallarate natus qu. D. Jacobi publicus Imperiali auctoritate Not. & Ducatus Venetiarum Scriba prædictis rogatus interfui, tradidi, scripsi, & me subscripsi.

Procurator Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus supplicat Romanum Pontificem pro confirmatione Isabettæ Quirino in Abbatissam ejusdem Monasterii.

Sine data quæ referenda est ad annum 1366.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

SUpplicat Sanctitati vestræ.... sindicus & procurator Monialium Capituli & Conventus Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Ordinis Sancti Marci Mantuani Castellanæ Diocesis ad vestram Sanctam Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, quod noviter vacante ipso Monasterio Abbatissa per mortem religiosæ & honestæ sororis Agnetis de Canali olim Abbatissæ ipsius monasterii, quæ noviter de mense Aprilis nuper præterito diem clausit extremum, & ipsius corpore tradito ecclesiasticæ sepulturæ.... Priorissa moniales & conventus ipsius monasterii, quæ sub perpetua clausura manserunt, & manent pro futuræ substitutione Abbatissæ noviter in Capitulo ipsius monasterii se more solito receptantes, & in unum convenientes divina miseratione repente nulla nominatione, nulloque alio tractatu præcedente in religiosam, & honestam sororem Isabetam Qurino, regularem ordinem ipsius monasterii expresse professam nobilis generis ætatis legitimæ de legitimo matrimonio procreatam, & morum gravitate maturam, ac in spiritualibus, & temporalibus circumspectam, unanimiter, & concorditer consenserunt, & ipsam una voce, unoque spiritu simul, ac unanimiter omnes & singulæ in dicti monasterii Abbatissam elegerunt, cui electioni sibi legitime præsentatæ ipsa electa consensit. Ideo supplicat dictus procurator & sindicus humiliter & devote quatenus eis, & dicto suo monasterio in aquarum undatione fundato compatiendo misericorditer earum paupertati, nec non intuitu incliti D. Marci Cornario illustris Venetiarum Ducis & communitatis suæ patroni dicti monasterii pro eis intercedentis dignetur Sanctitas vestra ipsam electionem ex assueta pietatis gratia confirmare, nec non committere Rev. in Christo Patri D.....

Patriarchæ Gradensi, vel ejus vicario in ejus absentia per apostolicas litteras vestras speciales, quod sibi munus benedictionis per se, vel alium impendat, & nomine Romanæ Ecclesiæ ab ea postmodum recipiat fidelitatis solitum ac debitum juramentum, & sibi a suis subditis obedientiam, & reverentiam debitam faciat exhiberi.

Et quot transeat prout jacet sine alia electione.

Urbanus V. Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Virginibus die I. & II. Maii visitantibus simul, & adjuvantibus remissionem centum dierum indulget.

V. 1369. 3. Octobris.

Ex Archivo S. Mariæ de Virginibus.

URbanus Episcopus Servus Servorum Dei universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ecclesiarum aliorumque piorum locorum fabricis manum porigere adjutricem pium apud Deum & meritorium reputantes frequenter Christifideles ad impendendum Ecclesiis, & locis ipsis auxilium nostris litteris exortamur, & ut ad id eo fortius animentur, quo magis ex hoc animarum commodum speraverint adipisci nonnunquam pro temporalibus suffragiis spiritualia eis munera, videlicet remissiones, & indulgentias elargimur. Cum itaque, sicut accepimus, Ecclesia & Monasterium B. Mariæ de Virginibus de Venetiis Ordinis S. Augustini Castellanæ Diocesis, eorumque libri, paramenta, & suppellectilia casu fortuito extiterint ignis incendio concremata, & ad ipsorum restaurationem, seu reparationem per fideles illarum partium intendatur ad præsens; Nos cupientes, quod Christifideles eo liberalius ad eorum reparationem manus porigant adjutrices, quo majus præmium inde se noverint recepturos, nos de Omnipotentis Dei misericordia ejusdemque Virginis Matris, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli meritis & auctoritate confisi omnibus vere pœnitentibus, & confessis qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, & Corporis D. N. J. C. ac Pentecostes, nec non Nativitatis, & Assumptionis B. M. V. & Nativitatis B. Jo: Baptistæ, dictorumque Apostolorum, & Dedicationis ejusdem Ecclesiæ festivitatibus, nec non in celebritate Omnium Sanctorum, & singulis diebus Octavarum Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Corporis D. N. J. C. Pentecostes, ac Nativitatis, & Assumptionis B. M. V. Nativitatis B. Joannis, Apostolorum prædictorum festivitatum eorumdem Ecclesiam ipsam devote visitaverint, & ad reparationem ipsarum Ecclesiæ & Monasterii, ac pro libris & paramentis, & ornamentis ejusdem Ecclesiæ manus porrexerint adjutrices, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Præsentibus quas per Questuarios prohibemus deferri post decennium minime valituris. Datum Viterbii v. Non. Octob. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Bartholomæus.

Fr. An-

Fr. Andreas Episcopus Caprulensis ex decreto Urbani Papæ VI. Marinam Dandulo electam Abbatissam Sanctæ Mariæ de Virginibus confirmat.

X. 1388. 4. Novembris.

Ex Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

IN Christi nomine Amen. Anno ab ipsius nativitate 1388. Indictione XI. die 4. mensis Novembris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. Urbani digna Dei providentia Papæ VI. Anno XI. vacante nuper monasterio S. Mariæ de Virginibus, Romanæ Ecclesiæ immediate subjecto, Ordinis S. Marci de Mantua in Venetiis Castellanæ Diocesis per obitum quondam D. Isabethæ Quirino ultimæ ipsius monasterii Abbatissæ extra curiam Romanam defunctæ, moniales & Conventus prædicti monasterii vocatis omnibus, quæ voluerunt, potuerunt, & debuerunt electionem futuræ Abbatissæ commode interesse die ad eligendum præfixa, & statuta, ut moris est, convenientes in unum concorditer & earum nemine discrepante, Ven. & religiosam D. Marinam Dandulo monialem dicti monasterii expresse professam de legitimo matrimonio procreatam, & in ætate legitima constitutam in earum & prædicti monasterii Abbatissam canonice elegerunt, cujus electionis sibi præsentato decreto præfata Dom. Marina consensit & eam humiliter acceptavit. Postmodum vero cum idem monasterium sit Romanæ Ecclesiæ, ut præfertur, immediate subjectum, pro parte ipsius electæ fuit Sedi Apostolicæ humiliter supplicatum, ut electionem hujusmodi tanquam canonice factam confirmare de benignitate Apostolica dignaretur, quibus supplicationibus Sanctissimus in Christo Pater & Dominus Noster Dom. Urbanus Papa VI. spiritus misericorditer inclinatus, nec hiis certam notitiam de præmissis suas Apostolicas litteras gratiosas concessit, & hanc causam ad partes commisit sub forma, quæ de verbo ad verbum sequitur & est talis: Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. Andreæ Episcopo Caprulensi in loco de Venetiis Castellanæ Diocesis commoranti salutem, & Apostolicam benedictionem. Justis petentium votis libenter annuimus, illaque prosequimur favoribus opportunis. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Marinæ Dandulo monialis, & Conventus Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Romanæ Ecclesiæ immediate subjecti Ordinis S. Marci de Mantua Castellanæ Diocesis nobis exhibita continebat, quod olim dicto monasterio per obitum quondam Isabethæ ipsius monasterii Abbatissæ extra Romanam Curiam defunctæ dictæ Conventus vocatis omnibus, quæ voluerunt, potuerunt, & debuerunt electionem hujusmodi commode interesse die ad eligendum præfixa ut moris est, convenientes in unum eamdem Marinam ipsius monasterii monialem etiam expresse professam de legitimo matrimonio procreatam, & in ætate legitima, utpote quæ sexagesimum quintum annum suæ ætatis attigit, constitutam, in earum & dicti monasterii Abbatissam concorditer elegerunt, ipsaque Marina electionem hujusmodi illius sibi præsentato decreto consensit. Quare pro parte Marinæ & Conventus prædictarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut electionem ipsam confirmare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, ac volentes super illis in dicta Marina prout apud Nos fide digna testimonia perhibentur sit suffi-

cientis litteraturæ, ac religionis zelo conspicua, vitæ ac morum honestate præclara, in spiritualibus provida, & in temporalibus circumspecta, & aliis multiplicium virtutum meritis insignita, salubriter providere hujusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tuæ, de qua in hiis, & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus si vocatis, qui fuerint vocandi, eamdem electionem canonicam, & de persona idonea celebratam esse repereris, electionem prædictam auctoritate nostra confirmes, in hiis omnibus statutis a jure temporibus observatis faciens ipsi Marinæ a suis subditis reverentiam & obedientiam debitas exhiberi; Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et nihilominus si per te electionem hujusmodi confirmari contigerit, ut præfertur eidem Marinæ munus benedictionis impendas, vel per aliquem catholicum Antistitem gratiam & communionem dictæ Sedis habentem impendi facias, ut est moris. Volumus autem, quod tu seu dictus Antistes, qui præfatæ Marinæ hujusmodi munus impendes, vel impendet ab ipsa Marina nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine debitæ fidelitatis solitum recipias, vel recipiat juramentum juxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam juramenti hujusmodi, quod dicta Marina præstabit nobis de verbo ad verbum per ejus patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinare procures, seu procuret. Datum Perusii Nonis Augusti. Pontificatus nostri anno XI. Quibus quidem litteris Apostolicis supradicto D. Episcopo Caprulensi judici commissario & executori apostolico præsentatis, & per eundem cum debita reverentia receptis pro parte ejusdem electæ præfato D. Episcopo, & executori cum instantia fuit humiliter supplicatum, ut ad confirmationem prædictæ electionis & executionem ipsarum litterarum Apostolicarum procedere dignaretur, & deberet juxta traditam, seu directam a Sede Apostolica formam. Qui D. Episcopus Judex & executor præfatus volens tamquam obedientiæ filius mandata Apostolica sibi in hac parte commissa diligenter exequi, ut tenetur, ac attendens constitutionem fel. rec. D. Bonifatii Papæ VIII. super hujusmodi confirmationibus editam, edictum publicum in forma debita & consueta fieri fecit, & valvis Ecclesiæ ipsius monasterii affigi, ut infra certum terminum peremptorium competentem possent & deberent, qui vellent hujusmodi ellectioni, nec non contra ellectæ & elligentium personas opponere coram ipso judice comparere, in quo cum nemo comparuerit, neque post qui aliquid contra præmissa possit aut vellet opponere, dictaque D. Marina ellecta instanter peteret electionem hujusmodi per ipsum auctoritate Apostolica confirmari, vocatis monialibus ipsius monasterii ad capitulum, ut est moris, & omnibus aliis, qui fuerant evocandi, idem D. Andreas Episcopus ac Judex, & executor præfatus visa & examinata electione prædicta, & toto ejusdem electionis processu pro tribunali sedens pronuntiavit per ea, quæ dicta & facta sunt, & de quibus est plenissime informatus in electione prædicta electionem ipsam de præfata D. Maria Dandulo, ut præmittitur, celebratam & factam esse canonicam, juridicam atque justam, tanquam de persona idonea & sufficienti, ac ætatis legitimæ, & de legitimo matrimonio procreata, etiam ipsam esse de hiis omnibus ornatam, atque dotatam, de quibus data erat, & est informatio supradicto Domino Nostro Papæ prout eidem D. Episcopo, & executori præfato constitit evidenter; deinde vero electionem ipsam tanquam canonicam concordem & juridice celebratam & factam confirma-

ma-

mavit auctoritate prædicta in hunc modum & verba. Nos Andreas Episcopus Caprulensis Venetiis commorans Castellanæ Diocesis judex commissarius & executor præfatus auctoritate apostolica ad hæc specialiter deputatus præsentata nobis electione ac litteris Apostolicis supradictis de præfata D. Marina Dandulo ad dictum monasterium S. Mariæ de Virginibus facta vacans per obitum supradictæ q. D. Isabethæ decreto ipsius electionis, & forma ac facta diligenti examinatione de conditione & sufficientia ipsius D. Marinæ ellectæ, & qui diligenti & debita examinatione & inquisitione præmissis clare comperimus electionem prædictam fore canonicam, atque justam, præfatamque D. Marinam Dandulo esse, ut dictum est, omnibus hiis ornatam, de quibus data est informatio eidem Domino Nostro Papæ ipsam electionem tanquam canonice & juridice celebratam auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte in Dei nomine confirmamus, & etiam approbamus, prædictamque D. Marinam Dandulo sic electam & confirmatam de dicto monasterio S. Mariæ de Virginibus, ac omnibus suis juribus & pertinentiiis spiritualibus & temporalibus per anulum, quem habemus in manus eadem auctoritate liberaliter investimus, eamque in corporalem possessionem ipsius Monasterii, suorumque jurium & pertinentiarum prædictorum inducimus per pannos majoris altaris ecclesiæ monasterii supradicti stallo Abbatissæ in choro & loco in capitulo consueto sibi cum omni juris plenitudine assignatis. Mandantes eadem auctoritate omnibus & singulis monialibus ipsius monasterii, ac aliis subditis suis, ut eidem D. Marinæ Abbatissæ suæ pareant, sibique exhibeant obedientiam & reverentiam debitas & devotas, cujus mandati vigore omnes prædictæ moniales in publico capitulo coram nobis ac notario & testibus infrascriptis eidem D. Marinæ ellectæ Abbatissæ & confirmatæ in suam & dicti monasterii Abbatissam libere & gratanter receperunt, seque præ... esse dixerunt ad exhibendum semper sibi omnem obedientiam, & reverentiam debitas, & consuetas. Requirentesque notarium publicum infrascriptum, ut de præmissis omnibus publicum conficiat, instrumentum, quod sigilli nostri jussimus appensione muniri, & plura instrumenta si opus erit. Datum & actum in supradicto monasterio S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Castellanæ Diocesis. Anno, Indict. die, mense, & Pontificatu quibus supra. Præsentibus Ven. & Discretis Viris D. Francisco Spalatino Plebano Ecclesiæ S. Blasii, & Presb. Antonio q. Lucæ de Venetiis perpetuo beneficiato in Ecclesia S. Geminiani de Venetiis dicti loci Castellanæ Diocesis, & aliis testibus ad præmissa vocatis habitis specialiter, & rogatis.

Et Ego Morandus Philippi Clericus Cenetensis Diocesis publicus Apostolica, & Imperiali auctoritate notarius præmissis omnibus & singulis, dum ut præmittitur agerentur, & fierent, per supradictum D. Episcopum judicem & executorem ad ea auctoritate apostolica specialiter deputatum, simul cum dictis testibus præsens fui, eaque scripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque meo consueto signavi, una cum appensione sigilli ipsius D. Episcopi & exequutor requisitus in testimonium veritatis, & omnium præmissorum.

San-

Sanctimoniales Monasterii S. Mariæ de Virginibus orant Bonifacium Papam IX. ut Agnetem Lauretanam electam Abbatissam confirmare dignetur.


V. 1396. 7. Decembris.

Ex Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

SAnctissimo ac Beatissimo in Christo Patri, & Dom. Nostro D. Bonifatio divina providentia Sacrosanctæ Romanæ, ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici. Vestræ Beatitudinis humiles & devotæ Ursa Contareno, Dylasia Mauroceno, Christina Venerio, Agnesina Justiniano, Catharutia Bolani, Magdalucia Mariono, Christina Georgio, Philippa Bellegno, Zannetta Zane, Francischina Georgio, Nicoletta Contareno, Lucia Faletro, Betta da Molino, Ursa da Molino, Damore Georgio, Catharutia Justiniano, Catharutia Bragadino, Elena Contareno, Panthasilea Justiniano, Magdalutia Venetio, Zanina Bellegno, Francischina Bondemirro, Agnesina Quirino, Christina Dandulo, Anna Bellegno, Ysabetta Basilio, Ysabetta Gausono, Clara Memo, Damore Mauroceno, Anna Quirino, Agnesina Faletro, Francischina Grisono, & Francischina Viaro; omnes moniales professæ Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Romanæ Ecclesiæ immediate subjecti Ordinis S. Marci de Mantua Castellanæ Dioecesis cum omni humilitate devota ad pedum oscula beatorum. Piissime Pater, & Pastor universalis Ecclesiæ. Noverit vestra clementia, quod nuper monasterio vestro prædicto per obitum quondam religiosæ Sororis Marinæ Dandulo olim præfati Monasterii Abbatissæ apud ipsum monasterium defunctæ, vacante; Nos omnes Cupientes eidem Monasterio & nobis talem præesse personam, quæ valeat & vellit præfatum Monasterium, & Nos utiliter regere, & salubriter gubernare. Et attendentes personam Ven. & religiosæ D. Sororis Agnetis Lauredano ejusdem Monasterii Priorissæ ipsum ordinem jamdudum expresse professæ de legitimo matrimonio & nobili genere procreatæ, ætatis maturæ, utpote quæ septuagesimum suæ ætatis annum attigit, sufficientis litteraturæ, ac religionis zelo conspicuæ, vitæ ac morum honestate præclaræ, in spiritualibus providæ, & in temporalibus circumspectæ, ac aliis multiplicium virtutum meritis laudabiliter insignitæ, nec non regularibus, & ecclesiasticis disciplinis imbutæ fore præfato Monasterio, & nobis utilem & multipliciter fructuosam, conventualiter in dicto Monasterio in loco, qui dicitur Capitulum pro futuræ Abbatissæ electione celebranda congregatæ unanimiter, & concorditer nemine discrepante, eandem D. Sororem Agnetem Lauredano ibidem præsentem, & diutius renitentem, sed tandem nostris precibus devictam electioni de ipsa factæ per nos, non ut præesse vellit, sed prodesse valeat suum consensum præbentem per Sancti Spiritus inspirationem nullo alio inter nos præcedente tractatu, sed statim post præfatæ nostræ quondam Abbatissæ defunctæ corporis traditionem ecclesiasticæ sepulturæ in nostram & præfati Monasterii S. Mariæ de Virginibus elegimus Abbatissam. Vestræ clementiæ humiliter supplicantes, quatenus dignemini hujusmodi nostram electionem admittere gratiose, & auctoritate Apostolica confirmare, & ipsam D. Sororem Agnetem ellectam in nostram & præfati Monasterii Abbatissam perficere, quatenus auctore Domino nobis regulariter præesse valeat, & prodesse, & nos sub ejus felici regimine salubriter Altissimo ser-

servire possimus. Nam integritas præsidentium salus est omnium subditorum, & ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Ut autem omnium nostrum vota in hanc nostram supplicationem & præfatæ D. Sororis Agnetis electionem convenire noscatis, ipsam manu publica per notarium publicum infrascriptum conscribi fecimus, & sigilli præfati Monasterii jussimus appensionis munimine roborari. Datum & actum Venetiis in præfato monasterio S. Mariæ de Virginibus Castellanæ Diocesis. Anno Nativitatis Dominicæ 1396. Indictione IV. die Septima mensis Decembris, Pontificatus vestræ Beatitudinis, quam conservet Altissimus per longiora tempora Ecclesiæ suæ sanctæ, Anno VII. Præsentibus Rev. in Christo Patre & Domino D. Johanne Episcopo Justinopolitano, & Ven. & Nob. Viris D. D. Presb. Sancto q. Racione Canonico Ecclesiæ Justinopolitanæ, & Petro Lauredano q. D. Bernardi de contrata S. Vitalis, & Nicolao Lauredano q. D. Johannis de contrata S. Canciani Civibus Venetiarum testibus ad prædicta vocatis specialiter, & rogatis.

Et Ego Angelus q. Lucæ de Eugubio Clericus Tervisinus publicus Apostolica, & Imperiali auctoritate Notarius præfatæ supplicationi, & omnibus aliis & singulis suprascriptis una cum prænominatis testibus præsens fui, eaque omnia, & singula scripsi, & in hanc publicam formam de mandato suprascriptarum Dominarum Monialium, & Conventus una cum appensione sigilli dicti Conventus redegi, signoque meo consueto signavi in fidem, & testimonium omnium præmissorum.



Bonifacius IX. visitantibus Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Virginibus, eique opem ferentibus indulgentias elargitur.

Z. 1398. II. Julii.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

BOnifatius Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Gloriosus Deus in Sanctis suis & in ipsorum Sanctorum glorificatione congaudens in veneratione B. M. V. eo jocundius delectatur, quo utpote Mater ejus effecta meruit altius Sanctis cœteris in cœlestibus collocari. Cupientes igitur, ut Ecclesia Monasterii S. Mariæ de Virginibus Castellanæ Diocesis a Christifidelibus congruis honoribus frequentetur, & etiam conservetur, & ut fideles ipsi causa devotionis eo libentius confluant ad eamdem Ecclesiam, & ad ejus conservationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ibidem ex hoc dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui primo & secundo diebus mensis Maii Ecclesiam hujusmodi devote visitaverint annuatim & ad reparationem, & conservationem Ecclesiæ prædictæ manus porrexerint adjutrices, illam indulgentiam & remissionem peccatorum suorum auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, quam visitantes Ecclesiam B. Mariæ de Portiuncula, alias dictam de Angelis extra muros Assisinates primo, & secundo diebus mensis Augusti annuatim quomodolibet consequentur. Et nihilominus, ut Abbatissa Moniales & Conversæ ejusdem Monasterii indulgentiam hujusmodi

di uberius consequi possint, Cappellanis dictæ Ecclesiæ pro tempore existentibus tam secularibus, quam religiosis, idoneis, ut ipsi confessiones sæpedictarum, & singulorum eorumdem causa hujusmodi indulgentiæ assequendæ ad dictam Ecclesiam accedentium in diebus predictis auctoritate eadem audire, & ipsorum ac ipsarum confessionibus diligenter auditis pro commissis eis debitam absolutionem impendere valeant, ac injungere pro modo culpæ pœnitentiam salutarem, nisi forsan talia forent, propter quæ Sedes Apostolica sit merito consulenda, prædicta auctoritate de specialis dono gratiæ indulgemus, præsentibus perpetuis temporibus duraturis. Datum Romæ apud S. Petrum v. Idus Julii Pontificatus nostri Anno Nono.

Leonardus Delphinus Episcopus Castellanus permittit ingressum in Ecclesiam S. Mariæ de Virginibus, usque ad Altare Majus die prima, & secunda Maii.

A 2. 27. Aprilis 1399.

Ex Archivo Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus.

Reverendus in Christo Pater, & Dominus D. Leonardus Delphino Dei gratia Episcopus Castellanus. Universis & singulis præsentes litteras inspecturis Salutem, & sinceram in Domino caritatem. Notum vobis facimus per præsentes, quod Vos & singuli vestrum in duobus diebus mensis Maii, Vid. primo, & secundo, in quibus Indulgentia Apostolica Ecclesiæ S. Mariæ de Virginibus Nostræ Diocesis Castellanæ est concessa libere, & licite possitis ingredi dictam Ecclesiam procedendo usque ad Altare Magnum absque metu alicujus excommunicationis propter ingressum hujusmodi incurrendæ, dummodo Vos, vel aliquis Vestrum aliam Clausuram intra monasterium, ubi moniales commorantur, non ingrediatur. In quorum testimonium præsentes litteras fieri jussimus, & Curiæ Nostræ Castellanæ sigilli impressione muniri. Datum in Episcopali Palatio Castellano die XXVII. Aprilis MCCCLXXXXVIIII.

L S. Theodorus Notarius
Curiæ Castellanæ ss.

Consilium Decemvirum concedit facultatem erigendi Scholam Visitationis Beatæ Mariæ Virginis in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Virginibus.

B 2. 1399. 13. Augusti.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

Millesimo trecentesimo nonagesimo nono Indict. VII. die 13. mensis Augusti. Capta in Consilio de Decem.

Cum pro parte Venerabilis Dominæ Abbatissæ, & Monialium S. Mariæ de Virginibus devotissimarum Oratricum pro bono, & felici statu hujus inclitæ Civitatis nostro Dominio devote, & humiliter fuerit expositum, quod a casu, & infortunio sibi occurso combustionis sui Monasterii citra, passæ fuerunt, & patiuntur ad presens multa incomoda, & sinistra in tantum quod ut potuerunt rehe-

rehedificari, & reparari facere Monasterium antedictum ipsæ contentæ fuerunt totaliter privare se vino, quod per conventum ordinarie ministrabatur eisdem, convertendo pecuniam illam, & omnem aliam, quam restringendo se quantum potuerunt habere, & percipere quomodolibet potuerunt in fabricam Monasterii antedicti, & ita facere disposita sunt donec reduxerint ipsum locum ad terminum rationabilem, & necessariam habitationem. Sed cum per se sufficientes non existant, & considerent, quod faciendo fieri unam Scolam, & fraternitatem sub nomine, & vocabulo Visitationis Beatæ Virginis gloriosæ, & devotione dictæ Virginis, & dictæ solemnitatis recipient aliquam utilitatem, & subventionem, & propterea supplicaverunt, quatenus dignemur sibi hoc concedere de gratia spetiali. Vadit pars prædictis consideratis, quod fiat dictæ Dominæ Abbatissæ, & Monialibus gratia, quod possint dictam Scolam, & fraternitatem sub dicto vocabulo Visitationis Beatæ Virginis construi, & de novo facere fabricari; ut ad opus pium prædictum propter talis scolæ hedificationem sentire valeant aliquod emolumentum. Et ut habeant causam orandi continuo pro bono statu, & felici hujus benedictæ patriæ.

Bonifacius IX. Monialibus Sanctæ Mariæ de Virginibus permittit, ut bona sibi legata, vel acquisita in proprios usus de licentia Abbatissæ convertere possint.

C 2. 1400. 24. Februarii.

Ex Archivo Monasterii.

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus... Abbatissæ & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus ordinis S. Marci de Mantua Castellanæ Diocesis Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Apostolicæ Sedis benignitas prudentes Virgines, quæ accensis lampadibus obviam sponso iere tanto propensiori debet studio prosequi caritatis, quanto majori propter fragilitatem sexus indigere suffragio dinoscuntur. Sane petitio vestra nobis nuper exhibita continebat, quod facultates Monasterii vestri, quod in aquis constructum extitit, & in quo sub perpetua clausura manetis, adeo diminutæ sunt, quod exinde sustentari congrue non potestis, unde aliquarum privatarum Monialium ejusdem Monasterii parentes, consanguinei, vel affines, ac quandoque aliæ devotæ personæ, inopiæ ipsarum privatarum Monialium pie compaciendo eisdem aliqua sæpius largiuntur, aut legant pro indumentis ipsarum in vita, vel in morte, unde etiam ipsæ Moniales pro tempore possint commodius in vitæ necessariis recreari, quæ tamen bona, sic ipsis Monialibus donata, vel legata, vel etiam industria propria earundem licite acquisita, ipsæ moniales monasterio in morte relinquunt & cedunt in communes usus vestros, & monasterii memorati. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut eisdem Monialibus, quod quæcunque donata, relicta sive legata eisdem pro tempore per hujusmodi parentes consanguineos & affines earum, seu alias quascunque personas recipere, ac illa & etiam alia quæcunque hactenus acquisita, & quæ acquisierint licite tamen in futurum bona hujusmodi de licentia tamen Abbatissæ dicti Monasterii existentis pro tempore in privatos usus earum videlicet indumenta, & alia vitæ necessaria hujusmodi convertere pro tempore possint licentiam concedere de speciali gratia digna-

dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, ut hujusmodi singulæ sive privatæ Moniales præsentes, & posteræ privatim eis donata, relicta, & legata hujusmodi per eosdem parentes, consanguineos, affines, & quoscunque alios devotos, & Christifideles de licentia prædictæ Abbatissæ dicti Monasterii pro tempore existentis recipere ac etiam illa, nec non alia bona, quæ propriis industriis earumdem, ut præfertur acquisiverunt hactenus, sive ipsas acquirere contigerit, licite in futurum penes se retinere, ac in privatos usus earum videlicet in indumenta decentia juxta dicti Monasterii consuetudinem, & alia vitæ necessaria hujusmodi convertere, & pro illis discrete hujusmodi bona expendere, libere, & licite valeant, ita tamen, quod eis decedentibus, si qua ex hujusmodi bonis, sive relictis & legatis penes ipsas decedentes remanserint, illa apud Monasterium, & Abbatissam pro tempore existentem, ac alias superstites Moniales hujusmodi integre remanere, ac converti tantummodo debeant in communes usus earumdem, vobis & eisdem Monialibus pro tempore auctoritate Apostolica de speciali gratia indulgemus, generalis Concilii, & aliis apostolicis, nec non legatorum Sedis Apostolicæ, ac provincialibus & sinodalibus constitutionibus ac statutis, & consuetudinibus Monasterii & ordinis prædictorum juramento confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum VI. Kal. Martii. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

P. de Montella.



Bonifacius IX. concedit Monialibus Sanctæ Mariæ de Virginibus, ut mulieres consanguineas tempore infirmitatis in Monasterio recipiant.

D 2. 1400. 24. Februarii.

Ex Archivo Monasterii.

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus.. Abbatissæ & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus Romanæ Ecclesiæ immediate subjecti ordinis S. Marci de Mantua, Castellanæ Diocesis Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Devotionis vestræ sinceritas promeretur, ut quæ a nobis suppliciter postulatis affectu vobis benevolo concedamus. Hinc est, quod Nos vestris supplicationibus inclinati vestros parentes, consanguineos, & affines feminini sexus, quæ devotionis, aut alia justa & rationabili causa forte, ut alicui vel aliquibus ex Canonicabus pro tempore monasterii vestri, in quo sub perpetua clausura manetis, præsentibus & futuris loquantur, seu ipsas Canonicas, aut aliquam sive aliquas ex eis tunc egrotantem, seu egrotantes caritative visitare voluerint, infra septa ejusdem Monasterii recipiendi & admittendi, ipsisque parentibus, consanguineis, & affinibus, dummodo Abbatissæ dicti Monasterii pro tempore existentis ad id accedat assensus, Monasterium & septa hujusmodi ingrediendi, ita tamen quod earumdem ingredientium aliqua indecens quicquam non committat ibidem, fel. rec. Bonifacii

facii Papæ VIII. prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis, nec non legatorum Sedis Apostolicæ, ac Provincialibus, & Sinodalibus constitutionibus, nec non privilegiis, statutis, & consuetudinibus ordinis & Monasterii prædictorum juramento confirmatione Apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscunque, etiam si de hujusmodi privilegiis de verbo ad verbum præsentibus fieri deberet mentio specialis, vobis & etiam eis, quæ vobis pro tempore in monasterio ipso succedent, nec non eisdem parentibus, consanguineis, & affinibus auctoritate Apostolica tenore præsentium plenam & liberam concedimus facultatem, decernentes irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum VI. Kal. Martii. Pontificatus nostri anno undecimo.

P. de Montella.

Bonifacius IX. facultatem impertitur Monialibus Sanctæ Mariæ de Virginibus introducendi in Monasterio mulieres ad visitandum, seu ministrandum.

E 2. 1401. 15. Maii.

Ex Archivo Monasterii.

BOnifacius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Augustini Castellanæ Diocesis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ sinceritas promeretur, ut quæ a nobis suppliciter postulatis affectu vobis benevolo concedamus; hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut ad vestrum Monasterium, de quo nulla Monialis secundum statuta Ordinis S. Marci de Mantua, quæ inibi observantur, exire debet, quæque mulier, quæ causa vos visitandi, vel alias necessaria vobis ministrandi ad vos accedere, & monasterium ipsum ingredi voluerit, ad vos & quamlibet vestrum accedere, & monasterium hujusmodi intrare, quociens fuerit opportunum, si tuus filia Abbatissa, & ejus quæ eidem Monasterio præfuerit, ad id accedat assensus, quodque etiam quicunque Presbyteri, Clerici seculares, & regulares cujuscunque conditionis fuerint, Ecclesiam vestram majorem præfibati Monasterii pro divinis officiis inibi celebrandis, & Ecclesiasticis Sacramentis vobis Abbatissæ & Monialibus Conversis & famulis dicti Monasterii vestri ministrandis de assensu hujusmodi & quociens vobis placuerit & expediens fuerit ingredi valeant, prædictis & aliis quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, ordinationibus Patriarchalibus, ac Privilegiis in contrarium editis, nec non statutis, & consuetudinibus Monasterii & Ordinum prædictorum contrariis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis nequaquam obstantibus vobis auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu teme-

rario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum. Id. Maii Pontificatus Nostri Anno duodecimo.



Michael Steno Dux Venetiarum facultatem Monialibus Sanctæ Mariæ de Virginibus concedit alienandi bona Monasterii.

F 2. 1408. 20. Octobris.

Ex Archivo Monasterii.

IN Nomine Dei Æterni Amen. Anno ab Incarnatione D. N. J. C. 1408. mensis Octobris die 20. Indictione 2. Rivoalti. Nos Michael Steno Dei gratia Dux Venetiarum &c. Vobis Venerabilibus Dominabus...... Abbatissæ & Monialibus Monasterii Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Virginibus de Venetiis Diocesis Castellanæ salutem, & sinceram in Domino Caritatem. Cum Vos Dom. Abbatissa & Moniales dicti Monasterii S. Mariæ nonnullas possessiones, domos, terras, nemora, campos, prædia, prata, & alia bona in nostra Civitate Venetiarum, & alibi habeatis, quæ nulla auctoritate licentia & potestate præter nostra vendere, & alienare potestis, cum præsertim de dicto monasterio S. Mariæ nullus præter Nos ordinare, & disponere quoquo modo præsumat, & quandam cartam commissionis secundum usitatum morem Venetiarum rogavistis Nobilibus viris Francisco Girardo, & Petro Contareno, ac etiam Andreæ Bagatino Castaldioni vestro civibus nostris dilectis eisdem committendo, quatenus domos, possessiones, res, & bona prædicta dare, vendere, & alienare aliaque bona emere insolidum valerent, aliaque facere, ut in dicta carta commissionis manu Francisci de Soris Capellani Ecclesiæ nostræ S. Marci & Notarii Venetiarum infrascripti completa & roborata facta die quartodecimo præsentis mensis Octobris de præsentibus millesimo, & indictione plenius annotatur. Nos vero putantes firmumque tenentes, quod dicti procuratores bonum & utile dicti vestri Monasterii totis viribus procurabunt, igitur dictis Nobilibus Viris Francisco Girardo, & Petro Contareno, ac etiam Andreæ Bagatino Castaldioni vestro ea bona quæcunque vestri monasterii intus & extra Civitatem nostram Venetiarum vendere vallendi dare, transferre, & alienare quibuscunque hominibus & personis pro illo prætio, & cum illis pactis, conditionibus, & formis, aliaque bona quæcunque emere & facere prout eis apparuerit insolidum convenire, vigore dictæ cartæ commissionis per notarium infrascriptum, ut præmittitur factæ, auctoritatem, parabolam, licentiam, consensum, & plenariam potestatem tenore præsentium concedimus, & impartimur. Promittentes cum nostris successoribus firmum, ratum & gratum habere, tenere, attendere, & adimplere quicquid in contentis in dicta carta commissionis quilibet eorum insolidum duxerit faciendum, & mandantes Francisco de Soris Notario prælibato, quatenus in memoria futurorum de præmissis omnibus per modum nostrum Venetiar. publicum conficiat instrumentum.

Ego Antonius a Turre S. Mariæ de Muriano Pleb. & Cancell. tt. ss.
Ego Basilius Dalvasio Cancell. tt. ss.

Ego Franciscus de Soris Capellanus Eccl. S. Marci Venet. & Not. comp. & robor.

Fran-

Franciscus Bembus Episcopus Castellanus ex vigore litterarum Apostolicarum Alexandri Papæ V. Prioratum Sanctæ Margaritæ de Pulveraria Ordinis Sancti Benedicti Paduanæ Diœcesis, unit & annectit Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus.

G 2. 1409. 21. Novembris. Concessum.

1409. 23. Decembris. Exequutum.

Ex Autographo in Monasterio S. Mariæ de Virginibus.

FRancifcus Bembo Dei; & Apoftolicæ Sedis gratia Epifcopus Caftellanus executor ad infrafcripta deputatus fpecialiter a Sede Apoftolicâ. Dilectis nobis in Chrifto Ven. D. D. Abbatiffæ, Monialibus, & Conventui Monafterii S. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Marci de Mantua noftræ Caftellanæ Diocefis Salutem, & fincerâm in Domino caritatem. Reverenter recepimus nuperrime litteras Sanctiffimi in Chrifto Patris, & Domini Noftri Domini Alexandri divina providentia Papæ V. vera ipfius bulla plumbea cum cordula canapis in pendenti more Romanæ Curiæ munitas, fanas, integras non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua fui parte fufpectas, fed omni prorfus fufpicione carentes ut prima facie apparebat nobis præfentatas & exhibitas per Nobilem, & egregium Virum D. Petrum Contareno q. D. Nicolai de confinio S. Fufcæ findicum, & procuratorem veftrum quarum quidem litterarum Apoftolicarum tenor fequitur, & eft talis videl.

Alexander Epifcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. Epifcopo Caftellano Salutem, & Apoftolicam benedictionem. Sacræ religionis fub qua dilectæ in Chrifto filiæ Abbatiffa & Conventus Monafterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis ordinis S. Marci de Mantua tuæ Diocefis devotum & fedulum exhibent Domino famulatum promeretur honeftas ut illa eis favorabiliter concedamus quæ ipfarum commoditatibus fore confpicimus opportuna. Exhibita fiquidem nobis nuper pro parte dictarum Abbatiffæ & Conventus petitio continebat, quod propter guerrarum turbines & alias diverfas tribulationes, quæ in illis partibus viguerunt Monafterium prædictum in quo octuaginta, vel circa Moniales detrimenta patiuntur five non poffunt fine penuria fuftentari, & quod fi Prioratus de Pulveraria Ordinis S. Benedicti Paduanæ Diocefis, qui ab aliquo Monafterio, vel alio regulari loco non dependet, & in quo nullus Monachus dicti Ordinis refidet eidem Monafterio S. Mariæ uniretur ex hoc melioraretur conditio dicti Monafterii S. Mariæ, ac eisdem Abbatiffæ, & Monialibus pro earum fuftentatione convenienter provideretur. Quare pro parte Abbatiffæ & Conventus prædictarum nobis fuit humiliter fupplicatum, ut dictum Prioratum eidem Monafterio S. Mariæ in perpetuum incorporare annectere, & unire de fpeciali gratia dignaremur. Nos igitur hujufmodi fupplicationibus inclinati Fraternitati Tuæ per Apoftolica fcripta committimus & mandamus quatenus fi eft ita fuper quo tuam confcientiam oneramus prædictum Prioratum cujus centum & feptuagintaquinque cum omnibus juribus, & pertinentiis fuis eidem Monafterio S. Mariæ cujus ducentorum & quinquaginta Ducatorum auri fructus, redditus, & proventus fecundum communem extimationem valorem annuum ut dictæ Abbatiffa & Conventus afferunt non excedunt

cedunt

cedunt auctoritate nostra in perpetuum incorpores, unias, & annectas ita quod cedente, vel decedente dilecto filio moderno Priore dicti Prioratus, seu ipsum Prioratum alias quomodolibet dimittente liceat Abbatissæ & Conventui prædictis per se, vel alium corporalem possessionem Prioratus juriumque & pertinentiarum prædictorum auctoritate propria libere apprehendere, ac fructus, redditus, & proventus hujusmodi Prioratus ejusdem in earum & dicti Monasterii B. Mariæ usus perpetuo retinere diocesani loci & cujuscunque alterius super hoc licentia minime requisita. Proviso quod per ydoneum Præsbyterum sæcularem ad nutum Abbatissæ dicti Monasterii pro tempore existentis, nec non hujusmodi conventum pro tempore ponendum, & amovendum in Ecclesia dicti Prioratus Missæ & alia divina officia celebrentur cui Abbatissa & Conventus prædictæ de hujusmodi fructibus, redditibus, & proventibus ipsius Prioratus de vitæ necessariis decenter providere, ac etiam Episcopalia jura solvere, nec non alia sibi incumbentia onera supportare integre teneantur. Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus Monasterii B. Mariæ & ordinum prædictorum contrariis juramento confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de Prioratibus hujusmodi spetiales, vel aliis benefitiis ecclesiasticis in illis partibus generales Apostolicæ Sedis, vel legatorum ejus litteras impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem & Decretum, vel alias quomodolibet sit processum quas quidem litteras & processus habitos per easdem ad hujusmodi Prioratum volumus non extendi sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem Prioratuum, aut benefitiorum aliorum præjuditium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus, vel spetialibus quorumcunque tenorum existant per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio spetialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Pistorii XI. Kalend. Decembris Pontificatus Nostri Anno Primo.

Jo: de Cottis.

Post quarum quidem præsentationem litterarum Apostolicarum, & receptionem dictus sindicus & procurator nomine vestro nos cum instantia debita requisivit ut ad executionem litterarum Apostolicarum hujusmodi procedere curaremus juxta traditam nobis a Sede Apostolica formam. Quocirca Nos Franciscus Episcopus & executor præfatus volentes mandatum hujusmodi Apostolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi, ut tenemur tenore præsentium auctoritate Apostolica qua fungimur in hac parte, & omni alio modo jure, via, causa & forma quibus melius possumus, & debemus prædictum Prioratum de Pulveraria Ordinis S. Benedicti Paduanæ Diocesis qui ab aliquo Monasterio, vel alio regulari loco non dependet, & in quo nullus Monachus dicti Ordinis residet cum omnibus juribus & pertinentiis suis Eidem Monasterio S. Mariæ de Virginibus de Venetiis vestro in perpetuum incorporamus, unimus, & annectimus ac auctoritate eadem præsentium serie incorporatum, unitum, & annexum eidem Monasterio vestro ex nunc esse pronuntiamus, decernimus, & declaramus attento & inspecto tenore litterarum Apostolicarum prædictarum consideratisque causis, modis, & condicionibus in eisdem expressis, ipsisque purificatis repertis, & existentibus veris, & etiam dicimus & declaramus quod juxta, & secundum tenorem ipsarum litterarum Apostolicarum vobis liceat, & licitum sit corporalem possessionem & tenutam Prioratus juriumque & pertinentiarum præ-

prædictorum auctoritate propria libere apprehendere, ac fructus, redditus, & proventus hujusmodi Prioratus in usus vestrarum Dom. Abbatissæ Conventus & Monasterii B. Mariæ perpetuo retinere diocesani loci, & cujuscunque alterius super hoc licentia minime requisita proviso, & quod post ydoneum præsbiterum secularem ad nutum D. Abbatissæ dicti monasterii pro tempore existentis, nec non hujusmodi Conventum pro tempore ponendum, & amovendum in Ecclesia dicti Prioratus Missæ, & alia divina officia celebrentur; cui præsbitero vos teneamini de hujusmodi fructibus, redditibus, & proventibus ipsius Prioratus de vitæ necessariis decenter providere, & etiam Episcopalia jura solvere, nec non alia sibi incumbentia onera supportare integre. Decernentes prout est expressum in dictis litteris Apostolicis irritum & inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et hæc omnia non obstantibus omnibus illis quæ præfatus Dominus Noster Papa in dictis suis litteris Apostolicis voluit non obstare. In quorum omnium testimonium & evidentiam pleniorem præsentes litteras nostri Pontificalis sigilli appensione munitas duximus vobis concedendas. Datum & actum Venetiis in nostro Episcopali palatio Castellano præsentibus testibus ad hæc vocatis & rogatis nobile, & egregio viro D. Bernardo Georgio qu. D. Marci de confinio S. Mariæ Jubanico ac Ven. & egregio Viro D. Dominico de Oschulo Vicario nostro. Anno Dominicæ Nativitatis millesimo quadragesimo nono Indictione secunda die vigesimo tertio mensis Decembris Pontificatus vero præfati Domini Nostri Papæ Alexandri Quinti Anno Primo.

Ego Petrus de Carono natus q. s. Stephani habitans Venetiis in confinio S. Martialis publicus Imperiali auctoritate & Curiæ Episcopalis Castellanæ Notarius & offitialis prædictis omnibus interfui dum ut præmittitur agerentur in præsentia dictorum testium illaque omnia rogatus scripsi & hic me in testimonium omnium præmissorum subscripsi.

Monasterium Sanctæ Mariæ de Virginibus orat Martinum Papam V. ut concessionem Alexandri Papæ V. pro unione Prioratus S. Margaritæ de Pulveraria ad suum perducat effectum.

1417. 12. Maii.

Ex Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

BEatissime Pater. Dudum D. Alexander Papa V. in sua obedientia nuncupatus V. S. prædecessor devotis ejusdem Abbatissæ, & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Ordinis S. Marci de Mantua Castellanæ Diocesis in quo octuaginta vel circa Moniales in eodem Monasterio professæ degunt in suis redditibus adeo diminutæ sunt quod sine penuria substentari nequeunt ipsorum calamitatibus pie compatiens per suas litteras concessit gratiose ut Prioratus de Pulveraria Ordinis S. Augustini Paduanæ Diocesis qui ab alio monasterio, vel alio regulari loco non dependet, & in quo nullus canonicus dicti ordinis residebat prout nec residet de præsenti eidem Monasterio S. Mariæ de Virginibus cedente, vel decedente tunc Priore regente uniretur prout in concessione dicti Dom. Alexandri continetur. Cum autem Pater sancte gratia ipsa nondum fuerit sortita effectum monialesque prædictæ maxima detrimenta, & incommoda patiantur. Et nuperime S. V. devoto vestro Clementi electo Calamonen. de ecclesia ipsa Calamonen. quem certo modo

do vacante gratiose providerit, & propterea Prioratus Monasterii S. Crucis Paduanæ Diocesis Ordinis S. Augustini, quem ipse Clemens per hujusmodi promotionem & munus consecrationis impendendum electo aut lapsum temporis de consecrandis Episcopis vacare speretur in brevi. Supplicant S. V. devoti vestri Marinus Caravello, Fantinus Michael, Antonius Contareno, & Franciscus Foscari, oratores illustris Principis Ducis & Dominii Venetorum præfati quatenus devoto S. V. Donato de Verona Priori Prioratus de Pulveraria prædicti ordinis Paduanæ Diocesis de dicto Prioratu S. Crucis cujus fructus cc. ducat. auri co: ex: va: an: non ex: cum per hujusmodi munus consecrationis impendendum eidem electo, aut lapsum temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti vacaverit etiam si actum per hujusmodi promotionem, aut alias quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, vel per constitutionem execrabilis vacet, aut reservatus devolutus seu litigiosus curatus & electus sit dignemini.... providere aut con .... reservare & deinde Prioratum de Pulveraria prædictum in quo nullus Canonicus residet ut præfertur cujusque fructus &c. ccc. ducat. auri co: ex: prædicta va: an: non excedunt inperpetuum incorporare, annectere, & unire juxta & secundum formam concessionis per præfatum D. Alex. prædecessorem S. V. alias concessum ita quod liceat Abbatissæ & Conventui ipsius monasterii Monialium corporalem possessionem ipsius Prioratus de Pulveraria apprehendere & fructus in eorum usus, & dicti monasterii Monialium convertere alicujus super hoc licentia minime requisita pensionem annuam super fructus &c. dicti Prioratus de Pulveraria centum florenorum annis singulis per ipsos Abbatissam & Conventum prædicto Donato quoad vixerit persolvendam reservare dignemini reservata etiam congrua portione pro seculari Præsbytero per hujusmodi Abbatissam & Conventum in eodem Prioratu de Pulveraria ponendo & ad nutum eorum amovendo qui missas, & alia divina officia mihi celebrare habeat unde ipse Præsbiter honesta & incumbentia sibi onera supportare valeat cum non obstantibus & clausulis opportunis ut in forma. Inde sequitur signatio manu Papæ. Fiat commissio.

Datum Constantiæ IV. Idus Maii Anno Primo.

Alfonsus de Caneisrubeis Delegatus Apostolicus Prioratum Sanctæ Margaritæ de Calcinaria ex Mandato Eugenii Papæ IV. a Congregatione Sancti Georgii in Alga disjunctum Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus unit, & adnectit, assentiente, & resignante Donato Priore.

1441. 4. Julii.

Ex Autographo in Archivo Sanctæ Mariæ de Virginibus.

Alfonsus de Caneisrubeis Archidiaconus Ecclesiæ Zamorensis executor unicus Apostolicus ad infrascripta specialiter deputatus. Universis & singulis, ad quos præsentes pervenerint, seu ad quos præsens tangit negotium, seu quomodolibet tangere poterit in futurum quibuscunque nominibus censeantur, aut quacunque fulgeant dignitate etiam communiter vel divisim salutem in Domino, & nostris hujusmodi ymo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis: Litteras Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri D. Eugenii Divina providentia Papæ IV. cum bulla plumbea ad cordulam canapis more Romanæ

manæ

manæ Curiæ impendenti bullatas, sanas, & integras non vitiatas non cancelatas, non abrasas, nec in aliqua sui parte corruptas, sed omni prorsus vitio & suspitione carentes. Nobis per Ven. & Nobilem D. Suora Damore Mauroceno Abbatissam benemeritam Monasterii & Conventus Ven. D. D. Monialium S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Castellanæ Diocesis. Præsentibus, & consentientibus ac insimul cum præfata D. Abbatissa requirentibus omnibus infrascriptis Ven. D. D. Monialibus dicti Monasterii in sala majori superiori ipsius Monasterii capitulariter more solito ad sonum campanelæ congregatis repræsentantibus totum & integrum capitulum ipsius Monasterii, & vocem in ipso capitulo habentibus, in quo quidem capitulo interfuerunt vid. Ven. & Nobilis D. SuoraDamor Mauroceno Abbatissa prædicta, D. Soror Brisca Justiniano Priora D. D. Sorores Anna Belegno, Regina de Canali, Beretina Michael, Franceschina Lauredano, Andriola Nigro, Jacomella Bursio, Pantasilea Contareno, Maria Dandulo, Lucia Muatio, Helena Justiniano, Agnesina Gezo, Lucia de Canali, Nadalina Mudatio, Lucretia Leono, Ursia Bondimerio, Barbarela Mudatio, Crestina delle Bocole, Franceschina Quirino, Maria Contareno, Foscarena Foscháreno, Lucretia Justiniano, Elisabet Lauredano, Clara Quirino, Contarena Contareno, Maria Justiniano, Flordelisia Contareno, Elisabet Superantio, Elisabet Bragadino, Beatrix Quirino, Ursia Erizo, Crestina de Canali, Heusemia Lauredano, Contarena Contareno, Helena Leono, Maria Contareno, Magdalena de Canali, Contesia Minio, Cristina Georgio, Blancha Georgio, Helena Zane, Cecilia Gabriel, Abadonna Zane, Armelina Leono, & Helena Marino omnes Moniales professæ monasterii prædicti & in quibus auctoritas, & potestas dicti Monasterii & Conventus erat & est quantum ad hunc actum cum sint plusquam duæ partes ex tribus Dominarum Monialium de præsenti professarum in Monasterio prælibato, & coram Notario publico & testibus infrascriptis præsentatas Nos cum ea qua decuit reverentia noveritis recepisse hujusmodi sub tenore Vid. Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Alfonso de Caneisrubeis Archidiacono Ecclesiæ Zamorensis Salutem & Apostolicam Benedictionem. Sedis Apostolicæ circumspecta benignitas circa Monasteriorum & aliorum religiosorum locorum, nec non in eis præsertim sub fragili sexu & regulari observantia degentium personarum omnium statum utiliter & prospere dirigendum libenter intendens illorum opportunitatibus providet ac desuper disponit & ordinat prout id conspicit in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem per nos accepto quod Prioratus Conventualis Sanctæ Margharitæ de Pulveraria Ordinis S. Augustini Paduanæ Diocesis jam multis tunc elapsis annis regulari observantia ac religiosis inibi residentibus & ordinem ipsum expresse professis destitutus, nec non in Divino cultu neglectus plurimum extiterat quodque modica spes existebat quod ille ex tunc in antea ad debitam præfati ordinis observantiam deduci deberet. Nos tunc tam ex præmissis quam pro incremento divini cultus in Ecclesia S. Johannis Decollati extra portam Ponticurvi Paduani ac commodiori substentatione Canonicorum de Congregatione S. Georgii in Alega de Venetiis Castellanæ Diocesis in ea in communi pro tempore viventium & nonnullis aliis rationabilibus causis tunc expressis inter cœtera Prioratum prædictum eidem Ecclesiæ per alias nostras litteras motu proprio ex certa scientia perpetuo incorporavimus, annexuimus, & univimus ita quod cedente, vel decedente Priore tunc existente dicti Prioratus, seu alias illum quomodolibet dimittente liceret Canonicis de Congregatione hujusmodi per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem dicti Prioratus auctoritate propria libere apprehendere, ac illius fructus, redditus, & proventus in Ecclesia S. Johannis ac Canonicorum in ea pro tempore degentium

tium hujusmodi usus & utilitatem convertere & exponere prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem sicut accepimus dudum ante Datam litterarum earundem præfatus Prioratus Monasterio Monialium Beatæ Mariæ de Virginibus de Venetiis ordinis S. Marci de Mantua dictæ Castellanæ Diocesis vigore quarumdam litterarum quondam Alexandri V. in sua obedientia de quo partes illæ erant nuncupati perpetuo unitus, annexus, & incorporatus fuerat, & alias dilecti filii Nobiles Viri Franciscus Foscari Dux nec non Communitas Venetiarum pie considerantes quod præfatum Monasterium causantibus diversis sinistris eventibus in suis facultatibus plurimum diminutum remansit & remanet quodque ille ad sustentationem, & aliorum onerum supportationem dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus ejusdem Monasterii numero septuaginta, vel circa ac pro majori parte de Nobili genere procreatæ in eo præsentialiter degentes sufficere non videntur ad hoc ut ipsæ & aliæ pro tempore existentes dicti Monasterii Abbatissæ & Moniales se comodius sustentare & onera hujusmodi supportare valeant præfatum Prioratum eidem Monasterio denuo uniri annecti & incorporari desiderent, ac etiam dilectus filius modernus Prior dicti Prioratus illum quem temporibus Datæ nostrarum ac Alexandri litterarum hujusmodi obtinebat prout adhuc obtinet in favorem Monasterii Abbatissæ & Monialium prædictorum sponte & libere cedere proponat. Nos desiderio Ducis & Communitatis & votis Prioris hujusmodi in hac parte favorabiliter annuere, nec non opportunitatibus eorumdem Monasterii Abbatissæ & Monialium quantum cum Deo possumus providere volentes & litteras nostras prædictas quarum effectus nondum provenisse dinoscitur ac omnia & singula in eis contenta & inde secuta auctoritate Apostolica ex certa scientia annullantes ac pro nullis & inoertis habentes Ducis & communitatis, ac Abbatissæ & Conventus prædictorum in hac parte supplicationibus inclinati discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus ab eodem Priore vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto resignationem hujusmodi si illam in tuis manibus facere voluerit, ut præfertur auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipias, & admittas. Et nihilominus si idem Prior ut præmittitur resignaverit sive non Prioratum prædictum cujus trecentorum etiam si ei cura animarum immineat & ad illum consueverit quod per electionem assumi illeque ab aliquo monasterio seu regulari loco dependeat, ac ex quavis causa dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservatus existat cum membris annexis, & aliis omnibus juribus, & pertinentiis suis eidem Monasterio Beatæ Mariæ cujus ducentorum, & quinquaginta Florenorum auri de Camera fructus, redditus, & proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, perpetuo incorpores, unias, & annectas itaque facta resignatione prædicta, seu alias postquam idem Prior decesserit aut ipsum Prioratum dimiserit liceat Abbatissæ & Conventui præfatis per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem Prioratus membrorum annexorum juriumque & pertinentiarum prædictorum auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere ac hujusmodi illius fructus, redditus, & proventus in suos & dicti monasterii usus, & utilitatem convertere diocesani loci, & cujuscunque alterius super hoc licentia minime requisita. Non obstantibus litteris nostris ac in illis contentis prædictis quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserti forent haberi volumus pro expressis ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non alterius Monasterii sive loci ac Prioratus & Ordinis S. Augustini præfatorum juramento confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus cæterisque contrariis quibuscunque aut si aliquis super promissionibus sibi faciendis

dis de Prioratibus hujusmodi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis, & in illis partibus generales præfatæ Sedis, vel legatorum ejus litteras impetraverit etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem litteras & processus ad dictum Prioratum volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Prioratuum, vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis indulgentiis & litteris Apostolicis specialibus, vel generalibus quorumcunque tenorum existant per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri. Et de quibus quorumcunque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem quod propter faciendas unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi dictus Prioratus debitis non fraudetur obsequiis, & animarum cura si qua illi immineat nullatenus negligatur. Datum Florenciæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo primo pridie Idus Junii Pontificatus nostri anno undecimo. Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem, & receptionem fuimus per præfatam Ven. D. Abbatissam suo nomine & dicti sui monasterii & monialium prædictarum coram nobis constitutarum debita cum instantia requisiti quatenus ad exequutionem ipsarum litterarum Apostolicarum & contentorum in eis procedere dignaremur juxta traditam, seu directam a Sede Apostolica nobis formam. Nos igitur Alfonsus de Caneisrubeis exequutor præfatus attendentes requisitionem hujusmodi fore justam & consonam rationi volentesque prædictum mandatum Apostolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi ut tenemur auctoritate Apostolica nobis in hac parte commissa comparente coram nobis Ven. Viro Fr. Donato moderno Priore Monasterii S. Margaritæ de Pulveraria suprascripti & specialiter certificato de præfatis litteris Apostolicis, & contentis in eisdem omni modo, via, jure, & forma quibus magis melius & validius potuit, atque potest sponte pure libere & simpliciter renunciavit in manibus nostris dictum Prioratum & omnibus & quibuscunque juribus quæ ipse D. Donatus Prior habet habebat seu habere videbatur & poterat in dicto monasterio quomodocunque & qualitercunque; quam quidem renunciationem sic ut dicitur factam dicta Apostolica auctoritate acceptavimus, approbavimus & ratificavimus delato in primis corporali juramento ipsis D. Priori, & D. Abbatissæ nomine suo & dicti Monasterii jurantibus, & ad sacrosancta Dei Evangelia manibus, tactis scripturis asseverantibus, & affirmantibus quod in ipsa renunciatione non intervenit aliquis dolus, neque fraus simoniacæ pravitatis, neque aliquid aliud a jure prohibitum, vel reprobatum post quas quidem renunciationem, & acceptationem ac juramenti delationem in executione præfatarum litterarum Apostolicarum, & mandatorum nobis injunctorum ut supra Prioratum prædictum etiam si ei cura animarum immineat, & ad illum consueverit quis per electionem assumi illeque ab aliquo alio monasterio, seu regulari loco dependeat ac ex quavis causa dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservatus existat cum membris annexis ac aliis omnibus juribus & pertinentiis suis eidem monasterio B. Mariæ de Virginibus perpetuo incorporavimus, univimus, & annexuimus sicuti per præsentes perpetuo incorporamus, unimus, & annectimus dictumque Prioratum ex nunc auctoritate præsentium eidem monasterio incorporatum, unitum, & annexum esse decernimus, atque declaramus auctoritate Apostolica nobis in hac parte concessa. Ita ut amodo liceat D. Abbatissæ & Conventui præfatis per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem prioratus membrorum, annexorum, connexorum juriumque & pertinentiarum prædictorum auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac hujusmodi illius fructus, red-

redditus, & proventus in suos & dicti monasterii usus, & utilitatem convertere Diocesani loci & cujuscunque alterius super hoc licentia minime requisita non obstantibus litteris Beatissimi Domini Nostri Papæ præfati alias concessis Ven. D. D. Canonicis de Congregatione S. Georgii in Alega de Venetiis Castellanæ Diocesis quas Beatitudo Sanctissimi Domini Nostri Eugenii Summi Pontificis ut clare patet per suas litteras apostolicas nobis directas revocavit & annullavit omnibusque aliis quæ Sua Sanctitas eisdem litteris non obstare voluit. Ita tamen quod de cœtero provideatur per vos D. Abbatissam & Moniales, ac Monasterium vestrum nunc, & in futurum perpetuis temporibus debito modo quod animarum cura si qua dicto Prioratui inest nullatenus negligatur, & eidem Prioratui faciatis in divinis per aliquem idoneum præsbyterum deserviri juxta Sanctissimi Domini Nostri & earumdem litterarum continentiam, & tenorem. Præterea vobis omnibus & singulis supradictis quibus præsens noster processus dirigitur vel ad quos præsens tangit negotium, seu quomodolibet tangere poterit in futurum omnia, & singula præmissa, ac præfatas litteras Apostolicas, & hunc ipsum nostrum processum, & quæcunque in eis contenta & exinde secuta intimamus, insinuamus, & notificamus ac ad vestrum, & cujuslibet vestrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præsentes vosque nihilominus, & vestrum quemlibet auctoritate prædicta tenore præsentium requirimus, & monemus primo, secundo, tercio & perhemptorie ac vobis & vestrum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub infrascriptis sententiarum pœnis districte præcipiendo mandamus quatenus infra sex dierum spatium post præsentationem, seu receptionem prædictarum litterarum Apostolicarum & præsentis nostri processus, ac requisitionem, seu alteri vestrum pro parte dictarum Dominarum Abbatissæ Monialium, & Conventus B. Mariæ de Virginibus, seu eorum sindici, & procuratoris vigore præsentium desuper factæ immediate sequentes quorum sex dierum duos pro primo duos pro secundo, & reliquos duos dies vobis universis & singulis supradictis pro tertio, & perhemptorio termino hac monitione canonica assignamus eamdem D. Abbatissam moniales, & Conventum, vel sindicum sindicos procuratorem, seu procuratores suos pro eis, & earum nomine in possessione dicti Prioratus juriumque & pertinentiarum ejusdem auctorizetis & defendatis amoto exinde quolibet illicito detentore quem nos in quantum possumus & debemus, amovimus, & denuntiamus amotum ipsisque D. D. Abbatissæ & Monialibus sindicis, & procuratoribus suis de ipsius Prioratus possessione, & jure ejusdem fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, & obventionibus universis plenarie & integre respondeatis, ac ab aliis quantum in vobis fuerit responderi faciatis & procuretis. Quod si forte præmissa omnia & singula non adimpleveritis, mandatisque & monitionibus nostris hujusmodi immo verius apostolicis non parueritis cum effectu Nos in vos omnes & singulos supradictos qui culpabiles fueritis in præmissis & generaliter in contraditores quoslibet & rebelles, nec non impedientes præfatas D. D. Abbatissam & Moniales sindicos & procuratores super præmissis in aliquo ac ipsos, vel ipsas impedientes dantes auxilium consilium, & favorem publice, vel occulte directe, vel indirecte quovis quæsito colore in dicto Prioratu juribus, & pertinentiis ejusdem a cujuscunque dignitatis, status, gradus ordinis vel condicionis existant ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc singulariter & singulos dicta sex dierum canonica monitione præmissa excommunicationis in Ecclesia vero capitula, collegia & universitates quæcunque in his delinquentes, & delinquentia suspensionem a divinis & in ipsorum delinquentium, & rebellium hujusmodi ecclesias, & monasteria interdicti sentencias ferimus in his scriptis, & etiam promulgamus. Cœterum cum ad exequutionem præmissorum ulterius faciendam

dam nequeamus quoad præsens pluribus aliis arduis præfati Sanctissimi Domini nostri negociis occupati personaliter interesse universis & singulis D.D. Abbatibus, Prioribus, Præpositis Dechanis, Archidiaconis, scolasticis, cantoribus, thesaurariis, custodibus, sacristis tam cathedralium, quam collegiatarum canonicis, Parochiarumque Ecclesiarum Rectoribus, seu loca tenentibus earum plebanis, & viceplebanis, capellanis, curatis, non curatis cæterisque præsbyteris, clericis, notariis, & tabellionibus publicis quibuscunque ubilibet constitutis & eorum cuilibet in solidum super ulteriori exequutione dicti mandati Apostolici, atque nostri facienda dicta auctoritate Apostolica tenore præsentium committimus plenarie vices nostras donec eas pro ista parte ad nos duxerimus revocandas quos, & quemlibet eorum insolidum eisdem auctoritate tenore requirimus, & monemus primo, secundo, tertio, & peremptorie eis & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna quam in eos, & eorum quemlibet nisi infra trium dierum spatium post requisitionem præfatarum Dominarum Abbatissæ & Monialium sindicorum, & procuratorum, seu sindici & procuratoris earum desuper factis immediate sequentium quos dies cuilibet ipsorum pro omni dilatione terminoque perhemptorio hac canonica monitione assignamus fecerint que eis in hac parte committimus, & mandamus prædicta canonica monitione præmissa ex nunc prout ex tunc ferimus in his scriptis stricte præcipiendo mandantes quatenus ipsi, & eorum singuli qui de super his fuerint requisiti ut præfertur. Ita tamen quod in his exequendis unus alium non expectet nec alter pro alio se excuset ad vos omnes & singulos suprascriptos quibus præsens noster processus dirigitur personasque, & loca alia de quibus expediens fuerit personaliter accedant, seu accedat, & præfatas litteras Apostolicas in hunc nostrum processum omniaque, & singula in eis contenta vobis communiter, & divisim legant intiment, insinuent, & notificent & fideliter publicare faciant, & procurent. Nec non præfatas D. D. Abbatissam & moniales sindicos & procuratores suos, seu sindicum & procuratorem suum earum nomine si requisiti fuerint aut alter eorum fuerit requisitus in & ad corporalem, realem & actualem possessionem Prioratus prædicti juriumque & pertinentiarum ejusdem inducant auctoritate nostra imo verius Apostolica, & defendant inductus amoto exinde quolibet illicito detentore quem nos ut supra amovemus, & denunciamus amotum eisque D. D. Abbatissæ & Monialibus, sindicis & procuratoribus, seu sindico & procuratori suis de ejusdem Prioratus possessione, & jurium, fructibus, & redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis plenarie & integre responderi faciant, & procurent. Et generaliter omnia alia, & singula nobis in hac parte commissa plenarie exequantur juxta traditam & directam nobis a Sede Apostolica formam ita tamen quod vos, seu alter vestrum nihil in præjudicium dictarum Dominarum Abbatissæ, & monialium monasterii & Conventus, successorumque suarum valeatis attentare, nec in processibus per vos habitis & sententiis per nos latis absolvendo, vel suspendendo aliquid immutare, contravenire, vel innovare possitis in cæteris autem quæ eisdem D. D. Abbatissæ, & Monialibus monasterio, conventui & successoribus suis, aut sindicis & earum procuratoribus super præmissis in aliquo nocere possit, seu obesse vobis, & quibuscunque aliis potestatem omnimodam denegamus. Et si contingat vos, seu alter vestrum super præmissis in aliquo procedere de quo nobis potestatem plenariam reservamus non intendimus propterea commissionem nostram hujusmodi in aliquo revocare nisi de revocatione ipsa specialem, & expressam fecerimus mentionem per processum auctoritate nostra hujusmodi factum præfatas quoque litteras sive processus volumus pœnes ipsas D.D. Abbatissam & Moniales successores suas, aut pœnes sindi-

sindicos & procuratores suos de earum voluntate remanere, & non per vos, aut aliquem vestrum, seu quemcunque alium contra ipsarum voluntatem quomodolibet detineri. Contrarium vero facientes præfatis nostris sentenciis prout supra latis ipso facto volumus subjacere. Mandamus tamen copiam fieri de præmissis eam petentibus, & habere debentibus petentiumque sumptibus & expensis. Absolutionem vero omnium & singulorum qui præfatas nostras sententias, aut aliquam earum incurrerint, seu incurrerit quoquo modo nobis, & superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præsentes fecimus per Pasium notarium infrascriptum per nos ad præmissa omnia scribendum electum, & deputatum. Anno Dominicæ Nativitatis millesimo quadringentesimo quadragesimo primo Indictione quarta die Martis quarto mensis Julii Pontificatus Santissimi Domini Nostri Dom. Eugenii Papæ IV. anno undecimo. Venetiis in monasterio prædicto S. Mariæ de Virginibus in sala magna superiori ipsius monasterii quem locum prius & ante omnia pro juridico, & idoneo ad prædicta omnia faciendum eligimus & deputavimus. Præsentibus spectabile, & generoso Viro Dom. Francisco Dellasiega palatino comite, & Serenissimi Ducalis Dominii Venetiarum benemerito Cancellario, Vener. & prudentibus Viris D. D. Præsbyteris Georgio de Priolis Plebano Ecclesiæ S. S. Apostolorum Symonis & Judæ, Francisco Nigro Plebano Ecclesiæ S. Leonis, & Bartholomæo Mejorato de Venetiis rectore ecclesiæ domus Dei de Padua Spect. Comite Palatino, & egregio legum doctori D. Francisco de Capitibuslifte filio Spectab. Comitis generosi militis, & eximii juris utriusque doctoris D. Johannis Francisci de Capitibuslifte de Padua, Egregio & Nobili Viro Dom. Petro Baduario quondam D. Jeremiæ, & prudente viro s. Francisco de la costa Curiæ majoris Venetiarum Notario testibus ad præmissa omnia & singula vocatis specialiter & rogatis, & quia præsentialiter caremus nostro sigillo consueto mandavimus has patentes litteras & hunc nostrum processum ad manus robur, & pleniorem fidem muniri appensione sigilli Rev. Patris D. Archiepiscopi Corfiensis quem sigillum loco nostri accepimus, & elegimus specialiter in hoc actu.

Ego Pasius quondam honorabilis Viri s. Prodocimi de Bertepalea de Padua Civis & præsentialiter habitator Civitatis Venetiarum publicus Apostolicus, & Imperialis Notarius ac judex ordinarius, qui præfatarum litterarum Apostolicarum præsentationi, receptioni, executioni, intimationi, & insinuationi, & supradicti Prioratus spontaneæ renuntiationi, ac unioni, incorporationi, & annexioni de eodem factis mandatoque & decreto tolendæ, & aprehendendæ possessionis & exinde responsioni fiendæ de fructibus ejusdem fulminationi, & monitionibus, & præsentis processus celebrationi omnibusque aliis & singulis supradictis præsens fui, eaque sic fieri vidi & audivi, & prædicta omnia & singula suprascripta de præfati D. executoris mandato in hanc publicam formam sub meis signo & nomine consuetis ad majorem fidem & validitatem præmissorum redegi requisitus, & rogavi.

Nico-

Nicolaus Trivisanus Episcopus Termipolensis Procuratorio nomine pro Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus apprehendit corporalem possessionem Prioratus S. Margaritæ de Calcinaria.

1441. 22. Julii.

Ex Authographo in Monasterio S. Mariæ de Virginibus.

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi Amen. Anno ejusdem Nativitatis millesimo quadringentesimo quadragesimo primo indictione quarta die sabati vigesimo secundo mensis Julii in Villa Pulverariæ Padoani districtus in Monasterio S. Margaritæ Præsentibus ibidem s. Fidentio qu. Donati de Pulveraria, Dominico Bartholomæi Facii, Pelegrino filio Antonii maserii, Dominico Petri Fornarii omnibus de dicta villa Pulverariæ Fortia q. Menegini de Insula D. Abbatis potestariæ plebissacci, & Laurentio q. Tonioli de Alzano territorii Pergamensis residente in ipsa villa pulverariæ testibus ad infrascripta vocatis & rogatis. Cum hoc sit, quod Sanctissimus Dominus Noster D. Eugenius IV. divina favente clementia Sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Summus Pontifex per suas litteras Apostolicas datas Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo primo pridie Idus Junii Pontificatus ejusdem anno undecimo perpetuo univerit annexuerit incorporaverit Prioratum Conventualem S. Margaritæ de Pulveraria Ordinis S. Augustini Paduanæ Diocesis, Monasterio Beatæ Mariæ de Virginibus de Venetiis Ordinis S. Marci de Mantua Castellanæ Diocesis cum omnibus membris annexis, & omnibus aliis juribus & pertinentiis suis. Cumque exequutio præfatarum litterarum Apostolicarum commissa fuerit per præfatum Summum Pontificem Rev. Patri D. Alfonso de Caneisrubeis Archidiacono Ecclesiæ Zamorensis prout in eisdem litteris Apostolicis legitur. Ipseque D. Alfonsus ad earum litterarum Apostolicarum exequutionem debite & juridice processerit, & in manibus suis accepta renunciatione facta de ipso Prioratu S. Margaritæ de Pulveraria per Rev. D. Donatum ejusdem Prioratus tunc Priorem Prioratum ipsum cum dicto Monasterio S. Mariæ de Virginibus incorporaverit annexuerit & univerit, & reliqua omnia fecerit prout, & quemadmodum facere tenebatur & debebat ipsarum litterarum Apostolicarum vigore, de quibus omnibus sic factis, actitatis, & celebratis per præfatum Rev. D. Alfonsum apparent publicæ & autenticæ litteræ, sive publicus & autenticus processus scriptus manu mei Notarii infrascripti & pendenti bulla bullatus ut moris est, & cum sit quod in dictis litteris Apostolicis & processu tribuatur facultas & potestas Vener. D. D. Abbatissæ & Monialibus præfati Monasterii S. Mariæ de Virginibus per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem Prioratus membrorum, annexorum juriumque, ac pertinentiarum præmissorum auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac hujusmodi Prioratus S. Margaritæ illiusque fructus, redditus, & proventus in suos & dicti earum monasterii usus & utilitatem convertere, Diocesani loci, & cujuscumque alterius super hoc licentia minime requisita contrariis aliquibus non obstantibus. Cumque sit quod ipsæ D.D. Abbatissa, & Moniales ex obligatione & voto factis Domino Deo nostro, & gloriosæ Virgini Mariæ matri ejus non valeant dictum earum monasterium exire pro dicta corporali possessione accipienda. Convocato & solemniter congregato earum capitulo in dicto ipsarum monaste-

nasterio S. Mariæ de Virginibus ad sonum campanelæ ut moris est in quo interfuerunt ultra quadraginta moniales professæ vocem & auctoritatem in ipso capitulo habentes existentes major pars monialium ipsius monasterii Capituli & Conventus in quibus omnis auctoritas, facultas, & potestas est ad omnia & singula facienda ipsi monasterio utilia necessaria & opportuna solemniter constituerint, creaverint, & ordinaverint, ad apprehendendum tenutam, & possessionem corporalem ejusdem Prioratus S. Margaritæ de Pulveraria cum omnibus membris, juribus, & pertinentiis suis Rev. in Christo Patrem, & Dominum D. Nicolaum Trivisano Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum Termipolensem & suffraganeum Rev. D. Episcopi Paduani ac Paduæ commorante tunc absentem &c. earum & sui Monasterii, Capituli, & Conventus sindicum, & legiptimum procuratorem ut de omnibus prædictis apparet publico instrumento scripto manu mei notarii infrascripti in prædictis millesimo anno & indictione die vero Lunæ decimo mensis Julii. Ideo Præfatus Rev. D. Episcopus Termipolensis volens exequi, & adimplere sibi injuncta & commissa vigore & occasione instrumenti sindicarius, & procuratorius prædictus viso ipso instrumento, & per eum lecto & visis litteris Apostolicis præfatis, & per eum similiter lectis existens in Ecclesia prædicta Prioratus S. Margaritæ de Pulveraria, præsente ipso Rev. D. Donato olim Priore ipsius Monasterii vidente, audiente, & intelligente, & ad omnia supra & infrascripta consentiente, & in aliquo non contradicente ac præsentibus suprascriptis testibus, & me notario infrascripto vigore & occasione ipsarum litterarum Apostolicarum, & mandati prædicti in eum facti & ipsarum Ven. D. D. Abbatissæ & Monialium S. Mariæ de Virginibus sindicario & procuratorio nomine astante etiam apud ipsum Rev. D. Episcopum, & præsente Spectab. & egregio viro Dom. Johanne Contareno q. D. Fantini etiam sindico & procuratore ipsarum D. D. Abbatissæ Monialium Monasterii, & Conventus. Ipse idem Rev. D. Episcopus sibi facto in fronte Ven. signo S. Crucis per cornu Altaris, & per aperturam, & clausuram portarum ejusdem Ecclesiæ per acceptionem stali in choro, & loci in capitulo per pulsationem campanæ & per deambulationem per ipsam ecclesiam & monasterium ac per acceptionem de frondibus & ramis arborum & vitium, ac de terra possessionum, & terrarum ejusdem Prioratus S. Margaritæ in suis manibus, & illam per ipsas terras & possessiones proiciendo, ac continue dicendo, & protestando quod ipsa omnia faciebat tanquam sindicus & procurator præfatarum Ven. D. D. Abbatissæ & Monialium Monasterii, Capituli, & Conventus S. Mariæ de Virginibus de Venetiis animo & intentione, possessionem, & tenutam corporalem ejusdem Prioratus membrorum annexorum juriumque & pertinentiarum ejusdem accipiendi & apprehendendi ac deinceps perpetuo retinendi auctoritate ipsis Ven. D. D. Abbatissæ & Monialibus per dictas litteras Apostolicas, & processum de quo supra fit mentio concessa & earum nomine & vice possessionem ipsam corporalem apprehendit, & accepit & sic facere, ac se fecisse coram suprascriptis testibus & ipso Rev. D. Donato olim Priore, & me Not. infrascripto palam dixit & protestatus fuit. Et illico rogavit ac requisivit me Pasium Notar. infrascriptum tanquam publicam personam ut de prædictis omnibus ad futurorum memoriam, & rei validitatem publicum deberem conficere instrumentum.

Ego Pasius &c.

Joan-

Joannes XXII. confirmat privilegia concessa Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus a Papis præcessoribus.

H2. 1411. 25. Januarii.

Ex Archivo S. Mariæ de Virginibus.

JOhannes Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis .... Priori & Conventui Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis Sancti Marci Castellanæ Diocesis Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus sive per privilegia, seu alias indulgentias vobis, & monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus, & Principibus, ac aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & monasterio prædicto indultas, sicut eas juste ac pacifice obtinetis vobis & per vos eidem monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

Datum Viterbii (*a*) VIII. Kal. Februarii. Pontificatus nostri anno primo.

(*a*) De Joanne Papa XXII. hæc habet S. Antoninus Hist. Part. III. tit. 22. c. 6. *Post creationem suam Bononiæ fere per annum conversatus cum curia, Romam tandem petere constituit. Iter ejus per agrum Florentinum, & Senensem inde ad Urbem fuit.* In eo itinere Viterbium digressus litteras has dedit.

Martinus V. concedit Indulgentias Plenarias in articulo mortis Monialibus S. Mariæ de Virginibus.

I2. 1419. 29. Martii.

Ex Autographo in Tabulario Monasterii.

MArtinus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiabus Franciscæ Abbatissæ, ac Universis Monialibus Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis ord. Sancti Marci Evang. Castell. Diocef. inpresentiarum existentibus Sal. & Apostol. bened. Provenit ex vestræ devotionis affectu, quo nos & Romanam Ecclesiam reveremini, ut petitiones suprascriptas illas presertim, quæ Animarum vestrarum salutem respiciunt ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut confessor, quem qualibet vestrum duxerit eligendum omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contritæ, & ore confessæ fueritis semel tantum in mortis Articulo plenam remissionem vobis in sinceritate fidei, unitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & devotione nostra, vel successorum nostrorum Romano-

manorum Pontificum Canonice intrantium persistentibus auctoritate Apostolica concedere valeat devotioni vestræ tenore præsentium indulgemus. Sic tamen quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, etiam vobis per vos, si supervixeritis, vel per heredes vestros, si tunc forte transieritis faciendam injungat, quam vos, vel illi facere teneamini ut profertur, & ne quod absit, propter hujusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita imposterum committenda volumus, quod si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua forte commiseritis, quo ad illa predicta remissio vobis nullatenus suffragetur. Et insuper quod per unum annum a tempore quo presens nostra concessio ad vestram notitiam pervenerit computandum singulis sextis feriis ex precepto ecclesiæ regulari observantia injuncta penitentia voto, vel alias jejunare teneamini, alioquin hujusmodi nostra presens concessio, nullius sit roboris, vel momenti, aut una alia die singularium septimanarum ejusdem anni, qua ad jejunandum, ut premittitur, non sitis astrictæ, jejunetis, & si in dicto anno, vel aliqua ejus parte essetis legitime impedite anno sequenti, vel alias quam primum potueritis modo simili supplere hujusmodi jejunium teneamini. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Florentiæ (a) IV. Cal. Aprilis Pont. Nostri Anno secundo.

(a) Martinus V. Romanus Pontifex Mantua Florentiam Februario mense venit: in qua urbe reliquam anni hujus 1419. & proximi partem egit. Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad annum 1419.

Nicolaus Trivisanus Episcopus Termipolensis, ejusque Collegæ ex vi Apostolicarum litterarum Eugenii Papæ IV. confirmant electionem Helenæ Contarenæ in Abbatissam Sanctæ Mariæ de Virginibus, atque juramentum obedientiæ ab ea recipiunt.

K 2. 1432. 18. Septembris.

Ex Tabulario Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

IN Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem 1432. Indictione x. die 18. mensis Septembris Pontificatus Domini Nostri Eugenii divina providentia Papæ IV. anno secundo. Coram Rev. in Christo Patribus & Dominis Nicolao Trivisano Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Termipolensi, & Andrea Bono Decretorum Doctore Abbate S. Gregorii de Venetiis Castellanæ Diocesis comparuit Rev. & religiosa Domina D. Helena Contareno monialis professa Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Ordinis S. Augustini Castellanæ Diocesis, & in præsentia mei Notarii publici ac testium infrascriptorum ipsis Rev. Dominis Episcopo & Abbati prædictis præsentavit, & exhibuit litteras præfati Domini Nostri Papæ sanas, integras, & illæsas, non vitiatas, non maculatas, non abrasas, nec in aliqua sua parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes bulla plumbea ipsius Domini Nostri Papæ ad

ad cordulam canapis more Romanæ Curiæ inpendenti munitas. Quarum quidem litterarum tenor qui sequitur per omnia talis est. Eugenius Episcopus servus servorum Dei Ven. Fr. Episcopo Termipolensi, & dilectis filiis Abbati Monasterii Sancti Gregorii, ac Primicerio Ecclesiæ Sancti Marci de Venetiis Castellanæ Diocesis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Hodie litteras nostras concessimus in hæc verba: Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectæ in Christo filiæ Helenæ Contareno Abbatissæ Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Romanæ Ecclesiæ immediate subjecti Ordinis S. Augustini Castellanæ Diocesis Salutem & Apostolicam benedictionem. Inter solicitudines varias quibus assidue premimur illa potissimum pulsat & excitat mentem nostram ut circa statum Ecclesiarum, & monasteriorum omnium præsertim Romanæ Ecclesiæ immediate subjectorum ne in spiritualibus, & temporalibus detrimenta sustineant quantum nobis ex alto permittitur salubriter providere curemus. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat quod olim monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus de Venetiis eidem Romanæ Ecclesiæ immediate subjecto Ordinis S. Augustini Castellanæ Diocesis, cuique Soradamor ipsius Monasterii Abbatissa dum viveret præsidebat per obitum ejusdem Soradamor Abbatissæ quæ extra Romanam Curiam diem clausit extremum vacante Dilectæ in Christo filiæ Conventus ejusdem Monasterii vocatis omnibus quæ debuerunt, voluerunt, & potuerunt electioni hujusmodi commode interesse die ad eligendum præfixa ut moris est, convenientes in unum te ipsius Monasterii Monialem præfatum Ordinem expresse professam in ætate legitima constitutam in earum & dicti monasterii Abbatissam concorditer elegerunt. Tuque electioni hujusmodi illius tibi præsentato decreto consensisti & quod deinde dilectus filius Nobilis Vir Franciscus Foscari Dux Venetiarum ipsius monasterii verus patronus suum præbuit hujusmodi electioni assensum in his omnibus statutis a jure temporibus. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut electionem hujusmodi confirmare, & approbare & alias tibi circa præmissa opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes eidem monasterio ne longioris vacationis prematur incommodis paterna caritate consulere, Teque Apostolicis prosequi gratia, & favore volentes, hujusmodi tuis, nec non præfati Ducis & patroni per te nobis super hoc humiliter supplicantis supplicationibus inclinati Electionem præfatam auctoritate apostolica confirmamus, & etiam approbamus ac de persona tua eidem monasterio providemus. Teque illi præficimus in Abbatissam, curam, regimen, & administrationem ipsius monasterii tibi plenarie committendo. Tu igitur circa ejusdem monasterii regimen sic te diligentem exhibeas, & etiam studiosam quod monasterium ipsum per tuæ diligentiæ studium votivum suscipiat incrementum, Tuque provide nostræ & Apostolicæ Sedis gratiam uberius valeas promereri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, provisionis, & præfectionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1432. v. Kal. Septemb. Pontificatus Nostri anno secundo. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios præfatam Helenam Abbatissam vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem regiminis, & administrationis bonorum, & jurium, & pertinentiarum ipsorum dicti Monasterii auctoritate nostra inducatis, & defendatis inductam amota exinde quolibet illicita detentrice facientes eidem Helenæ Abbatissæ a præfatis Conventu, & aliis suis subditis obedientiam, & re-

& reverentiam debitas exhiberi, Sibique de ipsius monasterii fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, & obventionibus universis integre responderi. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus statutis & consuetudinibus monasterii & ordinis prædictorum juramento confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis cæterisque contrariis quibuscunque. Seu si conventui & subditis præfatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus insuper quod tu Fr. Episcope eidem Helenæ munus benedictionis impendas, vel per aliquem alium catholicum antistitem gratiam & communionem dictæ Sedis habentem illud sibi impendi facias & procures, quodque idem antistes qui præfatum munus eidem Helenæ impendes, seu impendet ab ipsa Helena nostro & dictæ Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solitum recipias seu recipiat juramentum juxta formam quam sub bulla nostra mittimus interclusam. Ac formam juramenti quod ipsa Helena præstabit nobis de verbo ad verbum per ejus patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinare procures, seu procuret. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1432. v. Kal. Septemb. Pontificatus Nostri anno 2. Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem præfata Rev. Dom. Helena per dictos Rev. in Christo Patres D. D. Nicolaum Episcopum & Andream Abbatem præfatos in hac parte una cum Rev. D. Primicerio S. Marci Apostolicos executores debita cum instantia requisivit quatenus dignarentur ipsas litteras Apostolicas executioni debitæ secundum ipsarum litterarum formam mandare. Quas quidem litteras Apostolicas præfati Rev. in Christo Patres, & D. Nicolaus Trivisano Episcopus Termipolensis prædictus & Andreas Bono Abbas prænominatus cum ea qua decuit reverentia receperunt & acceptarunt offerentes se velle & paratos esse dictas litteras exequi & mandato Apostolico parere, & cum effectu obedientes Abbatiam & Monasterium suprascriptum S. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Augustini de Venetiis Castellanæ Dioceſis cum omnibus juribus, & pertinentiis suis contulerunt & assignarunt ipsi Rev. D. Helenæ Contareno in omnibus & per omnia prout in processu inferius continetur. Quem quidem processum ipsi Rev. D. D. executores Apostolici per me notarium infrascriptum fieri ac in publicam formam redigi mandarunt ut infra annotatum extat.

Circumspecto ac honestissimo Capitulo Religiosoque D. D. Monialium Sanctæ Mariæ de Virginibus de Venetiis Ordinis S. Augustini Castellanæ Diocesis ceterisque Dominabus dicti Monasterii omnibusque aliis personis quas infrascriptum tangit negotium, seu tangere potest ac poterit quomodolibet in futurum & quorum, & quarum interest, seu interesse potest ac poterit quomodolibet in futurum, Nicolaus Trivisano Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Termipolensis, & Andreas Bono decretorum doctor Abbas S. Gregorii de Venetiis Castellanæ Diocesis executores una cum Rev. D. Primicerio S. Marci ad infrascripta a Sede Apostolica deputati specialiter, & designati Salutem in Domino sempiternam & mandatis nostris immo verius Apostolicis firmiter obedire. Litteras Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri D. Eugenii divina providentia Papæ IV. sanas, integras, & illæsas, non vitiatas, non corruptas, non maculatas, non cancellatas, non abrasas, nec in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes bulla plumbea ipsius Domini Nostri ad cordulam canapis more Romanæ Curiæ impendenti munitas nobis per Rev. Dom. D. Helenam Contareno monialem professam monasterii S. Mariæ de Virginibus Ordinis

dinis S. Augustini de Venetiis Castellanæ Diocesis præsentatas in præsentia notarii publici, & testium infrascriptorum, Nos cum ea qua decuit reverentia recepisse noveritis tenorem qui sequitur continentes. Eugenius &c. ut supra apparet. Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem & receptionem per dictam Dom. Helenam Contareno fuimus debita cum instantia requisiti quatenus ad ipsarum litterarum Apostolicarum debitam executionem procedere curaremus. Nos igitur Nicolaus Episcopus, & Andreas Abbas, & executores Apostolici volentes mandatum Apostolicum nobis in hac parte commissum, & directum reverenter exequi ut tenemur, Tibi Rev. D. Helenæ Contareno prædictæ curam regimen, & administrationem Abbatiæ & Monasterii prædicti S. Mariæ de Virginibus, quam olim Rev. Soradamor obtinebat dum viveret, & quæ propter obitum ejus quæ extra Romanam Curiam diem clausit extremum. vacavit prout nunc vacat assignamus, & conferimus ac de omnibus, juribus, & pertinentiis suis dicta auctoritate providemus, nec non in Abbatissam dicti monasterii & omnium jurium, ac pertinentiarum suarum prædicta auctoritate Apostolica confirmamus. Decernentes irritum & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter forsan hactenus fuerit attemptatum vel imposterum contigerit attemptari. Quocirca vos circumspectum honestissimum ac religiosum Capitulum Dominarum de Virginibus prædictarum omnesque alias & singulas supradictas quarum interest vel intererit primo, secundo, & tertio peremptorio termino auctoritate supradicta requirimus, & monemus vobis nihilominus & cuilibet vestrum in virtute sanctæ obedientiæ & sub infrascriptis penis districte præcipiendo mandamus, Quatenus infra sex dies a præsentatione, seu notificatione præsentium vobis facta immediate sequentes quorum dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies vobis universis & singulis pro tertio peremptorio termino, & canonica monitione assignamus eandem D Helenam Contareno, vel procuratorem suum aut procuratricem in Abbatissam prædictæ abbatiæ & monasterii S. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Augustini de Venetiis Castellanæ Diocesis recipiatis. Ipsamque vel procuratorem suum, aut procuratricem ejus nomine ad corporalem possessionem ejusdem Abbatiæ, & universorum jurium & pertinentiarum suarum admittere infra dictum terminum procuretis & debeatis. Sibique vel procuratori suo, aut procuratrici de prædictis Abbatiæ & Monasterii fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis respondeatis integre ac faciatis ab aliis responderi. Promittentes præfatam D. Rev. D. Helenam de præmissis omnibus & singulis pacifica possessione gaudere. Quod si forte præmissa omnia & singula non adimpleveritis, ac mandatis & monitionibus nostris hujusmodi immo verius Apostolicis non parueritis cum effectu seu impedimentum aliquod in prædictis eidem Rev. D. Helenæ Abbatissæ, vel aliquo prædictorum per vos, vel alium seu aliam, alios seu alias dabitis, aut impedientibus eam quomodolibet super præmissis in aliquo præstabitis consilium, auxilium, vel favorem directe vel indirecte publice, vel occulte, quominus dicta D. Abbatissa per se, vel alium aut aliam, alios aut alias dictæ Abbatissæ & Monasterii S. Mariæ de Virginibus ac omnium jurium & pertinentiarum prædictorum possessionem pacificam assequatur, ipsamque Abbatiam cum omnibus juribus, & pertinentiis suis valeat pacifice possidere ejusque fructus, redditus, & proventus cum integritate levare, percipere, & habere. Alioquin in vos omnes & singulas ac quascunque alias contradictrices & contradictores ac rebelles, ac impedientibus præfatam D. Helenam Contareno, vel alium seu alios, aliam seu alias ejus nomine super præmissis in aliquo dantes consilium, auxilium vel favorem directe vel indirecte pu-

bli-

blice, vel occulte nisi infra terminum sex dierum a die scientiæ computandorum quorum duos pro primo, duos pro secundo & reliquos duos dies vobis universis & singulis pro tertio, & ultimo peremptorio termino ac prædicta canonica monitione præmissa assignamus a contradictione, rebellione, auxilio, consilio, & favore ac aliis prædictis omnino destiteritis ac destiterint, ac mandatis nostris immo verius apostolicis parueritis & paruerint cum effectu singulariter in singulos & singulas excommunicationis in Capitulum ....præfatum suspensionis, & in ecclesiam dictæ Abbatiæ & Monasterii S. Mariæ de Virginibus interdicti dicta Apostolica auctoritate sententias ferimus in his scriptis & etiam promulgamus. Cæterum si forsan aliis negociis impediti ad executionem hujusmodi mandati Apostolici ulterius faciendam interesse nequiremus, Universis & singulis D. D. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Archipræsbyteris, cantoribus, thesaurariis scholasticis, & Canonicis tam Cathedralium, quam collegiatarum Ecclesiarum, & monasteriorum Rectoribus, Vicariis, Præsbyteris, Curatis, & non Curatis, Clericisque, ac notariis tabellionibus publicis quibuscunque per Civitatem Venetiarum, & Diocesim Castellanam & alias ubilibet constitutas quibus & eorum cuilibet in solidum super ulteriori executione prædicti mandati Apostolici, atque nostri ac omnibus & singulis nobis in hac parte commissis tenore præsentium committimus vices nostras donec eas ad nos duxerimus revocandas quibus & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna quam in ipsos & eorum quemlibet post trium dierum terminum post receptionem seu notificationem præsentium, & postquam super hoc pro parte dictæ D. Helenæ Abbatissæ fuerit seu fuerint requisitus, seu requisiti canonica & peremptoria monitione præmissa ferimus in his scriptis si ea quæ his committimus in hac parte contempserint seu neglexerint contumaciter adimplere districte præcipiendo mandamus quatenus ipsi seu alter ex eis ad vos Ven. Capitulum & alias suprascriptas personas, & ad prædictum monasterium S. Mariæ de Virginibus & ad alia loca de quibus quando & quocies expediens fuerit personaliter accedant seu accedat, & prædictas nostras litteras & præsentem nostrum processum ac omnia & singula in eis contenta vobis & cuilibet vestrum comuniter vel divisim præsentent intiment legant & publicare procurent sive procuret præfatamque D. Helenam seu procuratorem, vel procuratricem, quam pro ea in prædictæ Abbatiæ & monasterii juriumque & pertinentiarum eorundem corporalem & realem inducant seu inducat possessionem deffendant seu deffendat inductam, amota ab eadem Abbatia qualibet detentrice quam etiam nos dicta apostolica auctoritate per præsentes amovemus, & amotam denunciamus faciant quoque sive faciat prædictam Rev. Dom. Helenam vel ejus procuratorem seu procuratricem ad prædictam Abbatiam recipi & admitti sibique Rev. D. Helenæ vel ejus procuratori seu procuratrici de ipsius Abbatiæ fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis respondeant seu respondeat & faciant seu faciat ab aliis integre responderi. Et nihilominus omnia alia & singula nobis in hac parte commissa faciant & exequantur seu exequatur juxta traditam seu directam nobis a Sede Apostolica formam. Ita tamen quod nihil in præjudicium præfatæ Rev. Dom Helenæ Contareno aut jurium suorum valeant seu valeat attemptari, ut supra circa vel infrascriptas sententias per nos latas absolvendo vel suspendendo aliquid immutare. In cæteris autem quæ dictæ Rev. Dom. Helenæ vel procuratori, seu procuratrici sive in præmissis nocere possint, Eis & eorum cuilibet potestatem omnimodam denegamus & si contingat nos in aliquo super præmissis procedere de quo nobis potestatem omnimodam reservamus. Nolumus propter hoc commissionem nostram hujusmodi in aliquo revocari nisi de revocatione ipsa plena

na & expressa mentio in nostris litteris habeatur. Præfatas quoque litteras apostolicas & præsentem nostrum processum penes præfatam D. Helenam Abbatissam vel procuratorem, seu procuratricem suam ejus nomine volumus remanere. Et non per vos, vel alium seu alios contra ipsius Rev. D. Helenæ, vel procuratoris seu procuratricis suæ voluntatem quomodolibet detineri. Contrarium vero facientes præfatis nostris sententiis per nos latis volumus subjacere. Mandamus tamen ipsi Rev. D. Helenæ ac suprascripto ejus procuratori vel procuratrici ut de præmissis si petieritis & eam habere volueritis copiam vobis faciant, vestris quidem sumptibus & expensis. Absolutionem vero omnium & singulorum qui præfatas nostras sententias per nos latas incurrerint quoquo modo nobis vel superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum omnium & singulorum fidem, ac testimonium præsentem nostrum processum sive præsens publicum instrumentum exinde fieri jussimus per Filippum de Camuciis publicum infrascriptum notarium scribi, subscribi, & publicari mandavimus. Ac nostri sigillorum appensione muniri jussimus.

Actum & datum Venetiis in Ecclesia prædicti monasterii S. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Augustini Castellanæ Diocesis prædictæ Præsentibus Ven. Viro D. Præsb. Marco Placentino Plebano S. Apolinaris de Venetiis dictæ Diocesis, & D. Præsb. Nicolao S. Pantaleonis ac s. Dominico Bivilaqua de contrata S. Gregorii dictæ Diocesis testibus ad prædicta omnia habitis vocatis, & rogatis & aliis; anno indictione mense die Pontificatus prædictis.

Ego Filippus q. Thomei de Camuciis Civis & habitator Venetiarum publicus imperiali auctoritate notarius ac judex ordinarius, nec non Curiæ Castellanæ Cancellarius prædictis omnibus interfui & ea rogatus scripsi meque in præmissorum fidem subscripsi ac meo solito signo signavi.



Eugenius IV. Soradamorem Maurocenam in Abbatissam S. Mariæ de Virginibus confirmat.

L 2. 1434. 1. Aprilis.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectæ in Christo filiæ Soradamor Mauroceno Abbatissæ Monasterii S. Mariæ de Virginibus de Venetiis Romanæ Ecclesiæ immediate subjecti Ordinis S. Augustini Castellanæ Diocesis salutem & Apostolicam beneditionem. Ex susceptæ servitutis offitio solicitudine pulsamur assidua, ut circa statum Ecclesiarum & monasteriorum omnium quorum cura nobis imminet generalis solicite intendentes illis præsertim Romanæ Ecclesiæ immediate subjectis ne in spiritualibus, & temporalibus detrimenta sustineant quantum nobis ex alto permittitur salubriter consulamus. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim monasterio S. Mariæ de Virginibus de Venetiis eidem Romanæ Ecclesiæ immediate subjecto Ordinis S. Augustini Castellanæ Diocesis, cui quondam Helena Contareno illius Abbatissa dum viveret præsidebat per obitum ejusdem Helenæ quæ extra Romanam Curiam diem clausit extremum vacante dilectæ in Christo filiæ Conventus ejusdem Monasterii ad electionem futuræ ipsarum, & dicti

dicti Monasterii Abbatissæ procedentes vocatis omnibus quæ potuerunt, & debuerunt, ac voluerunt electioni hujusmodi commode interesse die ad eligendum præfixa ut moris est convenientes in unum te ipsius Monasterii Monialem ordinem ipsum expresse professam & in ætate legitima constitutam ac de legitimo matrimonio procreatam in earum & dicti Monasterii Abbatissam concorditer elegerunt tuæ electioni hujusmodi illius tibi præsentato decreto consensisti in hiis omnibus statutis a jure temporibus observatis. Nos igitur volentes te cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum spiritualium, providentia, & temporalium circumspectione laudabilia testimonia perhibentur & pro qua etiam dilectus filius Nobilis Vir Franciscus Foscari Dux Venetiarum asserens se ex fundatione prædecessorum suorum Ducum Venetiarum ipsius Monasterii Patronum fore nobis super hoc per ejus litteras humiliter supplicavit favoribus Apostolicis prosequi in hac parte electionem hujusmodi auctoritate apostolica approbamus, & etiam confirmamus ac de persona tua eidem Monasterio providemus teque illi præficimus in Abbatissam, curam & administrationem ipsius Monasterii tibi plenarie committendo in illo, qui dat gratias & largitur præmia, confidentes quod dirigente Domino actus tuos præfatum Monasterium per tuæ laudabile diligentiæ studium prospere dirigetur, & grata suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris quod certa devotione suscipiens curam & administrationem prædictas sic exercere studeas fideliter & prudenter quod Monasterium ipsum feliciter dirigatur. Tuque præter æternæ retributionis præmium, nostram & apostolicæ sedis gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romæ apud S. Grisogonum anno Incarnationis Dominicæ 1434. Kal. Aprilis Pontificatus Nostri anno quarto.

Ja: de Viterbio.

Litteræ Eugenii IV. Divo Laurentio Episcopo Castellano missæ, quibus mandat, ut Abbatissæ Sanctæ Mariæ de Virginibus beneditionis munus impendat.

M 2. 1434. 27. Novembris.

Ex Apographo in Tabulario Monasterii.

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei: Venerabili Fratri Laurentio Episcopo Castellano salutem, & Apostolicam benedictionem. Justis, & honestis supplicum votis libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis. Nuper siquidem pro parte dilectæ in Christo filiæ Soradamor Mauroceno Abbatissæ Monasterii Beatæ Mariæ de Virginibus de Venetiis Romanæ Ecclesiæ immediate subjecti Ordinis S. Augustini Castellanæ Diecesis nobis expositum fuit quod olim prefato Monasterio, cui quondam Helena Contareno illius Abbatissa, dum viveret, presidebat, per obitum ipsius Helenæ, quæ extram Romanam Curiam diem clausit extremum vacante, Dilectæ in Christo Filiæ Conventus dicti Monasterii ad electionem futuræ ipsarum & dicti Monasterii Abbatissæ procedentes, ac servatis solemnitatibus in electione hujusmodi servari solitis convenientes in unum prefatam Soradamor ipsius Monasterii tunc Monialem ordinem ipsum expresse professam, in earum, & dicti Monasterii Abbatissam concorditer elegerunt. Cui dicta Soradamor electioni hujusmodi

modi illius sibi præsentato Decreto consensit & nos electionem hujusmodi approbamus & etiam confirmamus, nec non de persona dictæ Soradamor eidem Monasterio providimus ipsamque illi preficimus in Abbatissam; curam, & administrationem ipsius Monasterii sibi plenarie committendo, & per alias nostras litteras venerabilib. fratribus nostris Thomæ Traguriensi, & Danieli Concordiensi Episcopis eorum propriis nominibus expressis inter alia dedimus in mandatis, ut ipsi vel alter eorum eidem Soradamor munus benedictionis impendant, recepto ab ea juxta formam nostris litteris interclusam fidelitatis debitæ solito juramento, prout in litteris inde confectis, plenius continetur; cum autem sicut exhibita nobis pro parte dictæ Soradamor petitio continebat prefati Episcopi antequam hujusmodi munus impenderint ex certis causis ad remota se loca transtulerunt, pro parte ipsius Soradamor nobis fuit humiliter supplicatum, ut ei super hoc providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati attendentes te ratione tuæ ordinariæ jurisdictionis nullum propter nos, aut a nobis ad id speciale mandatum habentem, ratione dictæ immediatæ subjectionis ipsius Monasterii Romanæ Ecclesiæ dictum benedictionis munus illi Abbatissæ nec impendere, nec solitum juramentum posse deferre; Te tamen ad quem specialem considerationem habemus ad ipsum benedictionis munus impendendum & juramenti delationem pro hac vice tantum specialiter deputantes Fraternitati tuæ auctoritate præsentium committimus, & mandamus, quatenus ad executionem dictarum litterarum procedens eidem Soradamor munus benedictionis hujusmodi auctoritate nostra hac vice dumtaxat impendas, recepto ab ea nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine juxta formam nostris litteris inclusam fidelitatis debitæ solito juramento, & litteras prefatas non obstante absentia hujusmodi, ac aliis, quæ in dictis litteris voluimus non obstare, & omnia in ipsis contenta juxta earum formam, atque seriem eadem auctoritate exequaris. Formam autem juramenti quod ipsa Soradamor præstabit nobis de verbo ad verbum per ejus patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quam citius destinare procures. Per hoc tamen nullum exemptioni dicti Monasterii in futurum volumus præjuditium generari. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo quarto. Quinto Kal. Decemb. Pontificat. Nostri Anno quarto. Joannes de Steccatis: A. de Florentia.

Nicolaus Papa V. Divum Laurentium Episcopum Castellanum admonet, ne se in gubernatione Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus intromittat.

N 2. 30. Aprilis 1448.

Ex Archivo Monasterii.

NICOLAUS PAPA V.

VEnerabilis Fr. Salutem & Apostolicam benedictionem. Mittens ad nos dilecta in Christo filia Soradamor Abbatissa Monasterii Beatæ Mariæ de Virginibus de Venetiis querelanter exponi fecit, quod licet id Monasterium

Sedi Apostolicæ sit immediate subjectum, spectetque ad Abbatissam pro tempore existentem ipsius Monasterii gubernatio prout contineri vidimus in bon. mem. prædecessorum nostrorum privilegiis dicto Monasterio concessis, tua fraternitas sumpta occasione cujusdam controversiæ in ipso Monasterio exortæ, se ad ipsius Monasterii gubernationem ingerens prohibuit quibusdam ecclesiasticis personis, ne sicut ipsa voluerat Abbatissa illi monasterio in divinorum ministratione servirent, & alios quosdam religiosos ipsi Abbatissæ minus gratos dictæ divinorum ministrationi ea invita præficere voluit, unde factum esse dicit, ut cum nec illa deputatos a te religiosos, ne sui Monasterii juribus præjudicaret, accipere vellet, nec tu alios ecclesiasticos illuc accedere permitteres, ipsa, & Moniales suæ in proximo quadragesimali jejunio non confessæ fuerint, nec sacratissimam acceperint communionem, quod quidem nobis valde displicuit & miramur quomodo tua fraternitas sciens id Monasterium esse a tua jurisdictione exemptum, tale attulit impedimentum, ex quo multipliciter est peccatum. Si autem forte diceres scandala, quæ in Monasterio suscitata erant, tibi ut id faceres suasisse, respondemus nos non esse a Venetiis, tam longe remotos, ut non potuerimus cito de omnibus fieri certiores, qui profecto commissam nobis dicti Monasterii curam opportune suscipi fecissemus. Sed quomodocunque præterito tempore sit factum; Volumus & tibi mandamus, ut omnibus, quæ circa prædicta hactenus fecisti, revocatis, prout nos etiam revocamus, nullo modo inposterum te in ipsius Monasterii gubernationem aliqualiter intromittas, permittasque ipsam Abbatissam quotienscunque voluerit ex tuæ diocesis clericis, & religiosis ad divinorum celebrationem, Sacramentorumque administrationem vocare in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxx. April. MCCCCXLVIII. Pontificatus nostri anno secundo.

Blondus.

a tergo | Ven. Fr. L. Episcopo Castellano.



Nicolaus V. privilegia, & munera ab Alexandro IV. & Joanne XXII. Summis Pontificibus concessa novæ confirmationis munimine roborat.

O 2. 1449. 27. Octobris.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

NIcolaus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Gregis Dominici supernæ dispensationis arbitrio licet immeriti curam gerentes circa religionis augmentum, nec non personarum quæ mundanis spretis illecebris agnum immaculatum voto celebri comitantur quietem & commoda vigilis speculatoris adhibemus officium, & iis quæ pro earum utilitate, & pace provide ordinata, aut concessa fuere ut Apostolici muniminis circumfulta præsidiis illibata persistant quantum cum Deo possumus opem impendimus, & operam efficaces. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii Beatæ Mariæ de Virginibus de Venetiis ordinis S. Marci de Mantua Castellanæ Diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat quod olim fel. rec. Alexander Papa IV. prædecessor noster tunc in præ-

præfato Monasterio duobus Conventibus uno videlicet Monialium & alio Prioris & Fratrum Ordinis antedicti consistentibus attendens solicite tenuitatem reddituum, & proventuum ipsius Monasterii quod ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinebat prout adhuc pertinet eisdem Priori & fratribus duxit per suas litteras indulgendum ut ad præstationem aliquarum Collectarum procurationum subsidiorum, & aliarum exactionum imponendarum eisdem Priori & Fratribus faciendam Legatis & Nunciis Sedis Apostolicæ etiam si essent Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales non tenerentur neque compelli possent per litteras ipsius Sedis absque ipsius speciali mandato faciente plenam & expressam, ac de ordine ipsorum & indulto hujusmodi mentionem decernendo excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias si quas occasione prædictorum in Priorem & Fratres prædictos communiter vel divisim ab aliquo promulgari contingeret non tenere quodque postmodum piæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. etiam prædecessor noster intellecto quod in eodem Monasterio duo Conventus ut præmittitur tunc temporis existebant & quod idem Prior & Fratres curam, & solicitudinem earundem Monialium debebant querere & ministrare ipsis ecclesiastica Sacramenta & quod ea occasione dicti Prior, & Fratres qui inhonestæ conversationis erant, & vitæ in eodem Monasterio cum dictis Monialibus morabantur discordiæ & scandala frequenter suscitabantur in Monasterio supradicto, & per hoc Monasterium ipsum quod hactenus florere in spiritualibus, & abbundare in temporalibus consueverat erat non modicum in utrisque collapsum, volens super hoc illius provisionis remedium adhibere per quod obviaretur periculis & hujusmodi discordiis, & scandalis, tunc imminentibus Monasterio Prælibato, Plebano Ecclesiæ S. Bartholomæi etiam de Venetiis dictæ Diocesis qui tunc erat suis dedit litteris in mandatis, ut super præmissis auctoritate sua inquireret diligentius veritatem, & si per inquisitionem hujusmodi de hiis sibi constaret super quibus ipsius conscientiam oneravit præfatos Priorem & Fratres per se vel alium, seu alios a præfato Monasterio amoveret ita quod ex tunc ad Monasterium ipsum nullatenus redire valerent, nec in eo jus aliquod vendicare, & nihilominus statueret ut Monasterium ipsum ex tunc gubernaretur per Abbatissam propriam cujus electio ad ipsius conventum spectaret, & ne Moniales prædictæ præmissorum occasione in spiritualibus sustinerent defectum deputaret eis aliquem ydoneum sacerdotem ad audiendum confessiones ipsarum, & ministranda eis ecclesiastica sacramenta, & electionem quam ab eis prædictæ Conventus de Abbatissa contingeret celebrari ea vice auctoritate Apostolica confirmaret eisque munus benedictionis impenderet & ab ipsa reciperet fidelitatis debitæ juramentum, quodque postmodum idem Plebanus prædictarum litterarum forma servata quia sibi legitime constiterat de præmissis Priorem & Fratres prædictos sententialiter amoverat a Monasterio memorato & alia omnia quæ in prædictis litteris continebantur fuerit cum diligentia executus prout in instrumento publico inde confecto dicebatur plenius contineri, ac deinde præfatus Bonifacius prædecessor quod super præmissis cum præfato Plebano factum fuerat ratum, & gratum habens illud auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmaverat. Postmodum vero fel. rec. Johanni Papæ XXII. etiam prædecessori nostro pro parte Abbatissæ & Conventus prædictarum exposito quod licet in dicto Monasterio quod est in aquarum inundatione fundatum, & in quo in claustris claustralibus, & sub perpetua clausura impendebant perpetuo domino famulatum propter tenuitatem reddituum, & proventuum ipsius Monasterii Moniales ipsæ nequibant commode sustentari nisi favore propinquorum, & aliorum Christifidelium suffragio mediante nihilominus tamen contra tenorem dicti privilegii a præfato Alexandro prædecessore no-

ftro ipsis Priori & fratribus, ut præfertur concessi a nonnullis Legatis & Nunciis Sedis Apostolicæ, ac Ecclesiarum prælatis credentibus forsan ad Abbatissam & Conventum prædictas ipsum privilegium non extendi multiplices eis inferebantur injuriæ & jacturæ, idem Johannes prædecessor ad instar ipsius Alexandri nec non & Clemens VI. etiam Romani Pontifices prædecessores nostri ad instar præfati Johannis provide attendentes, reddituum, & proventuum hujusmodi tenuitatem Abbatissæ & Conventui præfatis duxerunt similiter per suas litteras indulgendum ut ad præstationem aliquarum collectarum procurationum, & subsidiorum ac aliarum exactionum eis imponendarum faciendam Legatis & Nunciis Sedis Apostolicæ etiam si forent Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales non tenerentur neque compelli possent per litteras dictæ Sedis absque ipsius speciali mandato faciente plenam & expressam de ordine, & indulto hujusmodi mentionem, decreveritque excommunicationis, suspensionis & interdicti sententias si quas occasione prædictorum in illas communiter vel eorum aliquas ab aliquo promulgari contingeret aliquatenus non tenere prout in singulis litteris Apostolicis inde confectis plenius continetur. Quare pro parte Abbatissæ & Conventus prædictarum asserentium præfatum Monasterium auctoritate Apostolica fundatum & per nonnullos alios Romanos Pontifices etiam prædecessores nostros dotatum ac privilegiis indultis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, & litteris apostolicis decoratum & conjuntum illaque per memoratos, & alios Romanos Pontifices approbata & confirmata fuisse, nobis fuit humiliter supplicatum ut pro eorum subsistentia firmiori illa omnia & singula approbare, & confirmare ac omnes defectus si qui in eisdem intervenissent supplere, nec non quæcunque rescripta Apostolica etiam in forma brevium quæ contra præmissa a nobis aut Sede Apostolica emanassent cassare & irritare, ac alias eis super hiis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur volentes Abbatissæ & Conventui præfatis quæ in sponsum adoptarunt omnium conditorem illique virginitatem suam sponte devoverunt favoribus assistere opportunis hujusmodi supplicationibus inclinati omnia & singula libertates, immunitates, privilegia, indulgentias, & exemptiones per nos aut dictos, vel alios prædecessores nostros Monasterio sive personis in illo degentibus quomodocunque concessa & indulta rata habentes, & grata, illa omnia auctoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus supplentes omnes deffectus si qui intervenerint in eisdem, decernentes insuper quæcunque rescripta etiam in forma brevium contra illa vel eorum aliqua ad sinistram forsan aliquorum suggestionem & omnia alia in contrarium quovis modo emanata ac per nos, vel prædecessores nostros hactenus concessa, & etiam imposterum concedenda nulla irrita & inania nulliusque roboris existere, vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, confirmationis, communitionis, suppletionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Fabriani (a) Camerinensis Diocesis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo nono. Sexto Kalend. Novembris. Pontificatus Nostri anno Tertio.

Ja: de Rizonibus.

(a) Fabrianum se contulerat Nicolaus V. purioris aeris captandi gratia, cum pestis Romæ sæviret, ut ait Jannottius Manettus in ejus vita lib. I.

Cali-

Calistus III. Panthasileam Contarenam electam Abbatissam Sanctæ Mariæ de Virginibus confirmat, atque ab ea solitum fidelitatis exigit juramentum.

P 2. 1455. 6. Decembris.

Ex Archivo Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus.

CAlistus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. (*a*) Patriarchæ Venetiarum salutem, & Apostolicam benedictionem. Inter solicitudines varias quibus assidue premimur illa potissime pulsat & excitat mentem nostram ut Ecclesiis, & Monasteriis omnibus, quæ vacationis incommoda deplorare noscuntur ne in spiritualibus, vel temporalibus detrimenta substineant de salubris provisionis remedio consulatur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Christo filiæ Pantasileæ Contareno Monialis Monasterii Monialium B. Mariæ de Virginibus de Venetiis Congregationis S. Marci de Mantua sub regula & ordine S. Augustini viventium petitio continebat quod olim dicto Monasterio quod Sedi Apostolicæ immediate subjectum existit & cui quondam Soradamor Mauroceno illius Abbatissa dum viveret præsidebat per obitum ejusdem Soradamoris quæ extra Romanam Curiam diem clausit extremum vacante dilectæ in Christo filiæ Moniales ejusdem Monasterii ad electionem futuræ illius Abbatissæ procedentes vocatis omnibus qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt hujusmodi electioni comode interesse die ad eligendum præfixa ut moris est convenientes in unum præfatam Pantasileam ordinem ipsum expresse professam, & etiam tunc in perfecta ætate constitutam in earum & prædicti Monasterii Abbatissam concorditer elegerunt. Dum autem sicut accepimus Monasterium ipsum adhuc ut præfertur vacare noscatur, Nos cupientes eidem Monasterio de persona utili & idonea per quam circumspecte regi & salubriter dirigi valeat providere ac de meritis & idoneitate præfatæ Pantasileæ apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia, temporalium circumspectione aliisque virtutum donis multipliciter commendatæ, & pro qua dilectus filius Nobilis Vir Franciscus Foscari Dux Venetiarum, ut asseruit verus ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ cui non est in aliquo derogatum dicti Monasterii patronus & existens in pacifica possessione, vel quasi juris præsentandi personam ydoneam ad illud dum vacat pro tempore nobis super hoc humiliter supplicavit certam notitiam non habentes Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus de meritis & idoneitate ipsius Pantasileæ auctoritate nostra te diligenter informes & si per informationem hujusmodi ipsam ad regimen & administrationem dicti Monasterii utilem & ydoneam esse reppereris super quo tuam conscientiam oneramus de persona ipsius Pantasileæ præfato Monasterio cujus fructus, redditus, & proventus præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus sive ut præmittitur sive alias quovis modo aut ex alterius cujuscunque persona vacet etiam si ejus provisio ex quavis causa ad Sedem Apostolicam spetialiter vel generaliter pertineat dummodo tempore datæ præsentium de illo alicui non sit specialiter provisum auctoritate nostra provideas ipsamque illi præficias in Abbatissam, curam & administrationem ipsius Monasterii,

(*a*) Mapheus Contarenus II. Patriarcha Venetiarum.

sterii, sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo ac faciendo ei a præfatis Monialibus obedientiam, & reverentiam, nec non a dilectis filiis vasallis & aliis suis subditis consueta servitia, & jura exhiberi. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante si monialibus subditis, & vasallis prædictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede Apostolica indultum existat quod interdici suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et insuper præfatæ Pantasileæ si eam dicto Monasterio in Abbatissam præfeceris ut præfertur, ut a quocunque maluerit catholico Antistite gratiam & communionem dictæ Sedis habente munus benedictionis recipere valeat, ac ipsi Antistiti ut illud sibi impendere libere, & licite possit eadem auctoritate concedas. Volumus autem quod idem Antistes qui præfatum munus ipsi Pantasileæ impendet postquam illud sibi impenderit ab ea nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solitum recipiat juramentum juxta formam quam sub bulla nostra mittimus interclusam ac formam juramenti quod eadem Pantasilea præstabit nobis de verbo ad verbum per ejus patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinare procures, seu procuret. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1455. VIII. Idus Decembris Pontificatus nostri Anno primo.

M. de Eole.



Pius II. Andreæ Bondumerio Patriarchæ Venetiarum committit, ut Franciscbinam Quirino electam Abbatissam Sanctæ Mariæ de Virginibus authoritate Apostolica confirmet, atque ab ea debitum fidelitatis juramentum excipiat.

Q2. 1461. 13. Junii.

Ex Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

PIus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. Patriarchæ Venetiarum Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Solicitæ considerationis indagine prout officii Pastoralis cura requirit circa Ecclesiarum, & Monasteriorum omnium præsertim & Romanæ Ecclesiæ immediate subjectorum statum salubriter & prospere dirigendum operosæ diligentiæ studium nunc peropportune eorum quæ exinde processerunt confirmationis ministerium nunc vero per nostræ provisionis officium libenter impendimus, ut Ecclesiis & Monasteriis ipsis ne diuturnæ vacationis subjaceant detrimentis quantum cum Deo possumus debite ac celeriter consulamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Christo filiæ Franciscinæ Quirino Monialis Monasterii Beatæ Mariæ de Virginibus Romanæ Ecclesiæ immediate subjecti Ordinis S. Augustini Venetiarum petitio continebat quod dudum præfato Monasterio per obitum quondam Pantasileæ Contareno illius dum viveret Abbatissæ, quæ extra Romanam Curiam debitum naturæ persolvit, Abbatissæ regimine destituto Dilectæ in Christo filiæ Conventus ejusdem Monasterii ad electionem futuræ dicti Monasterii Abbatissæ procedentes vocatis quæ voluerunt, potuerunt, seu debuerunt interesse die ad eligendum præfixa ut moris est convenientes in unum præfatam Fran-

Francifchinam tunc ipfius Monafterii Monialem ordinem ipfum expreffe profeffam, & quo ad hoc in ætate legitima conftitutam in ipfarum & dicti Monafterii Abbatiffam concorditer elegerunt, ipfaque Francifchina electioni de fe factæ hujusmodi illius fibi præfentato decreto confenfit. Quare tam pro parte Francifchinæ, quam Conventus prædictarum nobis fuit humiliter fupplicatum, ut electionem prædictam ratam habentes & gratam illam auctoritate Apoftolica confirmare, & approbare, ac alias ipfis & earum ftatui in præmiffis opportune providere de benignitate Apoftolica dignaremur. Nos igitur de præmiffis certam notitiam non habentes hujusmodi fupplicationibus inclinati Fraternitati tuæ de qua in hiis & aliis fpecialem in Domino fiduciam obtinemus per apoftolica fcripta committimus, & mandamus quatenus fi & poftquam dictam electionem canonice factam, & alias de præmiffis tibi legitime conftiterit illam per te ipfum confirmare & appprobare auctoritate noftra procures. Alioquin de meritis & idoneitate dictæ Francifchinæ eadem auctoritate noftra te diligenter informes, & fi per eamdem informationem ipfam Francifchinam ad regimen & gubernationem dicti Monafterii utilem & ydoneam fore reppereris fuper quo tuam confcientiam oneramus de perfona ipfius Francifchinæ eidem Monafterio cujus fructus, redditus, & proventus quingentorum Florenorum auri de Camera fecundum communem extimationem valorem annuum ut ipfa Francifchina afferit non excedunt, five ut præmittitur, five alias quovis modo, aut ex alterius cujuscunque perfona vacet, & ex quavis caufa ejus provifio ad Sedem Apoftolicam fpecialiter, vel generaliter pertineat dummodo tempore datæ præfentium non fit ei de Abbatiffa canonice provifum auctoritate noftra provideas ipfamque illi præficias in Abbatiffam, curam regimen, & adminiftrationem ipfius Monafterii fibi in fpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, ac faciendo ei a præfatis in Conventu ipfius Monafterii pro tempore exiftentibus obedientiam, & reverentiam congruentes, nec non Vafallis & aliis fubditis fuis confueta fervitia, & jura exhiberi, Contradictores per cenfuram Ecclefiafticam appellatione poftpofita compefcendo. Non obftantibus fi Monialibus Conventui & Vafallis, & fubditis prædictis, vel quibusvis aliis communiter vel divifim ab eadem fit Sede indultum quod interdici, fufpendi, vel excommunicari non poffint per litteras Apoftolicas non facientes plenam & expreffam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim præfatæ Francifchinæ fi de perfona fua ipfi Monafterio per te vigore præfentium provideri ac eam illi in Abbatiffam præfici contingat ut præfertur quod a quocunque maluerit Catholico Antiftite gratiam & communionem dictæ Sedis habente munus benedictionis recipere valeat ac ipfi Antiftiti, ut illud fibi impendere libere, & licite poffit concedimus per præfentes. Volumus autem quod ipfe Antiftes qui eidem Francifchinæ præfatum munus impendet poftquam illud fibi impenderit ab ea noftro & Romanæ Ecclefiæ nomine fidelitatis debitæ folitum recipiat juramentum juxta formam quam fub bulla noftra mittimus introclufam ac formam juramenti quod ipfa Francifchina præftabit nobis de verbo ad verbum per fuas patentes litteras fub figillo fignatas per proprium Nontium quantocius deftinare procuret, per hoc autem privilegio exemptionis dicti Monafterii nolumus in aliquo effe derogatum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1461. Id. Junii Pontificatus noftri anno tertio.

L. de Cofciaris.

Decre-

Decretum Antonii Saracho Archiepiscopi Corinthiensis, & Patriarchalis Vicarii, quo exequutioni mandat litteras Sixti IV. approbantes, & confirmantes electionem Elisabeth Bragadeno in Abbatissam Sanctæ Mariæ de Virginibus.

R 2. 1483. 5. Aprilis.

Ex Archivo Monasterii.

UNiversis & singulis has litteras sive præsens publicum Instrumentum inspecturis quibuscunque nominibus censeantur, vel quacunque perfulgeant dignate quosque præsens tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum. Antonius Saracho Decretorum Doctor, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Corinthiensis Reverendiss. in Christo Patris, & Domini D. Maphei Girardo miseratione Divina Patriachæ Venetiarum Vicarius Generalis judex & commissarius, ac executor unicus ad infrascripta a Sede Apostolica specialiter deputatus. Litteras Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. Sixti divina providentia Papæ IV. sanas quidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, non abrasas, ut prima facie apparebat, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio ac suspicione carentes vera ipsius Domini Nostri bulla plumbea ad cordulam canapis more Romanæ Curiæ impendenti munitas nobisque in præsentia notarii publici & testium infrascriptorum præsentatas per Ven. & religiosam D. Elisabeth Bragadino Monialem Monasterii B. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Augustini Venetiarum principalem in dictis litteris Apostolicis principaliter nominatam noveritis; nos ea qua decet reverentia humiliter, ac devote suscepisse tenorem qui sequitur de verbo ad verbum continentes. Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. Antonio Archiepiscopo Corintiens. Venetiis commoranti salutem, & Apostolicam benedictionem. Inter solicitudines varias quibus assidue premimur illa potissime pulsat, & excitat mentem nostram ut Ecclesiis, & Monasteriis omnibus ne diutinæ vacationis subjaceant detrimentis de salubris provisionis remedio celeriter succuratur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Christo filiæ Elisabeth Bragadino Monialis Monasterii B. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Augustini Venetiarum petitio continebat, quod dudum dicto Monasterio, quod de Jurepatronatus dilecti filii Nobilis Viri Johannis Mocenico Ducis Venetiarum esse dicitur, & cui quondam Francischina Quirino ipsius Monasterii Abbatissa dum viveret præsidebat per obitum ejusdem Francischinæ, quæ extra Romanam Curiam diem clausit extremum vacante dilectæ in Christo Filiæ Moniales dicti Monasterii die ad eligendum præfixa ut moris est, & vocatis, quæ voluerunt, potuerunt, seu etiam debuerunt electioni hujusmodi commode interesse pro electione futuræ Abbatissæ convenientes in unum præfatam Elisabeth ordinem ipsum expresse professam & in legitima ætate, quo ad hoc constitutam in ipsarum & dicti Monasterii Abbatissam concorditer elegerunt ipsaque Elisabeth electionis hujusmodi sibi præsentato decreto consensit, nec non præfatus Dux electioni hujusmodi postquam celebrata fuerat suum præstitit assensum in hiis omnibus statutis a jure temporibus observatis. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat præfata Elisabeth dubitet electionem hujusmodi ex certis causis juribus non subsistere & sicut accepimus dictum Monasterium adhuc ut præfertur vacare noscatur, Nos cupientes eidem Monasterio de persona utili & ydonea per

quam

quam circumspecte regi, & salubriter dirigi valeat providere, ac de meritis electionis hujusmodi & ydoneitate ejusdem Elisabeth apud Nos de religionis zelo, aut munditia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione aliisque virtutum meritis multipliciter commendare certam notitiam non habentes fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus si, & postquam de electione hujusmodi & quod illa de persona ydonea celebrata fuerit tibi legitime constiterit illam auctoritate nostra approbes & confirmes supplentes omnes & singulos defectus, tam juris, quam facti si qui forsan intervenerint in eisdem; & nihilominus de meritis dictæ Elisabeth auctoritate nostra te diligenter informes & si per eamdem informationem ipsam Elisabeth ad regimen & administrationem præfati Monasterii utilem & ydoneam esse reppereris super quo tuam conscientiam oneramus de persona ipsius Elisabeth præfati Monasterii cujus fructus, redditus, & proventus quingentorum Florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum ut eadem Elisabeth asserit non excedunt sive ut præmittitur, sive alias quovismodo aut ex alterius cujuscunque persona vacet & ex quavis causa ejus provisio ad Sedem Apostolicam specialiter vel generaliter pertineat dummodo tempore datæ præsentium non sit ei de Abbatissa canonice provisum auctoritate nostra provideas ipsamque illi præficias in Abbatissam, curam regimen & administrationem ipsius Monasterii sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo ac faciendo si a præfatis Monialibus & a Conventu ipsius Monasterii pro tempore existentibus obedientiam, & reverentiam congruentes, nec non a vasallis & aliis subditis suis consueta servitia & jura exhiberi, Contradictores per Censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus si Monialibus Conventu vasallis, & subditis præfatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim præfatæ Elisabeth si electionem hujusmodi confirmari, seu de persona sua ipsi Monasterio per te vigore præsentium provideri, ac eam in Abbatissam præfici contingat, ut præfertur quod a quocunque maluerit catholico antistite gratiam & communionem dictæ Sedis habente munus benedictionis recipere ac ipsi Antistiti ut illud sibi impendere libere & licite possit, & valeat concedimus per præsentes. Volumus autem quod ipse Antistes, qui eidem Elisabeth munus impendet postquam illud sibi impenderit ab ea nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solitum recipiat juramentum juxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam, ac formam juramenti quod ipsa Elisabeth præstabit nobis de verbo ad verbum per suas patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinare procuret. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis millesimo quadringentesimo septuagesimo nono octavo Kal. Octob. Pontificatus nostri anno nono. Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem & receptionem nobis & per nos ut supra factas per præfatam D. Elisabeth Bragadino Abbatissam dicti Monsterii principalem in dictis litteris Apostolicis principaliter nominatam fuimus debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem litterarum Apostolicarum hujusmodi & in eis contentorum procedere dignaremur juxta traditam, seu directam in ipsis litteris Apostolicis nobis formam, atque tenorem. Nos vero Antonius Saracho Archiepiscopus Judex & commissarius ac executor Apostolicus antedictus, Cupientes mandatum Apostolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi ut tenemur ad Monasterium S. Mariæ de Virginibus Ordinis S. Augustini prædictum nos personaliter contulimus ibique

que ad altare majus Ecclesiæ præfati Monasterii accedentes ac omni cum diligentia exequi cupientes. Constito nobis electionem hujusmodi de persona ipsius D. Elisabeth ad dignitatem Abbatissalem dicti Monasterii per diligentem inquisitionem per nos Venerabilib. D. D. Monialibus dicti Monasterii capitulariter ad sonum campanellæ ut moris est congregatis factam canonice & legitime celebratam fuisse illamque Apostolica auctoritate nobis commissa & qua fungimur in hac parte approbamus, & confirmamus supplentes omnes & singulos defectus, tam juris, quam facti si qui forsan in præmissis intervenissent, & quod per diligentem informationem repperimus præfatam D. Elisabeth ad regimen & administrationem præfati Monasterii utilem, & ydoneam ipsamque in Abbatissam ad dictum Monasterium in dignitatem Abbatissalem prædictam vacantem per obitum q. D. Franciscinæ Quirino, olim ipsius Monasterii Abbatissæ quæ extra Romanam Curiam diem clausit extremum cujus fructus, redditus, & proventus quingentorum florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum ex fide digna relatione percepimus non excedunt, sive ut præmittitur, sive alias quovis modo aut ex alterius cujuscunque persona vacet, & ex quavis causa ejus provisio ad Sedem Apostolicam specialiter vel generaliter pertineat juxta formam & tenorem prædictarum litterarum Apostolicarum præficimus eandemque Elisabeth Abbatissam per tactum panis majoris Altaris ac stalium in choro, & vocem in Capitulo dictæ Ecclesiæ & Monasterii S. Mariæ de Virginibus tenore præsentium auctoritate prædicta posuimus, misimus, & induximus in tenutam & corporalem, realem, & actualem possessionem Ecclesiæ & Monasterii prædicti cum omnibus juribus, & pertinentiis suis ac de dicto Monasterio juribus, & pertinentiis prædictis eamdem D. Elisabeth coram nobis flexis genibus existentem idque humiliter & devote petentem, & recipientem per annulli nostri impositionem in digito suo actualiter perpetuo investivimus & de eo etiam providimus locumque sibi tanquam veræ & legitimæ Abbatissæ dicti Monasterii ad mensam in refetorio ejusdem prout fuit & est de more & consuetudine diutius observata assignavimus curam, regimen, & administrationem ipsius Monasterii in spiritualibus & temporalibus plenarie committentes. Mandantesque sub infrascriptis sententiarum pœnis & censuris omnibus, & singulis Monialibus & Conventui ejusdem Monasterii pro tempore existentibus quatenus præfatæ D. Elisabeth Abbatissæ obedientiam & reverentiam congruentes, nec non & a vasallis & aliis subditis ipsius D. Abbatissæ consueta servitia & jura exhiberi. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo juxta & secundum formam, & tenorem ipsarum litterarum Apostolicarum. Quocirca præfatas litteras Apostolicas & hunc nostrum processum, ac in eis contenta vobis D. D. Monialibus & Conventui prædictis & cuilibet vestrum insimul & in solidum omnibusque & singulis præfatis, quibus hujusmodi nostræ litteræ diriguntur intimamus, notificamus, & insinuamus ac ad vestram & cujuslibet vestrum notitiam deducimus, & deducere volumus per præsentes vosque nihilominus & vestrum quemlibet communiter, vel divisim auctoritate præfata tenore præsentium requirimus, & monemus primo, secundo, tertio, & peremptorie, ac vobis in virtute sanctæ obedientiæ & sub penis, & censuris Ecclesiasticis infrascriptis & a jure statutis canonica monitione præmissa quatenus in futurum præfatæ D. Elisabeth tanquam veræ & legitimæ Abbatissæ dicti Monasterii obedientiam & reverentiam congruentes & a vasallis, & subditis suis consueta servitia & jura exhiberi, & præbere seu præstitisse debeatis, & quælibet vestrum debeat. Si secus factum extiterit aut ipsi D. Abbatissæ impedimentum aliquod quominus prædicta suum debitum consequantur effectum præstiteritis aut impedientibus

tibus

tibus ipsam super præmissis in aliquo dederitis auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte, directe, vel indirecte quovis quæsito colore, & generaliter in quoscunque contradictores in hac parte & rebelles cujuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis, seu præminentiæ existant, ex nunc prout ex tunc, & e converso singulariter in singulos dicta canonica monitione præmissa excommunicationis. In capitulum vero, seu capitula Conventus, & collegia in his degentia suspensionis a divinis, & quorumcunque delinquentium & rebellium hujusmodi ecclesias, monasteria, & capellas interdicti Ecclesiastici sententias ferimus in his scriptis, & etiam promulgamus. Absolutionem vero omnium, & singulorum qui præfatas nostras excommunicationis sententias, aut earum aliquam incurrerint sive incurrerit quoquo modo nobis vel Superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum has nostras patentes sive præsens publicum Instrumentum exinde fieri jussimus per notarium & scribam nostrum infrascriptum nostrique sigilli Pontificalis jussimus & fecimus appensione muniri. Actum & Datum Venetiis in Monasterio S. Mariæ de Virginibus die Sabbati quinto Aprilis millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio Indictione prima, Pontificatus vero præfati Sanctissimi Domini nostri D. Sixti Papæ IV. anno duodecimo. Præsentibus Ven. Viris Dom. Paulo Voxa Canonico Venetiarum, & D. Præsb. Hieronymo de Otranto Mansionario in Ecclesia S. Zachariæ Venetiarum & Dominico q. Jacobi a cartis Diacono Ecclesiæ Venetiarum testibus ad præmissa vocatis, & rogatis. & aliis pluribus.

Ego Lodovicus qu. Bartholomæi de Canali Venetus publicus Imperiali auctoritate Notarius, & Curiæ Patriarchalis Venetiarum notarius & scriba quod suprascriptarum litterarum Apostolicarum præsentationi, receptioni, admissioni, investituræ, & possessioni ac loci assignationi, & decreto, omnibusque aliis & singulis dum sic, ut præmittitur agerentur, & fierent una cum prænominatis testibus rogatus interfui. Ideo in hanc publicam formam redegi, me subscripsi, & publicavi signumque meum cum nomine apposui consuetum una cum impendenti sigillo ipsius D. executoris apposito in fidem, & testimonium omnium & singulorum premissorum.



Innocentius VIII. facultatem concedit tribus Monialibus Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus exeundi ab ipso Monasterio, ac in alio S. Danielis nuncupato ingrediendi, & Monasticum habitum recipiendi.

S2. 1488. 10. Maii.

Ex Tabulario in Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus Contarinæ de Contarinis Priorissæ, & Euphemiæ Loredani, ac Andrianæ Contarini Canonissis Monasterii Beatæ Mariæ de Virginibus nuncupati Venetiarum Ordinis S. Marci Mantuani salutem, & Apostolicam benedictionem. Sinceræ Devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geritis Ecclesiam non indigne meretur ut votis vestris, illis præsertim quibus animarum vestrarum salus vo-

vobis facilius valeat provenire favorabiliter annuamus, illaque prosequamur benignitate gratiæ spetialis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod in Monasterio B. Mariæ de Virginibus nuncupato Venetiarum, quod de jurepatronatus Ducis Venetiarum pro tempore existentis de speciali privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, dinoscitur, sunt nonnullæ mulieres canonissæ nuncupatæ Ordinis S. Marci Mantuani sub certo habitu albo & institutis regularibus nuncupatis S. Augustini viventes; quæ vellari aut professionem aliquam emittere non consueverunt, sed inde exire, & si velint matrimonium contrahere & in sæculo remanere, ac de earum patrimonialibus, & aliis ex earum industriis acquisitis bonis disponere pro ipsarum libito voluntatis libere possint, vosque & vestrum quælibet in vestro in dicto Monasterio ingressu centum quinquaginta altari, & triginta ducatos eidem Monasterio obtulistis, & pro reparatione Ecclesiæ & parlatorii ejusdem Monasterii quadringentos alios Ducatos de vestris patrimonialibus bonis detulistis, & illos eidem Monasterio liberaliter donastis, ac tam ex vestris patrimonialibus bonis, quam ex vestra industria acquisitis octo domunculas emistis ex quibus annis singulis nomine affictus seu pensionis sexaginta ducatos percipitis, & ex illis decimas Dominio Venetiarum solvitis ipsasque domos vendere & alienare, ac alias disponere pro vestræ libito voluntatis, obtenta per vos super hoc licentia a dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui dicti Monasterii prout publico instrumento dicitur constare disponere potestis. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat vos quæ de nobili genere procreatæ estis speciali devotione ductæ cupiatis pro majori animarum vestrarum quiete & pace vos transferre de dicto Monasterio ad Monasterium Monialium S. Danielis de Castello Venetiarum Ordinis S. Augustini sub cura Fratrum Prædicatorum (a) & regulari observantia ac perpetua clausura degentium vos transferre, & inibi sub regulari habitu dicti Monasterii S. Danielis perpetuo Altissimo famulari pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis, & vestrum cuilibet de dicto Monasterio B. Mariæ cum omnibus bonis vestris ad dictum Monasterium S. Danielis vos transferendi & in illo sub ipsius habitu & professione regulari perpetuo remanendi licentiam concedere aliasque vobis in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur vos, & quamlibet vestrum a quibuscunque excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ estis ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati vobis & vestrum cuilibet de dicto Monasterio B. Mariæ cum omnibus & singulis bonis vestris ad dictum Monasterium S. Danielis si inibi benivolas inveneritis receptrices, vos transferendi & in eo sub illius habitu & professione regularibus perpetuo remanendi; si interim aliquam ex vobis ab hac luce migrare contingat reliquæ superstites illius bona ad dictum Monasterium S. Danielis defferre libere & licite valeant plenam & liberam auctoritate Astolica tenore præsentium litterarum facultatem elargimur non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ac statutis, & consuetudinibus Monasteriorum & ordinum prædictorum juramento confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis cæterisque contrariis quibuscunq. Nulli ergo hominum &c.

Datum Romæ Apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicæ 1488. Sexto Idus Maii Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Inno-

(a) Quod in hoc diplomate asseritur sanctimoniales S. Danielis Venetiarum anno 1488. sub cura Fratrum Prædicatorum extitisse, nullibi reperi in documentis illius Monasterii.

Innocentius VIII. committit Vicario Patriarchæ Venetiarum, ut Angelam Marcello electam Abbatissam Sanctæ Mariæ de Virginibus in possessionem inducat.

T2. 1491. 21. Martii.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Vicario Ven. Fr. Nostri Patriarchæ Venetiarum in spiritualibus generali Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex susceptæ servitutis officio solicitudine pulsamur assidua ut Ecclesiarum & Monasteriorum omnium quorum cura nobis imminet generalis & præsertim nobis & Romanæ Ecclesiæ immediate subjectorum utilitatibus intendamus & illis quæ vacationis incommoda deplorare noscuntur per nostræ operationis ministerium de celeris provisionis remedio salubriter consulamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Christo filiæ Angelæ Marcello Monialis Monasterii Monialium S. Mariæ de Virginibus Venetiarum Romanæ Ecclesiæ immediate subjecti ordinis S. Marci de Mantua sub regula S. Augustini degentium petitio continebat quod olim dicto Monasterio, quod de jure patronatus Ducis Venetiarum pro tempore existentis ex speciali Sedis Apostolicæ privilegio cui hactenus in aliquo non extitit derogatum fore dignoscitur, & cui quondam Elisabeth illius Abbatissa dum viveret præsidebat per obitum dictæ Elisabeth, quæ extra Romanam Curiam diem clausit extremum Abbatissæ regimine destituto dilectæ in Christo filiæ Conventus ipsius Monasterii pro futuræ inibi Abbatissæ celebranda electione vocatis quæ voluerunt, potuerunt, & debuerunt electioni hujusmodi commode interesse die ad eligendum præfixa ut est moris convenientes in unum ipsam Angelam Monialem dicti Monasterii ordinem ipsum expresse professam in earum, & dicti Monasterii Abbatissam concorditer elegerunt, & tam dilectus filius Nobilis Vir Augustinus Barbadico Dux Venetiarum verus & unicus patronus ipsius Monasterii existens in pacifica possessione, vel quasi jurispatronatus hujusmodi & præsentandi consensum electioni Abbatissæ ipsius Monasterii quæ fit occurente illius vacatione, quam ipsa Angela electioni hujusmodi sibi respective præsentato decreto consenserunt in hiis omnibus a jure statutis temporibus observatis ipsaque Angela deinde electionis hujusmodi vigore regiminis & administrationis, ac bonorum dicti Monasterii possessionem, vel quasi extitit assecuta. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat dicta Angela dubitet electionem prædictam ex certis causis juribus non subsistere & ut accepimus dictum Monasterium adhuc ut præfertur vacare noscatur; Nos cupientes eidem Monasterio utilem, & ydoneam præsidere personam per quam circumspecte regi & salubriter dirigi valeat, ac alias de electione & consensu prædictis, nec non meritis & ydoneitate ipsius Angelæ apud Nos de religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione aliisque virtutum donis multipliciter commendatæ certam notitiam non habentes, ac ipsam Angelam a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodata existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutam fore censentes discretioni tuæ per Apostolica-

ftolica fcripta mandamus quatenus electionem prædictam fi illam canonicam fore repereris auctoritate noftra approbes & confirmes; alioquin de hujusmodi meritis & ydoneitate dictæ Angelæ te diligenter informes & fi per informationem eamdem dictam Angelam ad regimen & adminiftrationem dicti Monafterii utilem & ydoneam effe reppereris fuper quo tuam confcientiam oneramus de perfona ejusdem Angelæ eidem Monafterio cujus fructus, redditus, & proventus nulli funt five ut præmittitur five alias quovis modo aut ex alterius cujuscunque perfona vacet, & ex quavis caufa illius provifio ad Sedem Apoftolicam fpecialiter, vel generaliter pertineat dummodo tempore datæ præfentium eidem Monafterio de Abbatiffa canonice provifum non exiftat eadem auctoritate provideas ipfamque Angelam illi præficias in Abbatiffam, curam regimen & adminiftrationem ipfius Monafterii fibi in fpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo ac faciendo fibi & Conventui præfatis obedientiam & reverentiam congruentes ac a dilectis filiis vafallis, & aliis fubditis dicti Monafterii confueta fervitia, & jura ab eis fibi debita integre exhiberi. Contradictores per cenfuram Ecclefiafticam appellatione poftpofita compefcendo. Non obftantibus conftitutionibus, & ordinationibus Apoftolicis ac Monafterii & ordinis prædictorum juramento confirmatione Apoftolica, vel quavis firmitate alia roboratis ftatutis, & confuetudinibus contrariis quibuscunque. Seu fi Conventui vaffallis & fubditis præfatis vel quibusvis aliis communiter, vel divifim a dicta fit Sede indultum quod interdici fufpendi, vel excommunicari non poffint per litteras apoftolicas non facientes plenam & expreffam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim dictæ Angelæ fi per te vigore præfentium electionem ipfam confirmari, aut de perfona fua dicto Monafterio provideri contigerit ut a quo maluerit Catholico Antiftite gratiam & communionem Apoftolicæ Sedis habente munus benedictionis fufcipere ipfeque Antiftes illud fibi impendere libere, & licite valeat Apoftolica auctoritate concedimus. Volumus autem quod idem Antiftes qui præfatæ Angelæ dictum munus impendet ab ea noftro & præfatæ Ecclefiæ nomine fidelitatis debitæ folitum recipiat juramentum juxta formam quam fub bulla noftra mittimus introclufam, ac formam juramenti quam ipfa Angela præftabit nobis de verbo ad verbum per ejus patentes litteras ejus figillo fignatas per proprium nuntium quantocius deftinare procuret. Et infuper ex nunc irritum & inane fi fecus fuper hiis a quoquam quavis auctoritate fcienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millefimo quadringentefimo nonagefimo, Undecimo Kal. Aprilis, Pontificatus noftri anno Septimo.

B. de Rizonibus.

Inno-

Innocentius VIII. Indulgentias Sanctæ Mariæ de Virginibus ad biennium confirmat, cæteris ubique suspensis.


V 2. 1492. 8. Junii.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

INNOCENTIUS PAPA VIII.

UNiversis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum Nos alias certis de causis moti omnes & singulas indulgentias quibusvis Ecclesiis Monasteriis, & piis locis per Romanos Pontifices prædecessores nostros concessas suspenderimus, & velimus indulgentias Ecclesiæ Monasterii B. Mariæ de Virginibus Venetiarum Castellanæ Dioecesis pro illius conservatione, manutentione, & augmento concessas in hujusmodi revocatione saltem ad aliquod tempus non comprehendi, tenore præsentium decernimus indulgentias prædictas ad biennium a data præsentium computandum validas & efficaces esse, & in suo robore & vigore permanere perinde, ac si suspensio seu revocatio indulgentiarum hujusmodi quo ad eas pro dicto tempore a nobis nullatenus emanaret. Suspensione, & revocatione hujusmodi ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. Junii MCCCCLXXXXII. Pontificatus Nostri anno octavo.

Jul: de Cesarinis.



Alexander VI. visitantibus Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Virginibus concedit indulgentias Sanctæ Mariæ de Portiunçula.

X 2. 1493. 20. Aprilis.

Ex Archivo Monasterii.

ALEXANDER PAPA VI.

DIlectæ in Christo filiæ salutem, & Apostolicam Benedictionem. Alias (sicut nuper accepimus) ad supplicationem vestram fel. rec. Innocentius Papa VIII. præcessor noster Monasterio isti vestro intendit pene consumpto & collapso, indulgentiam adinstar & similitudinem indulgentiæ Capellæ Sanctæ Mariæ de Portiuncula, alias de Angelis nuncupatæ extra muros Assisinates prima, & secunda die mensis Maii a nonnullis ejus præcessoribus concessam per suas in forma brevis litteras confirmavit illamque minime suspensam fore declaravit prout in ipsius prædecessoris litteris, quarum tenores hic haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius asseritis contineri. Proinde cum Monasterium ipsum in quo septuaginta Moniales vel circa estis, & horis diurnis pariter & nocturnis famulatum altissimo perpetuum redditis, adhuc non mo-

modica reparatione indigeat, nec illud sine piis fidelium suffragiis restaurare possitis, nobis de alicujus subventionis auxilio pro ejuscemodi restauratione humiliter supplicastis. Nos igitur præmissa paterno considerantes affectu, ac statui vestro compatientes contemplatione maxime dilecti filii nobilis Viri Augustini Barbadico Ducis Venetiarum pro vobis etiam supplicantis & hujusmodi supplicationibus inclinati indulgentiam ipsam ad instar & similitudinem indulgentiæ Capellæ S. Mariæ de Angelis (ut præfertur) isti vestro Monasterio B. Mariæ de Virginibus Venetiarum diebus supradictis concessam & per eundem præcessorem confirmatam Apostolica auctoritate tenore præsentium de specialis dono gratiæ pro præsenti anno dumtaxat confirmamus, & approbamus, & quatenus opus sit, de novo hac vice tantum concedimus. Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis Regulis quoque Cancellariæ nostræ ac hujusmodi indulgentiarum generali suspensione, seu revocatione per nos facta cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xx. Apr. MCCCCLXXXXIII. Pontificatus nostri anno Primo.

L. Podocatharus.

Alexander Papa VI. Sanctimonialibus Sanctæ Mariæ de Virginibus concedit, ut Sacerdotes ab ipsis electi ministrare Sacramenta possint in earum Ecclesia, atque consanguineas in Monasterio introducere valeant, indulget.

Y 2. 1493. 5. Julii.

Ex Archivo S. Mariæ de Virginibus.

ALexander Papa VI. Dilectæ in Christo filiæ salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum alias sicut nobis exponi fecistis fel. rec. Alexander III. prædecessor noster in fundatione istius vestri Monasterii vos & dictum Monasterium sub protectione hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ inmediate subjecerit & deinde fel. rec. Bonifacius & Nicolaus etiam prædecessores nostri vobis nonnulla privilegia indulta libertates & immunitates concesserint prout in diversis dictorum prædecessorum desuper confectis litteris plenius continetur Nos inducti sinceræ devotionis affectu quem ad nos & hanc sanctam Sedem geritis supplicationibusque pro parte vestra nobis desuper porrectis inclinati omnia & singula privilegia indulta libertates & immunitates ac litteras prædictas vobis & eidem vestro Monasterio per præfatos & alios Romanos Pontifices prædecessores nostros concessas & concessa apostolica auctoritate tenore præsentium appprobamus & confirmamus: ac volentes vos uberiori gratia prosequi vobis ut non obstante quacunque ordinaria in contrarium ordinatione, seu prohibitione quemcunque seu quoscunque idoneum, vel idoneos seculares, vel regulares religiosos qui vobis in Ecclesia dicti vestri Monasterii divina officia celebrare sacramentaque ecclesiastica ministrare possint seu alter illorum possit eligere ac de consensu Abbatissæ pro tempore existentis mulieres consanguineas affines amicas & benivolas vestras in dictum vestrum Monasterium juxta vestram consuetudinem per vos alias observatam admittere & recipere valeatis & dictæ mulieres in illud ingredi vosque visitare ac vobiscum se spiritualiter recreare dummodo non pernoctent libere & licite possint

& va-

& valeant eadem auctoritate concedimus, & indulgemus per præsentes non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis, & præsertim Ven. Fr. nostri N. Episcopi Tarvisini (a) tunc in partibus cum potestate Legati de latere Nuncii Apostolici cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die v. Julii MCCCCLXXXXIII. Pontificatus Nostri anno primo.

B. Floridus.

(a) Nicolaus Francus Episcopus Tarvisinus electus anno 1486.

Alexander Papa VI. indulgentias a Bonifacio IX. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Virginibus concessas non obstante suspensione Innocentii VIII. ad biennium confirmat.

Z 2. 1495. 21. Martii.

Ex Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

Dilectæ in Christo filiæ salutem, & Apostolicam Benedictionem. Alias sicut nuper nobis exponi fecistis ad supplicationem vestram Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster Monasterio vestro B. Mariæ Venetiarum de Virginibus nuncupato ut omnes & singuli Christi fideles vere pœnitentes & confessi, qui ipsius Monasterii Ecclesiam primo, & secundo diebus mensis Maii, devote visitarent annuatim, & ad reparationem & conservationem Ecclesiæ prædictæ manus porrigerent adjutrices illam indulgentiam & remissionem peccatorum suorum auctoritate Apostolica consequerentur, quas visitantes Ecclesiam B. Mariæ de Portiuncula alias dictam de Angelis extra muros Assisinates primo, & secundo diebus augusti annuatim quomodolibet consequuntur concessit: prout in ipsius prædecessoris litteris, quarum tenores hic haberi volumus pro sufficienter expressis plenius continetur. Et licet fel. rec. Innocentius Papa VIII. immediatus prædecessor noster omnes & singulas indulgentias Ecclesiis Monasteriis aliisque piis locis per Romanos Pontifices prædecessores suos concessas suspendisset, & postmodum idem prædecessor per suas litteras in forma brevis sub annulo Piscatoris Pontificatus sui anno octavo die octava Junii suspensionem seu revocationem hujusmodi ad indulgentias prædictas Ecclesiæ & Monasterio vestris præfatis, ut præfertur concessas a die Datæ prædictæ ad biennium futurum minime extendi easdemque litteras Apostolicas dicti Bonifacii prædecessoris indulgentias præfatas in se continentes pro hujusmodi indulgentiis consequendis dicto biennio durante esse validas & efficaces declarasset; cumque a principio anni in quo divina favente clementia ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus per nos similiter omnes & singulæ indulgentiæ Ecclesiis & Monasteriis aliisque piis locis per Romanos Pontifices prædecessores nostros concessæ suspensæ & revocatæ fuissent & postmodum per duos successive annos sequentes per nostras in forma brevis litteras eandem suspensionem & revocationem minime extendi, & litteras Apostolicas dicti Bonifacii prædecessoris indulgentias præfatas in se continentes pro hujusmodi indulgentiis præfati biennii esse validas & efficaces, etiam declaravimus præfatumque Monasterium vestrum in quo septuaginta Moniales vel circa estis & horis diurnis pariter & nocturnis famulatum Altissimo perpetuo redditis proximis elapsis annis incendio pœne consumptum adhuc non modica reparatione indigeat

nec illud sine piis fidelium suffragiis instaurare & manutenere possitis, vobis de opportunæ subventionis auxilio pro ejuscemodi instauratione humiliter supplicastis: Nos igitur more pii patris præmissa paterno conplectentes affectu ac statui vestro compatientes contemplatione maxime dilecti filii Nob. Viri Pauli Pisani apud Nos Oratoris Veneti pro vobis Ecclesia ac Monasterio præfatis etiam supplicantis, & hujusmodi supplicationibus inclinati indulgentiam ipsam ad instar & similitudinem indulgentiæ præfatæ Ecclesiæ sive Capellæ S. Mariæ de Portiuncula alias de Angelis extra muros Assisinates Monasterio vestro B. Mariæ de Virginibus Venetiarum diebus supradictis per eundem Bonifacium prædecessorem ut præfertur concessam Apostolica auctoritate tenore præsentium de specialis dono gratiæ in Vigilia Nativitatis Virginis Mariæ proxime venturæ a primis vesperis usque ad occasum Solis sequentis diei una dumtaxat vice de novo concedimus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis regulis quoque Cancellariæ nostræ a cujusmodi indulgentiarum generali suspensione, seu revocatione, tam per Nos quam per præfatum Innocentium prædecessorem nostrum cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Martii 1495. Pontificatus nostri anno Tertio.

B. Floridus.

Simile ejusdem Pontificis Diploma iisdem verbis conceptum datum fuit Romæ die XVIII. Maii 1496. ad instantiam Hieronymi Georgii Equitis Oratoris Veneti.

Tertium simile datum Romæ die XII. Junii 1496. ad preces Nicolai Michaelis Doctoris & Equitis Oratoris Veneti ad cujus instantias datum quoque fuit quartum simile die III. Junii 1497.

Pares indulgentias concessit Paulus Papa III. die 2. Aprilis 1536. die 1. Aprilis 1537. die XI. Januarii 1539. Julius quoque Papa III. die 16. Aprilis 1550. Pius Papa V. die V. Aprilis 1568. die 18 Aprilis 1571. Aliique Summi Pontifices ipsorum Successores.



Julius Papa II. Episcopo Chisimensi committit ut Benedictam Baduariam Abbatissam electam Sanctæ Mariæ de Virginibus Apostolica auctoritate confirmet.


A 3. 1505. 1. Novembris.

Ex Archivo Monasterii.

JUlius Episcopus Servus Servorum Dei. Ven. Fr. Episcopo Chisimensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex susceptæ servitutis offitio curis assiduis angimur & continua meditatione pulsamur ut vacantibus Ecclesiis & Monasteriis universis de celeris provisionis remedio succurratur. Exhibita siquidem nobis nuper pro Parte dilectæ in Christo filiæ Benedictæ Baduariæ Monialis Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venetiarum Ordinis S. Augustini petitio continebat quod nuper dicto Monasterio Sedi Apostolicæ immediate subjecto quod de jure patronatus Ducis Venetiarum pro tempore existentis ex speciali privilegio Apostolico cui hactenus in aliquo derogatum non extitit fore dinoscitur & cui quondam Leona illius Abbatissa dum viveret præsidebat per obitum ipsius Leonæ quæ extra Romanam Curiam diem clausit extremum va-

vacante dilectæ in Christo filiæ illius Conventus pro futuræ inibi Abbatissæ celebranda electione vocatis omnibus quæ voluerunt, potuerunt, & debuerunt electioni hujusmodi commode interesse die ad eligendum præfixa convenientes in unum ut moris est præfatam Benedictam dicti Monasterii Monialem ordinem ipsum expresse professam de nobili genere procreatam & in ætate legitima constitutam in earum & dicti Monasterii Abbatissam concorditer observatis statutis temporibus a jure de ipsius Ducis consensu elegerunt ipsaque Benedicta electioni hujusmodi illius sibi præsentato decreto consensit ipsiusque Monasterii & illius bonorum electionis hujusmodi vigore possessionem extitit assecuta nullos tamen fructus percipere ex eo. Quare pro parte dictæ Benedictæ nobis fuit humiliter supplicatum ut electioni hujusmodi Apostolicæ confirmationis robur adjicere aliasque sibi in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes eidem Monasterio de persona secundum cor nostrum utili & ydonea per quam circumspecte regi & salubriter dirigi valeat providere, ac de meritis & ydoneitate dictæ Benedictæ apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis multipliciter commendatæ certam notitiam non habentes ipsam Benedictam a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodata existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutam fore censentes Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus de hujusmodi meritis & ydoneitate dictæ Benedictæ te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ipsam Benedictam ad regimen & administrationem dicti Monasterii utilem & ydoneam esse repereris super quo tuam conscientiam oneramus electionem de dicta Benedicta ut præfertur factam si & postquam tibi constiterit illam canonicam fore auctoritate nostra confirmes & approbes. Et nihilominus de persona sua eidem Monasterio, cujus fructus nulli sunt sive ut premittitur sive alias quovis modo, aut ex alterius cujuscunque persona vacet & ex quavis causa illius provisio ad Sedem Apostolicam specialiter vel generaliter pertineat dummodo tempore datæ præsentium non sit eidem Monasterio de Abbatissa canonice provisum eadem auctoritate provideas ipsamque Benedictam illi præficias in Abbatissam curam regimen & administrationem illius sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo ac faciendo sibi a Conventu præfatis obedientiam & reverentiam debitas, & devotas a dilectis filiis vasallis, & aliis subditis dicti Monasterii consueta servitia & jura ab eis debita integre exhiberi. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis ac Monasterii & Ordinis prædictorum juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscunque. Aut si Conventui vasallis & aliis subditis præfatis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim a dicta sit Sede indultum quod interdici suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim præfatæ Benedictæ ut si de persona sua eidem Monasterio vigore præsentium provideri contingat ut a quocunque maluerit Catholico Antistite gratiam & communionem dictæ Sedis habente munus benedictionis recipere ipseque Antistes illud sibi impendere libere, & licite valeat auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus. Volumus autem quod idem Antistes, qui præfatæ Benedictæ dictum munus impendet ab ea nostro, & Romanæ Ecclesiæ no-

mine fidelitatis debitæ juxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam solitum recipiat juramentum ac formam juramenti quod ipsa Benedicta præstabit per proprium Nuntium nobis de verbo ad verbum & per ejus patentes litteras suo sigillo munitas quantocius destinare procuret. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinto. Kal. Novemb. Pontificatus Nostri Anno Secundo.



Altobellus Averoldus Episcopus Polensis, & Nuntius Apostolicus Leonis Papæ X. committit Episcopo Chisamensi, ut Claram Donatam in Abbatissam Sanctæ Mariæ de Virginibus confirmet.

B 3. 1518. 25. Augusti.

Ex Autographo in Archivo Monasterii.

Altobellus Averoldus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Polensis SS. Dom. Nostri Papæ Referendarius, & per totum Dominium Venetorum cum potestate Legati Cardinalis de latere Legatus Apostolicus. Reverendo in Christo Patri D. Episcopo Chisamensi Venetiis commoranti salutem in Domino sempiternam. Ex susceptæ legationis offitio curis assiduis premimur, ut Monasteriis universis legationi nostræ hujusmodi subjectis de celeris provisionis remedio succurratur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Christo nobis Claræ Donatæ Monialis Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venetiarum Ordinis S. Augustini petitio continebat, quod nuper dicto Monasterio Sedi Apostolicæ immediate subjecto, quod de jure patronatus Ducis Venetiarum pro tempore existentis ex speciali Privilegio Apostolico, cui hactenus in aliquo derogatum non extitit, fore dignoscitur, & cui condam Benedicta Margarita Baduaria illius Abbatissa, dum viveret presidebat, per obitum ipsius Benedictæ, quæ extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dilectæ nobis in Christo illius Conventus Moniales pro futuræ inibi Abbatissæ celebranda electione, vocatis omnibus, quæ voluerunt, potuerunt, & debuerunt electioni hujusmodi commode interesse die ad eligendum prefixa convenientes in unum, ut moris est, præfatam Claram dicti Monasterii Monialem Ordinem ipsum expresse professam de nobili genere procreatam, & in ætate legitima constitutam in earum, ac dicti Monasterii Abbatissam concorditer servatis statutis a jure temporibus de ipsius Ducis consensu elegerunt, ipsaque Clara electioni hujusmodi illius sibi præsentato Decreto consensit, ipsiusque Monasterii, & illius bonorum, electionis hujusmodi vigore, possessionem extitit assecuta nullos tamen fructus percipiens ex eo. Quare pro parte dictæ Claræ nobis fuit humiliter supplicatum ut electioni hujusmodi nostræ confirmationis robur adjicere aliasque sibi in præmissis opportune providere de benignitate nostra dignaremur. Nos igitur cupientes eidem Monasterio de persona secundum cor nostrum utili & idonea per quam circumspecte regi & salubriter dirigi valeat providere, ac de meritis & idoneitate dictæ Claræ apud nos de Religionis zelo, vitæ mundicia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis multipliciter commendatæ certam noticiam non ha-

habentes, ipsamque Claram a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis causa, vel occasione latis, si quibus quomodolibet innodata extitit ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutam fore censentes circumspectioni vestræ per hæc scripta mandamus, quatenus de hujusmodi meritis & idoneitate dictæ Claræ vos diligenter informetis, & si per informationem hujusmodi dictam Claram ad regimen, & administrationem dicti Monasterii utilem & idoneam esse repereritis super quo conscientiam vestram oneramus electionem de dicta Clara ut prefertur factam si & postquam vobis constiterit illam Canonicam fore auctoritate nostra confirmetis & approbetis, & nihilominus de persona sua eidem Monasterio, cujus fructus nulli sunt, sive ut premittitur sive alias quovismodo, aut ex alterius cujuscumque persona vacet, aut ex quavis causa illius provisio ad Sedem Apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore datæ presentium non sit eidem Monasterio de Abbatissa canonice provisum eadem auctoritate provideatis ipsamque Claram illi preficiatis in Abbatissam, curam, regimen, & administrationem illius sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, ac faciendo sibi a Conventu præfatis obedientiam & reverentiam debitas & devotas; a dilectis vero nobis in Christo Vasallis & aliis subditis dicti Monasterii consueta servitia, & jura ab eis sibi debita integre exhiberi. Contradictores per censuram Ecclesiasticam eadem auctoritate nostra compescendo non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ac Monasterii, & ordinis prædictorum juramento confirmatione Apostolica, vel firmitate quavis alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscunque aut si conventui Vasallis, & aliis subditis prefatis vel quibusvis aliis communiter, vel divisim a dicta sit Sede indultum quod interdici suspendi, vel excommunicari bon possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim prefatæ Claræ ut si de persona sua eidem Monasterio vigore presentium provideri contingat, ut a quocunque maluerit Catholico Antistite gratiam & communionem dictæ Sedis habente munus benedictionis recipere ipseque Antistes illud sibi impendere libere, & licite valeat auctoritate Apostolica; qua ex munere legationis nostræ hujusmodi fungimur in hac parte tenore presentium indulgemus. Volumus autem quod idem Antistes qui prefatæ Claræ dictum munus impendet ab ea nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ juxta formam solitam recipiat Juramentum ac formam juramenti quæ ipsa Clara prestabit per proprium nuntium Sanctissimo Domino Nostro Papæ & successoribus suis canonice intrantibus de verbo ad verbum per ejus patentes litteras suo sigillo munitas quotannis destinare procuret. In quorum fidem presentes fieri nostrique soliti sigilli jussimus & fecimus appensione communiri. Dat. Venetiis in Palatio Apostolico apud S. Jacobum de Lorio Anno Incar. Domin. 1518. Kal. Decemb. Pont. SS. in Christo Patris & D. N. D. Leonis Divina providentia Papæ X. anno Sexto.

In Christi nomine Amen. Noverint universi, & singuli presens publicum Instrumentum inspecturi qualiter Anno Nativitatis ejusdem Domini Nostri 1518. Indictione VI. die vero martis septimo mensis Septemb. Constituta genibus flexis in loco infrascripto Rev. D. Clara Donato electa Abbatissa Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venetiarum Exhibuit & presentavit, presente me Notario, & testibus infrascriptis Reverendissimo in Christo Patri & D. D. Dominico de Allepo Episcopo Chissamensi litteras ultrascriptas Reverendiss. in Christo Patris & Domini D. Altobelli de Averoldis Episcopi Pollensis & Legati Apostolici suæ Reverendiss. Domina-

nationi directas, petens, & humiliter requirens per suam Reveren. D. procedere debere ad illarum executionem juxta continentiam, & tenorem earum, qui quidem Rev. D. Episcopus Chissamensis qua decuit reverentia prefatas litteras acceptavit, & audito illarum tenore, & bene considerato, quia per diligentem informationem sibi constitit de idoneitate & sufficientia prefate Rev. D. Claræ & de aliis in dictis litteris contentis, & quæ tempore datæ dictarum litterarum non esset de Abbatissa canonice dicto Monasterio provisum auctoritate Apostolica qua fungitur in hac parte ellectionem factam de persona prefate D. Claræ in Abbatissa dicti Monasterii loco condam D. Benedictæ Baduario dicti Abbatissatus ultimæ Abbatissæ confirmavit & approbavit; & successive eandem D. Claram auctoritate Apostolica præfata per annuli in ejus digito impositionem providit ipsamque D. Claram eidem Monasterio in Abbatissam prefecit curamque & regimen illius in spiritualibus, & temporalibus sibi comissit & nihilominus antedictam Rev. D. Claram Abbatissam in realem, actualem, & corporalem possessionem dicti Abbatissatus posuit & induxit per tactum, & osculum majoris Altaris, & assignationem stalii & loci in Capitulo, & Choro dictæ Ecclesiæ & prestari sibi faciendas a Monialibus & etiam vassallis, & aliis subditis dicti Monasterii obedientiam & reverentiam debitas. Actum, & datum Venetiis in Ecclesia Monasterii prefati S. Mariæ de Virginibus presentibus Rev. D. D. Christophoro Ritio S. Moysi & Jacobo Grafolario S. Appolinaris Ecclesiarum Venetiarum Plebanis & aliis pluribus personis testibus vocatis & rogatis.

Die mercurii 8. *Mensis Septembris* 1518.

Prefatus Reverendiss. D. Episcopus Chissamensis Missam in Pontificalibus celebrando in dicta Ecclesia S. Mariæ de Virginibus ad Altare majus virtute dictarum ultrascriptarum litterarum prefate Rev. D. Claræ Abbatissæ genibus flexis constitutæ & petenti humiliter, & devote a sua Reverendissima munus benedictionis impendi, dictum munus benedictionis impendit auctoritate Apostolica antedicta servatis debitis & consuetis juxta Romanum Ritum ceremoniis. Et recepto prius ab eadem Dom. Clara nomine SS. Domini D. N. Leonis Divina providentia Papæ X. & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelitatis debitæ juramento quod eadem Rev. D. Clara prestitit hujusmodi sub tenore videlicet. Ego Clara Donato Abbatissa Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venet. Ord. S. Marci Evangelistæ sub Regula S. Augustini ab hac ora in antea fidelis & obediens ero B. Petro Sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ ac Domino Nostro D. Leoni Papæ X. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio consensu aut facto ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione; Legatum Apostolicæ Sedis in eundo, vel redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo; possessiones vero ad mensam mei Abbatissatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo; & cum consensu conventus mei Abbatissatus inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, penas in quadam superedita constitutione Conveneus eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. De quibus quidem omnibus ego Notarius infrascriptus a prefata Dom. Abbatissa rogatus fui publicum conficerem instrumentum. Actum & datum Venetiis in Ecclesia prefata presentibus ibidem Rev. D. Aloysio de Bithellis Archidiacono Venetiarum, & Venerabilib. Viris D. Marco Dragano, & Gregorio Delphino Canonicis Venetiarum & aliis testibus vocatis & rogatis.

Ego Joannes Franciscus Zentilinus Curiæ Patriarch. Venetus Not. nec non Imperialis rogat.

Adria-

Adrianus VI. Thomæ Campegio Episcopo Feltrensi Nuntio Apostolico committit, ut instantias, & querelas Monialium Conventualium Sanctæ Mariæ de Virginibus excipiat, & ad debitam executionem procedat.

C 3. 1523. 13. Julii.

Ex Archivo S. Mariæ de Virginibus.

ADRIANUS PAPA VI.

Ven. Fr. Episcopo Feltrensi apud Venetos Nostro & Sedis Apostolicæ Nuntio.

VEN. Fr. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Mittimus Fraternitati tuæ supplicationem præsentibus introclusam manu nostra signatam; volumusque & tibi committimus ac mandamus, ut vocatis vocandis ad illius executionem procedas juxta ejus continentiam, & signationem nostram. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII. Julii MDXXIII. Pontificatus nostri anno primo.

Evangelista.

Licet Pater Beatissime Solitum & juri consonum sit quandocunque occurrit Monasterium aliquod reformari, quod Abbatissa, & Moniales ibidem professæ moneantur, & paternis suasionibus inducantur, ut relicta laxiori vita ad honestiorem & strictiorem observantiam se convertere debeant, quæ si sponte id facere recusant, non propterea compelluntur, sed in ejus Monasterio in futurum nulla admittitur, quæ nolit observantiam ejusdem & non alterius ordinis profiteri, & sic relictæ quo ad vivunt permittuntur in eodem Monasterio in quo dotes suas portarunt, & vitam Conventualem professæ fuerunt, honeste tamen vivere, adeo quod per earum obitum numerus Conventualium extinguitur. Nihilominus Rev. P. D. Patriarcha Venetiarum & ejus Vicarius generalis prætendentes facultatem habuisse a fel. rec. Leone Papa X. prædecessore vestro reformandi Monasterium Virginum Venetiarum Ord. S. Mariæ de Virginibus nullo juris ordine servato nec salutaribus monitis, vel suasionibus præcedentibus, devotas S. V. oratrices Abbatissam Moniales, & Conventum dicti Monasterii sub specie ipsas reformandi, quampluribus earum bonis mobilibus & prætiosis ac fructibus, redditibus, & proventibus, nec non habitationibus etiam pro majori parte dicti Monasterii spoliarunt, & partim in eorum dampnabiles, & partim in nonnullarum aliarum Monialium Ordinis S. Francisci in eodem Monasterio introductarum usus converterunt & in earum animarum periculum, & maximum ipsarum oratricum, quæ omnes ex Nobili genere procreatæ sunt dedecus & præjudicium. Verum Pater Sancte, quia non creditur quod intentio prædicti S. V. Prædecessoris fuerit quod Monasterium præfatum a bon. mem. Federico Imperatore fundatum & dotatum, & a fel. rec. Alexandro III. etiam prædecessore vestro erectum & ab ordinario exemptum, & Sedi Apostolicæ immediate subjectum, ordinem dignissimum Virginis Mariæ, ob ejus devotionem Imperator prædictus ipsum fundavit & dotavit, & ejus privilegia perdiderit & loco ordinis proprii contra fundatoris voluntatem ordinem S. Francisci sumpserit; quodque prædictæ Abbatissa & Moniales nobiles quæ juvenes & Virgines ordinem prædictum S. Mariæ de Virginibus juxta solitam & non aliam observantiam bona fide re-

relictis mundanis delitiis & earum propriis domibus, & parentibus & Monasterio hujusmodi traditis, earum dotibus ne dum bonis & honoribus spoliatæ, verum etiam partim expulsæ & partim sub illius ordinis S. Francisci restrictæ fuerint. Quæque bona hujusmodi per prædictum Patriarcham usurparentur. Supplicant igitur S. V. Oratrices prædictæ, quæ paratissimæ sunt omni pœnitentiæ & reformationi juri consonæ se submittere quatenus alicui probo viro in Ro: Cu: commoranti committere & mandare, ut ad Venetiarum vel aliam vicinam Civitatem se conferatur & constito sibi summarie simpliciter & sola facti veritate inspecta de præmissis quantum sufficit, oratrices prædictas in earum Monasterio cum fructuum perceptione juriumque & pertinentiarum suorum bonorumque mobilium & preciosorum ad ipsas & Monasterium suum pertinentium ante omnia ne miserrime intrantes contendere cogantur integre restituant, & Moniales Ordinis S. Francisci in parte ejusdem Monasterii introductas, ad earum loca & monasteria in quibus prius fuerant reponat ipsasque oratrices juxta juris, & earum ordinis dispositionem castiget corrigat & reformet. Cum potestate prædictum Rev. P. D. Patriarcham & ejus Vicarium ac Gastaldum, seu exactorem & gubernatorem fructuum dicti Monasterii omnesque alios sua communiter, vel divisim interesse putantes, etiam per edictum publicum constito summarie & extrajudicialiter de non tuto accessu citandi ipsisque quibusvis judicibus & vigrantibus quantum opus fuerit sub sententiis censuris, & pœnis Ecclesiasticis ac pecuniariis arbitrio suo moderandis & applicandis inhibendi, contradictoresque & inobedientes quavis appellatione postposita similibus penis, & censuris, convocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis compellendi cæteraque faciendi quæ in præmissis & circa ea fuerint necessaria & quomodolibet opportuna, non obstantibus illa Bo: Papæ VIII. etiam Bo: V. prædecess. de una & Concilii Generalis de duabus dictis aliisque constitutionibus & ordinationibus Apostolicis Cæterisque contrariis quibuscunque Tenores litterarum Leonis prædicti & quarumvis facultatum prædictis Patriarchæ & Vicario quoquomodo concessarum ac processuum desuper habitorum ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, ad effectum quod præsentes de surreptione aut obreptione vitio seu desfectu intentionis nostræ Notarii non possint pro expressis habentes: Fiat ut petitur. A.

Et per Breve S. V. hac supplicatione introclusa fiat A.
Et committatur Episcopo Feltrensi Venetiis commoranti.
Datum Romæ apud S. Patrum Tertio Idus Martii. Anno Septimo.



Ante-

Antonius Contareno Patriarcha Venetiarum defuncta Clara Donata ultima Abbatissa ex Conventualibus confirmat in Abbatissam Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus Marinam Barbaro Monialem ex Observantibus.

D 3. 1523. 22. Decembris.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

ANtonius Contareno Miseratione Divina Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primas, & in hac parte Commissarius, & executor Apostolicus Ven. religiosæ D. Sorori Marinæ Barbaro Abbatissæ Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venetiarum Salutem in Domino sempiternam. Vacante siquidem Abbatissatu Monasterii prædicti Ordinis S. Augustini per obitum q. D. Sororis Claræ Donato Monialis Conventualis, ultimæ, & immediatæ dicti Monasterii Abbatissæ, de mandato nostro, & in executione litterarum Apostolicarum decernentium, quod de cætero vacante Abbatissatu in dicto Monasterio, & aliis Monasteriis Monialium Conventualium Civitatis Venetiarum fiat, & eligatur in Abbatissa una ex monialibus de observantia introductis in dicto & dictis Monasteriis, fuit convocatum & congregatum capitulum Ven. D. D. Monialium de observantia in dicto Monasterio introductarum pro eligenda Abbatissa ejusdem Monasterii, in quo quidem Capitulo tu præfata Ven. D. Soror Marina Barbaro Monialis de observantia Electa remansisti Abbatissa Monasterii antedicti, & præsentata nobis hujusmodi electione tua, antequam ad ulteriora procederemus decrevimus & fieri mandavimus edictum, illudque affigi in valvis Ecclesiæ præfatæ S. Mariæ de Virginibus fecimus, per quod citari mandavimus, omnes & singulos sua communiter vel divisim interesse putantes, & contradicere, & opponere volentes, & intendentes tam contra dictam electionem, quam personam tuam electam præfatam quatenus infra certum illis præfixum terminum coram nobis comparerent, ad opponendum & contradicendum, in quo termino, neque post ipsum terminum nemo comparuit contradicens, & propterea attendentes electionem ipsam fuisse & esse rite, & recte factam, & de persona idonea, & sufficienti ad tale regimen, electionem præfatam confirmavimus, laudavimus, & approbavimus, teque præfatam Ven. D. Sororem Marinam Abbatissam Electam, in personam tamen Specialis Viri s. Antonii de Marsilio dicti Monasterii Gastaldionis procuratoris tui, ad hoc specialiter constituti coram nobis flexis genibus existentis, & humiliter petentis, ac devote tuo nomine acceptantis de dicto Abbatissatu S. Mariæ de Virginibus per annuli nostri in digito tuo impositionem actualiter auctoritate nostra antedicta investivimus, teque de dicto Abbatissatu investitam esse volumus, ac illum tibi conferimus, & de eo tibi providemus præsentium per tenorem, cum omnibus juribus, & jurisdictionibus suis spiritualibus, & temporalibus dicto Abbatissatui spectantibus, & pertinentibus. Sperantes in eo, qui omnium est vera salus, quod ita te geres in dicto Abbatissatu, & taliter regimen, & curam illius habebis Monialesque tibi subjectas cum charitate tractabis, quod apud Altissimum, æternæ retributionis & apud homines dignæ laudis præmia consequaris. In quorum fidem præsentes fieri jussimus & nostri Pontificalis sigilli appensione muniri. Actum & datum Venetiis in Patriarchali Palatio nostro. Die XXII. mensis Decembris. MDXXIII. Præsentibus

bus Præsb. Andrea de Urbino Camerario nostro & Præsb. Hieronymo q. Jacobi Mansionario in Ecclesia nostra Patriarchali testibus vocatis & rogatis.

In Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo quingentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima die vero Lunæ vigesimo quinto mensis Januarii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri D. Clementis divina providentia Papæ VII. anno primo. Cunctis pateat & notum sit qualiter suprascriptus Reverendiss. D. Patriarcha Commissarius & Executor Apostolicus volens & intendens pro ulteriori executione suæ investitionis auctoritate nostra Apostolica factæ in personam suprascriptæ Ven. D. Sororis Marinæ de Abbatissatu suprascripti Monasterii S. Mariæ de Virginibus eamdem Ven. D. Sororem Marinam in dicti Abbatissatus juriumque & pertinentiarum ejus, realem, actualem, & corporalem possessionem inducere, existens in Monasterio prædicto ipsam Dom. Marinam, prius ab ea recepto fidelitatis nomine Sanctissimi Domini Nostri, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ juramento quod ipsa præstitit, sub hac verborum forma videlicet: Ego Soror Marina Barbaro Electa, confirmata & instituta Abbatissa Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venetiarum Ordinis S. Augustini juro quod fidelis, & obediens ero Sanctissimo Domino Nostro D. Clementi Papæ VII. & successoribus suis canonice intrantibus & vobis Reverendissimo Dom. Antonio Contareno Patriarchæ Venetiarum Comissario Apostolico & mandata dicti Sanctissimi Domini Nostri & successorum suorum observabo, & Moniales mihi commissas bene tractabo, & pro posse in suis necessitatibus adjuvabo, & alia faciam ad quæ de jure tenebor, quodque bona dicti Monasterii procurabo, & manutenebo, & ita me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia: Posuit & induxit in dicti Abbatissatus juriumque & pertinentiarum illius realem, actualem, & corporalem possessionem, per assignationem clavium dicti Monasterii in manibus suis & installationem in choro, & capitulo, mandandoque omnibus ipsius Monasterii Monialibus, & personis quatenus præfatam D. Sororem Marinam in suam ac dicti Monasterii Abbatissam, habeant, & admittant, illique debitam reverentiam, & obedientiam præstent, aliaque faciendo, & exequendo in similibus fieri solita & consueta.

Actum & Datum Venetiis in Ecclesia Monasterii suprascripti S. Mariæ de Virginibus præsentibus ibidem Rev. D. Octaviano Brittonio juris utriusque Doctore Vicario præfati Reverendissimi D. Patriarchæ ac Rev. D. Simplicio de Carminatis Decretorum Doctore Archipræsb. Ecclesiæ Patriarchalis, & D. Joanne Baptista Egnatio Priore Hospitalis S. Marci Venetiarum testibus ad præmissa vocatis & rogatis, ac aliis pluribus.

Joannes Franciscus Zentilinus Curiæ Patriarchalis Venetiarum Not. ss.

Hiero-

Hieronymus Quirino Patriarcha Venetiarum Commissarius Apostolicus Michaelam Cuppo Abbatissam Sanctæ Mariæ de Virginibus constituit, atque ab ea fidelitatis juramentum excipit.

E 3. 1527. 1. Januarii.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

HIeronymus Quirino miseratione Divina Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primas, & in hac parte Commissarius & executor Apostolicus Dilectæ nobis in Christo Ven. Religiosæ Sorori Michaelæ Cuppo Abbatissæ Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venetiarum Ordinis S. Augustini Congregationis S. Marci de Mantua Salutem in Domino sempiternam. Cum sit quod vigore litterarum Apostolicarum nobis sit attributa potestas, & auctoritas durante reformatione Monasteriorum Monialium hujus Civitatis præficiendi & deputandi Abbatissam in dictis Monasteriis, cum pro tempore interea vacare contingeret; Propterea vacante in præsentiarum Abbatissatu ejusdem Monasterii Sedi Apostolicæ immediate subjecti per obitum q. Ven. religiosæ Dom. Sororis Marinæ Barbaro ultimæ, & immediatæ Abbatissæ, volentes eidem Monasterio salubriter providere, & rem gratam facere Serenissimo & illustrissimo D. Andreæ Gritti Venetiarum Duci, qui certum jus in electione Abbatissæ dicti Monasterii, & ex confirmationibus Abbatissarum quæ præcesserunt Apostolicis, nobis monstratum fuit, necnon ex origine dicti D. Ducis præhæminentiæ, & prærogativæ in eodem Monasterio indultæ per Sedem Apostolicam ac Monialibus Monasterii prædicti personam tuam gratam habentibus complacere, hinc est, quod auctoritate Apostolica prædicta qua fungimur in hac parte absque tamen præjudicio exemptionis dicti Monasterii, cui per præsentes in aliquo præjudicare non intendimus, Personam tuam in Abbatissam dicti Monasterii duximus præficiendam, & deputandam & ut hujusmodi nostrum decretum, locum habeat, & effectum sortiatur per præsentes committimus & mandamus Rev. D. Cæsari Baccono juris utriusque doctori Prothonotario Apostolico Vicario Nostro, Quatenus te in Abbatissam dicti Monasterii præficiat & de Abbatissatu prædicto investiat, cum omnibus juribus, & jurisdictionibus suis spiritualibus, & temporalibus. Recepto prius a te Sanctæ Apostolicæ Sedis nomine fidelitatis debitæ juramento, & successive in possessionem Abbatissatus prædicti, omniumque jurium suorum & pertinentiarum ponat, & inducat, Tibique a Monialibus dicti Monasterii ipsius obedientiam & reverentiam debitam præstare faciat. Contradictores & rebelles per censuram Ecclesiasticam compescendo. In quorum fidem præsentes fieri jussimus & nostri Pontificalis sigilli appensione muniri. Actum, & datum Venetiis in Patriarchali Palatio nostro die martis primo mensis Januarii MDXXVII. Præsentibus præsbyteris Bartholomæo de Lauda, & Dominico de Bonamicis Camerariis nostris testibus vocatis & rogatis.

Eisdem die & millesimo præfatus Rev. D. Vicarius pro debita dictæ Commissionis executione, se contulit ad Monasterium S. Mariæ de Virginibus & auctoritate Apostolica sibi demandata præfatam D. Michaelam Cuppo, intus gradus parlatorii dicti Monasterii coram sua Rev. D. flexis genibus existentem in Abbatissam dicti Monasterii præfecit, instituit, & deputavit, illamque per annulli in digito suo impositionem de dicto Abbatissatu cum omnibus juribus, & ju-

& jurisdictionibus suis investivit, Recepto prius juramento nomine sanctæ Apostolicæ Sedis, a dicta D. Sorore Michaela Abbatissa sub hac verborum forma vid. Ego Soror Michaela Abbatissa Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venetiarum Ordinis S. Augustini Congregationis S. Marci de Mantua juro, quod ero fidelis Sanctissimo D. Clementi Papæ VII. Sanctæque Sedi Apostolicæ, & bona Ecclesiæ, & Monasterii prædicti conservabo & manutenebo, & non alienabo sine consensu Monialium mearum & absque licentia Apostolicæ Sedis, Monialesque mihi commissas humaniter & benigne tractabo. & in suis necessitatibus illas adjuvabo pro posse, & ita me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia; & subinde dictæ D. Abbatissæ dicti Abbatissatus omniumque jurium & pertinentiarum ipsius possessionem tradidit per installationem in Sede Abbatissali, & pastoralis traditionem, & clavium Monasterii assignationem, mandando Monialibus dicti Monasterii, quatenus dictam D. Sororem Michaelam in suam Abbatissam habeant, & illi obedientiam & reverentiam præstent, & alia faciendo, in similibus necessaria, & opportuna, quæ quidem D. Abbatissa benigne a Monialibus dicti Monasterii ad osculum pacis cum debita reverentia fuit recepta, super quibus omnibus idem Rev. D. Vicarius, mandavit mihi infrascripto Notario, & Cancellario publicum conficerem instrumentum. Actum Venetiis in Ecclesia S. Mariæ de Virginibus in Parlatorio dictæ Ecclesiæ Præsen[illegible]s Venerabilib. Viris D. Marco Baldi[illegible] Canonico Venetiarum, & D. Petro de Bartholis confessore dicti Monasterii Testibus vocatis & rogatis.

Ego Joannes Franciscus Zentilinus Publicus sacris Apostolica, & Imperiali auctoritatibus Not. & Curiæ Patriarchalis Cancellarius prædictis omnibus interfui de mandato pariter & rogatus in notam sumpsi & me subscripsi.



Clemens VII. Hieronymo Quirino Patriarchæ Venetiarum mandat ut Moniales Observantes contentiosas in Monasteriis conventualibus inductas ad loca propria remittat.

F 3. 1527. 8. Aprilis.

Ex Archivo S. Mariæ de Virginibus.

Clemens Papa VII.

VEN. Fr. Salutem & Apostolicam Benedictionem: Exponi nobis nuper fecit Nobilis Vir Andreas Grittus Dux Venetiarum, quod alias bon. mem. Antonius Contarenus tunc in humanis agens etiam Patriarcha Venetiarum habens ad id a fel. rec. Leone Papa X. prædecessore nostro facultatem, Monasterium S. Mariæ de Virginibus Sedi Apostolicæ immediate subjectum, & nonnulla alia Monasteria Monialium Conventualium diversorum ordinum in Civitate Venetiarum & Diocesi Torcellana consistentia reformavit, & pro reformatione hujusmodi ad eadem Monasteria Moniales aliorum Monasteriorum Monialium de observantia etiam diversorum ordinum transtulit, credens per hoc Monasteriis & Monialibus hujusmodi consulere, sed postmodum vel ex eo quod in uno & eodem Monasterio Moniales, quæ antea diversorum ordinum erant,

erant, ad ordinem cujus Monasterium ipsum extitit translatæ, insimul habitabant, aut quia inimicus humani generis tali operi bono diligentius insidias posuit, magna discordia inter ipsas Moniales orta extitit, ad jurgia & opprobria invicem sæpe deveniunt, contentionibus, ac dissensionibus vacant, & nisi remedium desuper apponatur de aliquo scandalo dubitatur. Quare supplicari fecit nobis humiliter dictus Andreas Dux ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui Monialium earumdem quieti & animarum saluti consulere, & scandalis ne eveniant obviare desideramus, ac de te specialem in Domino fiduciam obtinemus, hujusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati Tuæ per præsentes committimus, & mandamus, quatenus auctoritate nostra Moniales de observantia contentiosas hujusmodi ad Monasteria & ordines quorum ante translationem hujusmodi Moniales ipsæ erant, reverti, & in eis recipi & permanere, ac sincera in Domino charitate tractari, in omnibus & per omnia, perinde ac si inde nunquam translatæ fuissent, nec non omnia & singula in præmissis & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facias & exequaris. Contradictores quoslibet & rebelles etiam per quascunque, de quibus tibi placuerit censuras & pœnas, ac alia juris remedia appellatione postposita compescendo invocato etiam ad hoc auxilio brachii secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum & ordinum hujusmodi etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis ac litteris Apostolicis per Leonem prædictum, & quoscunque alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros & Sedem prædictam etiam per viam generalis legis ac statuti perpetui, & motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, præservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis & individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda aut exquisita forma servanda foret, & in eis caveretur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, nec non modos & formas ad id servandos pro in individuo servatis habentes, hac vice duntaxat illis alias in suo robore permansuris harum serie specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. Aprilis MDXXVII. Pontificatus nostri anno quarto.

Be. El. Ravenn.

a tergo | Ven. Fr. moderno Patriarchæ Venetiarum.

Cle-

Clemens VII. concedit Sophiæ Pisanæ electæ Abbatissæ Sanctæ Mariæ de Virginibus, ut a quocumque Catholico Antistite promoveri possit.

G 3. 1528. 10. Junii.

Ex Archivo S. Mariæ de Virginibus.

Clemens Papa VII. Dilecta in Christo filia salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum sicut nobis nuper exponi fecisti, Tu in ætate legitima constituta existas, & Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus Venetiarum nobis & S. R. E. immediate subjecto ordinis S. Augustini Congregationis S. Marci de Mantua Castellanæ Diocesis cui qu. Soror Michaela Coppo ipsius Monasterii Abbatissa dum viveret, præsidebat per obitum ejusdem Michaelæ, quæ extra Romanam Curiam diem clausit extremum vacante Conventus ejusdem Monasterii vocatis omnibus, quæ debuerunt, voluerunt, & potuerunt electioni commode interesse, interventu etiam Vicarii Ecclesiæ S. Marci Venetiarum vice dilecti filii nobilis viri Ducis Venetiarum eodem Monasterio juspatronatus & præeminentiam habere pretendente elegerit nosque electionem ipsam confirmaverimus prout in litteris desuper confectis sub data Viterbii idibus Junii Pontificatus nostri anno quinto latius dicitur contineri. Nos te gratioso favore prosequi volentes tuisque in hac parte supplicationibus inclinati, tibi ut a quocunque malueris Catholico Antistite gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente extra Romanam Curiam residente ad munus benedictionis Abbatissatus hujusmodi aliquibus Dominicis, vel alias festivis diebus etiam extra tempora a jure statuta promoveri libere, & licite valeas, dummodo alias ad id reperiaris idonea, & aliquod Canonicum non obsistat, super quo tuam & ipsius Antistitis conscientiam oneramus, licentiam concedimus, ac eidem Antistiti ordines quoscunque benedictionis Abbatissatus hujusmodi tibi ut præfertur alias, fidelitatis juramento secundum ejusdem Monasterii statuta & consuetudinem eidem præstito conferendi licentiam & facultatem elargimur. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac in provincialibus & synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus, ac ipsius Monasterii S. Mariæ de Virginibus sive aliorum beneficiorum prædictorum juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus sub quibuscunque tenoribus concessis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Datum Viterbii (a) sub annulo Piscatoris die x. Junii MDXXVIII. Pontificatus nostri anno quinto.

Evangelista.

a tergo | Dilectæ in Christo filiæ Sophiæ Pisanæ electæ Abbatissæ Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venet. Ordinis S. Augustini Congregationis S. Marci de Mantua.

(a) Viterbio discessit Clemens VII. anno 1528. die v. Octob. Raynaldus ad annum 1528.

Clemens

Clemecs VII. mandat Archipresbytero Venetiarum ut Sophiam Pisanam confirmet autboritate Apostolica in Abbatissam Sanctæ Mariæ de Virginibus.

1528. 13. Junii.

Ex Archivo Sanctæ Mariæ de Virginibus.

CLemens Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Archipræsbitero Ecclesiæ Venetiarum Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex susceptæ servitutis officio curis angimur assiduis, & continua meditatione pulsamur, ut vacantibus Ecclesiis & Monasteriis universis præsertim feminei sexus, ne diuturnæ vacationis prægraventur incommodis de celeris provisionis remedio salubriter succurratur. Cum itaque sicut accepimus, Monasterium Beatæ Mariæ de Virginibus Ordinis S. Augustini Congregationis S. Marci de Mantua Venetiarum Castellanæ Dioecesis quod Sedi Apostolicæ immediate subjectum & ex speciali ejusdem Sedis privilegio cui non est hactenus in aliquo derogatum de jurepatronatus pro tempore existentis Ducis Venetiarum hujusmodi existit ac cui quondam Michaela ipsius Monasterii Abbatissa dum viveret præsidebat per obitum ejusdem Michaelæ quæ extra Romanam Curiam diem clausit extremum Abbatissæ regimine destitutum existat. Nos cupientes eidem Monasterio ne longæ vacationis hujusmodi exponatur incommodis de persona secundum cor nostrum utili & idonea per quam circumspecte regi & salubriter dirigi valeat, ac de meritis & idoneitate dilectæ in Christo filiæ Sophiæ Pisanæ Monialis dicti Monasterii asserentis se alias etiam tunc eundem ordinem expresse professam in ætate legitima constitutam, & de legitimo matrimonio procreatam per dilectas in Christo filias Conventum ejusdem Monasterii pro celebranda electione earum futuræ inibi Abbatissæ vocatis omnibus quæ voluerunt, & potuerunt, seu etiam debuerunt electioni hujusmodi commode, interesse die ad eligendum præfixa ut moris est convenientes in unum concorditer nemine discrepante electam fuisse, ac se eidem electioni illius sibi præsentato decreto sponte consensisse, ac dilectum filium Alovisium Bonsaber Vicarium Ecclesiæ S. Marci etiam Venetiarum nomine, & vice dilecti filii Nobilis Viri Andreæ Gritti moderni Ducis Venetiarum existentis in pacifica possessione juris assentiendi electioni Abbatissæ ejusdem Monasterii pro tempore electæ sibi ut asserebat ex eodem privilegio competentis eidem electioni suum assensum præstitisse statutis a jure temporibus in hiis omnibus observatis apud Nos de Religionis zelo, vitæ munditia, morum honestate, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione aliisque virtutum donis multipliciter commendatæ certam notitiam non habentes, ipsamque Sophiam a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodata existitit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutam fore censentes discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus auctoritate nostra de meritis, & idoneitate Sophiæ hujusmodi te diligenter informes & si per informationem eamdem dictam Sophiam ad regimen, & administrationem Monasterii hujusmodi utilem & idoneam esse repereris super quo tuam conscientiam oneramus de persona ejusdem Sophiæ eidem Monasterio cujus fructus, redditus, & proventus trecentorum ducatorum auri de Camera secundum commu-

munem extimationem valorem annuum non excedunt & omnes in usum & sustentationem ejusdem Conventus convertuntur, ut dicta Sophia etiam asserit, ut præmittitur, sive alias quovis modo vacanti etiam si ejus dispositio ex quavis causa ad Sedem prædictam specialiter vel generaliter pertineat dummodo tempore datæ præsentium non sit eidem Monasterio de alia Abbatissa canonice provisum & ejusdem Ducis ad hoc accedat assensus providens ipsam illi præficias in Abbatissam, curam regimen & administrationem ipsius Monasterii eidem Sophiæ in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, ac faciendo sibi a Conventu prædictis obedientiam & reverentiam congruentes, nec non a dilectis filiis Vasallis, & aliis subditis ejusdem Monasterii consueta servitia & jura sibi ab eis debita integre exhiberi. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis ac Monasterii, & ordinis prædictorum etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis consuetudinibus contrariis quibuscunque, aut si Conventui Vasallis, & subditis præfatis vel quibusvis aliis communiter, vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim eidem Sophiæ ut post provisionem & præfectionem prædictas si illæ per te vigore præsentium fiant a quocunque malueris catholico antistite gratiam & communionem dictæ Sedis habente munus benedictionis suscipere, ac eidem antistiti, ut munus prædictum sibi impendere licite possit licentiam concedimus per præsentes. Volumus autem quod dictus antistes, qui dictum munus eidem Sophiæ impendet postquam illud sibi impenderit, ab ea nostro, & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solitum recipiat juramentum juxta formam quam sub Bulla nostra mittimus introclusam, ac formam juramenti quod ipsa Sophia præstabit vobis de verbo ad verbum per ejus patentes litteras suo sigillo munitas quantocius destinare procuret. Datum Viterbii anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo octavo. Idibus Junii Pontificatus nostri anno quinto.

B. de Rubeis.



Clemens VII. committit Jacobo Pisauro Episcopo Paphensi, ut in reformando Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus invigilet, ipsumque Monasterium visitet, corrigat, & custodiat.

H 3. 1529. 3. Septembris.

Ex Tabulario Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

Clemens Papa VII. Ven. Fr. Salutem, & Apostolicam beneditionem. Nuper dilectus filius Nobilis Vir Andreas Gritus modernus Venetiarum Dux nobis exponi fecit quod Monasterium S. Mariæ de Virginibus Venetiarum Ordinis S. Augustini Congregationis S. Marci de Mantua de Jure patronatus pro tempore existentis Ducis Venetiarum existit, ipseque Dux Abbatissam, per Moniales electam & per Sedem Apostolicam confirmatam manibus propriis installat, & Monasterium protegit. Cumque vota Monialium in eligendo Abbatissam equaliter se scindunt in plures, alteri, cui velit, gratificat, & quasdam honorantias, & præstationes annuas recipit quæ juspatronatus in

præ-

prædictum Monasterium denotant, Monasteriumque ipsum exemptum reperitur ab omni jurisdictione loci ordinarii, & alterius cujuscunque, & est nobis, & Sedi Apostolicæ subjectum; verum quia alias Moniales in eo tunc degentes humani generis inimici fraude de observantia in conventualitate prolapsæ fuerant, eratque necesse Monasterium ipsum reformari debere fel. rec. Leo Papa X. prædecessor noster bon. mem. Antonio Contareno tunc Patriarchæ Venetiarum facultatem prædictas Moniales reformandi, gubernandi, ac corrigendi, & alia faciendi, quæ ipse Leo poterat, etiam Abbatissam instituendi, reformandi, & destituendi dedit, & si opus foret durante dicta reformatione quod Successores dicti Antonii eandem potestatem haberent, voluit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat Ven. Fr. Hieronymus Quirinus modernus Patriarcha Venetiarum certis causis & rationibus sibi visis talem auctoritatem renuerit, & illam nobis remiserit Monasteriumque ipsum & Moniales in eo degentes adhuc plenam reformationem non habuerint, & si habere contingat, necesse semper erit, habere unum Prælatum qui loco nostri seu pro tempore existentis Romani Pontificis dictum Monasterium visitet, & corrigat, & correctum custodiat; Pro parte dicti Andreæ Ducis nobis fuit humiliter supplicatum ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos ejus honesto desiderio annuere volentes, ac de persona tua plurimum confidentes hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ per præsentes committimus & mandamus quatenus vocatis vocandis auctoritate apostolica præmissa omnia prout idem Antonius Patriarcha facere & exequi poterat juxta formam & continentiam litterarum Apostolicarum tunc sibi directarum, quarum tenores ac si de eis specifica & individua mentio facta foret, præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus facias, & plene exequaris. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non privilegiis & indultis ac litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet forsan concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die III. Septemb. MDXXIX. Pontificatus nostri anno sexto.

B. Scutarius.

a tergo | Ven. Fr. Episcopo Paphensi Venetiis commoranti.



Jacobus Pisauro Episcopus Paphensis præcipit Priorissæ, & Monialibus Conventualibus Sanctæ Mariæ de Virginibus, ne alias, seu Moniales, seu puellas in Monasterium recipiant.

13. 1531. 14. Junii.

Ex Archivo S. Mariæ de Virginibus.

JAcobus de cha da Pesaro Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Paphensis Monasterii Ven. D. Monialium S. Mariæ de Virginibus Castellanæ & Venetiarum Dioces. auctoritate Apostolica executor, conservator & reformator Ven. D. Helenæ Pisani ejusdem Monasterii Conventualis Priorissæ omnibusque aliis in dicto Monasterio Monialibus salutem in Domino sempiternam. Cum ad aures nostras perventum sit quod vos D. Priorissa & Moniales dicti Monasterii vultis accipere in dicto vestro Monasterio nonnullas Moniales qua

quæ jam plurimis annis sunt extra dictum vestrum Monasterium, nec non quasdam puellas seculares ad gubernandum contra opinionem & voluntatem nostram; ideo tenore præsentium vobis D. Helenæ Pisani dicti Monasterii Priorissæ, ac Dianæ Theupolo, Blanchæ Valerio, Paulæ Venerio, Pisanæ Pisani, Fuscharenæ Fuschareno, Gradonicæ Gradonico, Elleonoræ Theupolo, & omnibus Monialibus in dicto Monasterio, & cuilibet vestrum primo, secundo, tertio & perentorie præcipimus & districte mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis introytuum portionis cujuslibet vestrum consentientis per sex menses quod non debeatis neque aliqua vestrum non debeat acceptare de cætero aliquam dictarum Monialium in dicto vestro Monasterio, nec etiam aliquam puellam ad gubernandum contra opinionem & voluntatem nostram & hoc totiens quotiens contra tenorem præsentium contrafactum fuerit in quorum fidem &c. Datum Venetiis in ædibus nostræ solitæ residentiæ positæ in confinio S. Pauli die XIV. Junii 1531.

Die Veneris 16. mensis Junii 1531.

Retulit Præsb. Sebastianus Radi Nuntius Palatii Apostolici Reverendiss. D. Legati intimasse hodie personaliter in Monasterio prædicto Conventuali Sanctæ Mariæ de Virginibus suprascriptum mandatum Rev. D. Helenæ Pisanæ Priorissæ ejusdem Monasterii & sex ex dictis D. Monialibus & ipsis ad majorem earum intelligentiam per dictum Nuntium vulgarizatum & eisdem dimissum.

Andreas Gritti Dux Venetiarum statuit, ut Moniales Sanctæ Mariæ de Virginibus ad solemnitates, vel funera vocare possint Capitulum Sancti Marci, vel alios quoscunque Presbyteros sæculares.

L 3. 1531. 12. Augusti.

Ex Tabulario Sanctæ Mariæ de Virginibus.

NOS Andreas Gritti Dei gratia Dux Venetiarum &c. Ven. D. Abbatissæ, & Monialibus tam Conventualibus, quam etiam de Observantia Monasterii S. Mariæ a Virginibus Venetiarum præsentibus & futuris salutem, & dilectionis affectum.

Cum Monasterium prædictum fuerit, & si de mero jure patronatus Ducatus Nostri nobis enim spectat gratificandi auctoritas in casu electionis Abbatissæ electamque per annuli impositionem manibus nostris ipsi Monasterio præficimus. Unde etiam præstationes quasdam annuas in recognitione antedicti juris nostri ab eisdem recipere solemus. Idcirco debemus jurisdictiones præeminentias, & immunitates dicti Monasterii tueri, & conservare, nec permittere eas ab ullis quacunque dignitate fungentibus molestari, nec quicquam innovari ad earum præjudicium sive quod ipsarum religiosam vivendi institutionem impediat aut perturbare possit. Hinc est quod non sine animi nostri molestia intelleximus cum antea Reverendiss. D. Patriarcha Venetiarum uti ordinarius ex tunc reformator dicti Monasterii prætendens vos D. Abbatissam & Moniales prædictas tanquam sub parochia suæ Patriarchalis Ecclesiæ commorantes ac subditas esse quoddam monitorium emanaverit quo vobis mandabatur ut sub pœnis prout in eo advenien-

te

te casu obitus alicujus ex vestris Monialibus, nec non in diebus vestrarum solemnisatum convocare, seu invitare deberetis simpliciter Capitulum dictæ suæ Parochialis Ecclesiæ quod erat in præjuditium vestrarum immunitatum, noviterque acciderit in funere quondam Ven. Monialium Conventualium gubernatricis prædictum Capitulum ad Ecclesiam vestram advocatum fuisse una cum Canonicis, qui cum suis Cruce, almuciis, & aliis insignibus capitularibus ad hujusmodi funus accessere. Nos itaque volentes consulere, & providere indemnitati dicti Monasterii harum serie, & tenore statuimus, & ordinamus, & mandamus ut de cætero in quibusvis solemnitatibus vestris quomodocumque in funeralibus in primis vocare & invitare debeatis capitulum & Canonicos Ecclesiæ nostræ S. Marci (si capitulum invitare volueritis) vel alios quoscunque Præsbyteros seculares etiam si inter eos essent aliqui ex Canonicis dictæ Parochialis Ecclesiæ dummodo sine almuciis & aliis insignibus Canonicalibus ad Ecclesiam vestram accedant si vero in funeralibus vestrarum Monialium convocare placuerit Capitulum dictæ parochialis Ecclesiæ, seu aliquam ex Congregationibus præsbyterorum hujus Civitatis Venetiarum, in primis Capitulum & Canonicos prædictæ nostræ Ecclesiæ S. Marci invitabitis quæ omnia diligenter ad unguem observabitis. Hæc enim ad perpetuam memoriam pro juris patronatus nostri conservatione & animorum vestrorum quiete mandanda censuimus. In quorum fidem præmissa fieri, & sigillo nostro S. Marci plumbeo muniri jussimus.

Datum in nostro Ducali Palatio die 12. Augusti Indictione IV.... 1531.

Die 13. *Augusti* 1531.

Mandato Serenifs. Principis Nostri & Domini D. Andreæ Gritti Dei gratia Ducis Venetiarum uti patroni Ecclesiæ, & Monasterii Ven. D. D. Monialium S. Mariæ de Virginibus Civitatis hujus Venetiarum, Ego Antonius Corona Imperialis & Ducalis Notarius personaliter accessi ad Monasterium suprascriptum, Ibique legi intimavi, & publicavi Rev. D. Sorori Sophiæ Pisani Abbatissæ D. D. Monialium de observantia dicti Monasterii, & aliis etiam D. D. Monialibus ibidem existentibus, præsentibus, audientibus, & intelligentibus mandatum antescriptum prælibati Serenifs. Principis Nostri in materia de suis solemnitatibus, & funeralibus, & ut in eo, & hoc ad dictam D. Abbatissæ & aliarum Monialium claram intelligentiam quæ responderunt se esse paratas libenter parere mandatis Suæ Serenitatis. Item eamdem intimationem & publicationem feci D. D. Monialibus Conventualibus dicti Monasterii, quæ illius tenore intellecto responderunt ut supra. Acta fuerunt hæc Venetiis in dicto Monasterio de Virginibus.

Testes
D. Præsb. Bernardinus de Anoali Capellanus dicti Monasterii.
D. Hieronymus dalla Torre Castaldio Monasterii prædicti.
D. Præsb. Philippus a Turre Capellanus Ducalis.

Jacobus Pisauro Episcopus Paphensis Delegatus Apostolicus Monasterium Sanctæ Mariæ de Virginibus divisum in Observantes & Conventuales unit in Monasterium observantium.

M 3. 1537. 28. Decembris.

Ex Archivo Monasterii.

REverendissimus in Christo Pater D. Jacobus de cha da Pesaro Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Paphensis exequutor, & Commissarius Apostolicus spetialiter ad infrascripta ab Apostolica Sede deputatus; Advertens numerum Dominarum Monialium dictarum Conventualium Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus citra numerum quatuor ex Monialibus Conventualibus defficientibus esse de præsenti, adherendo provisioni Apostolicæ alias factæ pro reformatione Monasteriorum Civitatis Venetiarum, quæ disponit, quamprimum numerum Conventualium devenire ad numerum quatuor superstitum tunc Monasterium uniri debere reintegrari, & unum redduci, conspiciens etiam bonam mentem trium Monialium Conventualium superstitum velle ingredi observantiam istud permisit, & facta debita reverentia Rev. D. Abbatissæ per dictas tres vid. D. Sororem Helenam Pisani, D. Sororem Dianam Theupulo, & D. Sororem Pisanam Pisani, dictum Monasterium sic separatum in Conventuales, & observantes univit & in unum redduxit & observantiam tantum Monialium nominari, & nuncupari mandavit extincto nomine penitus Conventualium & ad futuram memoriam omnium præmissorum hoc publicum instrumentum exinde fieri ordinavit, & per me Jacobum Zambellum Præsbyterum, & Notarium publicum Venet. coram testibus infrascriptis, vocatis, & rogatis scribi, & roborari mandavit, & sic & omni meliori modo, via, jure, & forma, quibus magis & melius sibi visum fuit.

Acta hæc fuerunt Venetiis in Ecclesia S. Mariæ de Virginibus in contracta S. Petri de Castello. Præsentibus Rev. D. Joanne Matthæo de Scuris Canonico Venet. & Ven. D. Dominico de Bonamico Subcanonico Venet. Testibus vocatis & rogatis. Anno vero a Nativitate D. N. J. C. 1537. Indictione x. die vero 28. mensis Decembris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri D. Pauli divina providentia Papæ III. anno tertio.

Ego Jacobus Zambellus Præsb. Venet. publicus imperialis & Venet. auctenticus Notarius quia præmissis omnibus & singulis una cum prænominatis testibus dum sic ut fierent & agerentur interfui, & ea, quæ sic fieri vidi, & audivi in notam sumpsi & aliis præpeditus negotiis per alium mihi fidum scriptum exinde confeci. Ideo hoc præsens instrumentum signo meo consueto signavi una cum sigillo pendenti præfati Reverendiss. D. Exequutoris in fidem, & testimonium præmissorum rogatus, & requisitus.

Anto-

Antonius Episcopus Albanensis Card. Pœnitentiarius decernit ut Moniales Sorores vulgo Conversæ Monasterii S. Mariæ de Virginibus utantur veste nigri coloris.

N 3. 1541. 2. Novembris.

Ex Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

ANtonius miseratione divina Episcopus Albanensis Dilectis in Christo Abbatissæ & Conventui Monialium Monasterii B. Mariæ Virginum Venetiarum Salutem in Domino. Ex parte vestra nobis exhibita petitio continebat, quod licet ab immemorabili tempore citra dictum Monasterium fundatum & ædificatum fuerit, & illius Moniales professas habitum album conversas vero nigrum semper deferre consuetudo fuerit post tamen Monasterium ipsum a vigintiquinque annis citra reformatum per inadvertentiam conversæ ipsæ prout professæ in habitu patientia nuncupato cum capucio albo Vaschapo vulgariter dicto hactenus incesserunt & incedunt. Cum vero Tibi Abbatissa nuper ad aures tuas pervenerit Moniales ipsas professas per ripam & campum dicti Monasterii exeuntes ut moris est a vulgo conversas judicari, & sic non modice vituperari in magnum dicti Monasterii & religionis contemptum & opprobrium cuperetis ad evitandum hujusmodi contemptum opprobrium & scandalum ut a professis conversæ a vulgo discernantur & pro professis non judicentur conversas easdem de cætero habitum hujusmodi videlicet capucium nigrum vaschapum vulgariter nuncupatum prout ante reformationem & ab illo tempore deferre solebant deferre & in eo incedere facere posse id tamen vobis licere dubitatis nisi Sedis Apostolicæ licentia speciali suffultæ existatis. Quare supplicari fecistis humiliter nobis super his per Sedem eandem de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati Auctoritate D. Papæ cujus pœnitentiariæ curam gerimus & de ejus speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto vobis ut Moniales Conversas prædictas de cætero habitum prædictum scilicet caputium Vascapum nuncupatum nigrum ad differentiam, & non album ad instar Monialium professarum perinde ac prout ante reformationem deferre solebant deferre & in eo incedere facere & eas ad præmissa observandum coarctare libere & licite possitis & valeatis veris existentibus præmissis tenore præsentium indulgemus ac licentiam & liberam concedimus facultatem. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub sigillo officii pœnitentiariæ IV. Nonas Novemb. Pontificatus Dom. Pauli Papæ III. Anno Octavo.

Anto-

Antonius Episcopus Sabinensis Card. Pœnitentiarius præcipit, ut Sorores vulgo Conversæ Monasterii S. Mariæ de Virginibus utantur veste nigri coloris, ut discriminentur a Monialibus de Officio.

1542. 11 Augusti.

Ex Archivo Sanctæ Mariæ de Virginibus.

ANtonius miseratione divina Episcopus Sabinensis. Dilectis in Christo Abbatissæ & Monialibus Monasterii B. Mariæ de Virginibus Venetiarum sub ordine & regula S. Augustini & Congregatione S. Marci de Mantua degentibus Salutem in Domino. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod cum ab annis fere quadringentis quibus Monasterium hujusmodi constructum extitit Virgines Moniales in eo sub regula & Congregatione prædictis ad horas diurnas pariter & nocturnas in choro dicendum deputatæ & vulgari nomine de officio nuncupatæ tunica alba desuper, & alba patientia cum Caputio Viscappo nuncupato aliæ vero hujusmodi officio non obligatæ conversæ nuncupatæ quæ intus Monasterium & extra ad Abbatissæ obedientiam officia præstant tunica nigra ad differentiam illarum de officio indui solitæ essent nihilominus jam annis vigintiquinque vel circa elapsis in reformatione dicti Monasterii quæ per tunc Patriarcham & reformatorem Monasterii Venetiarum facta fuit ejectis Monialibus, quæ tunc in eo erant cum in illud aliæ Moniales tam de Officio, quam Conversæ ex alio Monasterio quæ alio habitu induebantur in dictum vestrum Monasterium introducerentur illæ omnes exuto habitu per ipsas gestari solito dictum habitum album cum patientia sive Viscappo albo nulla distinctione habitus Monialium de Officio, & Conversarum facta sive inconsiderate, sive alias nescitur quare id factum fuerit indutæ fuerunt ex quo cum Conversæ a Monasterio multotiens exeant ad servitia, & maxime venientibus navibus ad ripas juxta Monasterium cum vino, lignis, & fructibus Monasterii ac aliis ad ipsius Monasterii usum necessariis dum illa ad Monasterium devehi curant & a prætereuntibus circumspiciantur in habitu albo & Moniales ab Officio esse credantur scandala & opprobria oriuntur, ac murmurandi contra occasio prebetur cum vos licentiose a claustris exire, & hujusmodi servitiis implicari credatur. Quare ad hujusmodi scandala, murmurationes, & obloquia evitanda cupitis de cætero dictas Conversas vestem, seu tunicam nigram ad differentiam illarum de officio prout antea solitæ erant deferre debere. Super quo supplicari fecistis humiliter vobis per Sedem Apostolicam de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, Auctoritate Dom. Papæ cujus Pœnitentiariæ curam gerimus & de ejus speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, vobis ut dictas Conversas loco tunicæ albæ, nigram juxta formam antea a dicti Monasterii constructione usque ad dictam reformationem observatam deferre de cætero in perpetuum facere, statuere, & ordinare possitis, & valeatis, veris existentibus præmissis, tenore præsentium indulgemus atque concedimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac tam provincialibus, quam sinodalibus, dictorumque Monasterii ordinis & congregationis statutis & consuetudinibus, & etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis quodque dictus reformator easdem Conversas inadvertenter, seu alias tuni-

tunica alba vestiverit, seu vestiri mandaverit, seu decreverit cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub sigillo Officii poenitentiariæ III. Idus Augusti Pontificatus Domini Pauli Papæ III. Anno Nono.

Jo: Cribellus.

Hieronymus Barbadico Primicerius Sancti Marci Venetiarum Sororibus vulgo Conversis Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus ut vestem nigram gestent præcipit; si qua parere nolit, a Monasterio recedat.

1543. I. Octobris.

Ex Archivo Monasterii.

IN Christi Nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo quingentesimo quadragesimo tertio Indictione prima die vero Lunæ primo mensis Octobris. Cum his proximis diebus Rev. in Christo Pater D. Hieronymus Barbadico doctor, & Primicerius Ecclesiæ Sancti Marci Venetiarum, & Prothonotarius Apostolicus & in hac parte Judex & Commissarius Delegatus Apostolicus per suam diffinitivam, seu declaratoriam sententiam factam die XXIV. mensis Septemb. proxime præteriti inter alia declaraverit, & sententiaverit quod Moniales Conversæ Monasterii S. Mariæ a Virginibus Venetiarum Ordinis S. Augustini Congregationis S. Marci de Mantua teneantur & debeant ad obedientiam Rev. Matris suæ Abbatissæ mutare habitum scilicet inducere tunicam nigram loco albæ, quam gestare consueverant juxta formam quarumdam litterarum officii sacræ pœnitentiariæ Apostolicæ concessarum prædictæ Dom. Abbatissæ & Monialibus, & quod si forsan aliquæ ex dictis Conversis talem habitum suscipere nolent possint recedere ab ipso Monasterio, quo casu prædicta D. Abbatissa, & Moniales teneantur eisdem Conversis sic recedentibus restituere dotem sive elemosinam quam detulerunt, & illis quæ dotem aliquam non attulissent dare omnia sua vestimenta & totum fulcimentum suæ cellæ atque ducatos decem semel tantum pro singula ipsarum ut tali medio possint sibi providere de aliquo alio Monasterio sive honesto loco, aliasque ut in dicta sententia continetur. Eapropter coram Rev. Patre D. Alovisio Bonsaver Plebano Ecclesiæ S. Symeonis Prophetæ Venetiarum, & Canonico S. Marci, nec non Vicario & interveniente, ex parte ac nomine antedicti Rev. D. Primicerii, nec non in præsentia Rev. Matris D. Sororis Sophiæ Abbatissæ ejusdem Monasterii apud feriatam sui parlatorii constitutæ personaliter Soror Anna, Soror Francisca, Sor. Magdalena, Sor. Daniela, Sor. Marcella, & Sor. Ludovica, nec non Sor. Clara, & Sor. Helisabet omnes Moniales Conversæ dicti Monasterii audita primitus, & intellecta per eas sicut asserebant continentia præallegatæ sententiæ sibi per me Notarium substantialiter declaratæ responderunt & singula ipsarum ad interogationem mei Notarii respondit prout infra videlicet. Nam Soror Anna, Sor. Francisca, Sor. Magdalena, Sor. Daniela, Sor. Marcella, & Sor. Ludovica prænominatæ quæ jam susceperunt tunicam nigram deposita alba, & reperiebantur habere dictam tunicam nigram dixerunt se pro debita exequutione præallegatæ sententiæ, & ad meritum obedientiæ & salutem animarum suarum deposuisse tunicam albam per antea gestari solitam, & ab antedicta D. Abbatissa recepisse & assumpsisse tunicam nigram, quam deinceps gestare intendunt & promiserunt secundum præalle-

allegatæ sententiæ formam, & tenorem. Suprascripta vero Soror Clara quæ adhuc habebat tunicam albam, quam per antea gestare consueverat respondit similiter se velle stare, & parere dictæ sententiæ ad meritum obedientiæ pro salute animæ suæ, ac propterea pro debita exequutione ipsius sententiæ deposita dicta sua tunica alba recepit ab antedicta D. Abbatissa tunicam nigram, quam præfata D. Abbatissa sibi imposuit cum cerimoniis consuetis dicens dicta Soror Clara se deinceps habituram & portaturam dictam tunicam nigram loco albæ prius gestari solitæ prout in præallegata sententia & secundum illius formam & tenorem. Sed prædicta Soror Helisabet respondendo dixit non posse inducere animum vel cor suum ad prædictam habitus mutationem & super hoc veniam postulando, & se prout poterat excusando dixit potius velle recedere a prædicto Monasterio cum ducatis decem & cum suis vestimentis & fulcimentis suæ cellæ prout continetur in præallegata sententia. Quapropter exadverso præfata D. Abbatissa dedit, exbursavit, & consignavit eidem Sorori Helisabet recipienti & acceptanti ducatos decem auri currentis scilicet libras sexaginta duas parvorum in tot pecuniis actualiter in præsentia mei Notarii ac testium infrascriptorum atque cum sua benedictione licentiavit dictam Sororem Helisabet quod possit & quam primum debeat recedere a prædicto Monasterio cum dictis pecuniis & cum suis vestimentis & fulcimentis suæ cellæ quæ recipere & asportare possit secundum dispositionem & continentiam præallegatæ sententiæ. Super quibus omnibus præfata D. Abbatissa petiit per me Notarium publicum confici instrumentum.

Actum Venetiis in parlatorio suprascripti Monasterii Monialium S. Mariæ a Virginibus in præsentia suprascripti Rev. D. Alovisii Bonsaver Plebani & Vicarii ac intervenientis nomine Rev. Dom. Primicerii & Commissarii Apostolici suprascripti. Præsentibus ibidem spectabile Dom. Petro Brixiano Secretario Illustrissimi Dominii Nostri Venetiarum & Magistro Joanne alias Zanetto Galeatii Vicentino muratore, & habitatore in confinio Sancti Jacobi de Luprio Venetiarum, Testibus vocatis, & rogatis.

Ego Bonifacius Solianus Venetus quondam s. Matthei publicus Apostolica & Imperiali auctoritatibus, & Venetiarum Notarius præmissa rogatus simul & in solidum cum Mattheo filio meo etiam notario scripsi in protocollo nostro aliena manu transcribi feci publicavi & me subscripsi & signo mei tabellionatus in fidem ac testimonium præmissorum.



Paulus

Paulus III. Jacobum Pisaurum Episcopum Paphensem Visitatorem & correctorem, quoad viveret, Monasterii S. Mariæ de Virginibus constituit.

O 3. 1542. 8. Decembris.

Ex Authographo in Monasterio S. Mariæ de Virginibus.

Venerabili Fratri Episcopo Paphensi Venetiis commoranti

PAULUS PAPA III.

VEnerabilis Frater Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Nuper dilectus filius Nobilis Vir Petrus Lauredanus modernus Dux Venetiarum nobis exponi fecit quod fel. rec. Clementi Papæ VII. prædecessori nostro pro parte quondam Nob. Viri Andreæ Gritti tunc in humanis agentis ac Venetiarum Ducis exposito quod Monasterium Monialium S. Mariæ de Virginibus Venetiarum ordinis S. Augustini Congregationis S. Marci de Mantua de jurepatronatus pro tempore existentis Ducis Venetiarum existebat ipseque Dux pro tempore Abbatissam per Moniales electam & per Sedem Apostolicam confirmatam inannullabat manibus propriis & Monasterium ipsum protegebat ac quod cum vota Monialium in eligendo Abbatissam generaliter se scinderent in plures præfatus Dux alteri cui volebat gratificabat & quasdam honorantias & præstationes annuas recipiebat, quæ juspatronatus ad præfatum Monasterium denotabant ipsumque Monasterium ab omni jurisdictione loci ordinarii & alterius cujuscunque exemptum & Sedi Apostolicæ immediate subjectum reperiebatur quodque Moniales in eo tunc degentes humani generis inimici fraude de observantia in conventualitatem prolapsæ fuerant eratque necesse Monasterium ipsum reformari, & quod piæ mem. Leo Papa X. similiter prædecessor noster bon. mem. Antonio Contareno tunc Venetiarum Patriarchæ facultatem Moniales præfatas gubernandi, reformandi, & corrigendi ac alia faciendi quæ ipse Leo prædecessor poterat etiam Abbatissam instituendi reformandi & destituendi dederat, & si opus foret durante dicta reformatione quod successores dicti Antonii Patriarchæ eamdem potestatem haberent voluerat. Præterea in eadem expositione subjuncto quod Ven. Fr. tunc ejusdem Clementis prædecessoris Hieronymus Quirinus modernus Patriarcha Venetiarum certis de causis & rationibus sibi visis talem auctoritatem renuerat & illam eidem Clementi prædecessori remiserat præfatumque Monasterium & Moniales in eo degentes adhuc tunc plenam reformationem non habuerant & si habere contingeret necesse semper erat habere unum Prelatum qui loco ejusdem Clementis prædecessoris, seu pro tempore existentis Ro. Pontificis dictum Monanasterium visitaret, & corrigeret ac correctum custodiret. Idem Clemens Prædecessor ejusdem Andreæ Ducis in ea parte supplicationibus inclinatus Fraternitati tuæ qui Venetiis etiam tunc commorabaris quatenus vocatis vocandis auctoritate Apostolica præmissa omnia prout idem Antonius Patriarcha facere & exequi poterat juxta formam & continentiam litterarum tunc sibi directarum faceres & plene exequereris prout in aliis litteris etiam in forma brevis desuper confectis dicitur plenius contineri quum nunc sicut præfati Petri Ducis expositio subjungebat ab aliquibus in præsentiarum trahatur in dubium

an tu ex eo quod Moniales ipsæ expletam ac terminatam reformationem se asserunt complevisse amplius in eas jurisdictionem & auctoritatem præmissas habere & exercere de præsenti valeas. Ad rem igitur dubiam tollendum pro parte prædicti Petri Ducis asserentis Moniales ipsas si tempore dictarum litterarum reformatione indigebant majori ad præsens indigere Nobis fuit humiliter supplicatum ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes prefatum Petrum Ducem sub cujus tutela Monasterium ipsum ut præfertur existit zelo charitatis accensum in eodem Monasterio regularis vigeat observantia permaxime desiderare, ac dictarum litterarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tuæ quandiu vitam egeris in humanis facultatem præfatas Moniales reformandi, gubernandi, & corrigendi ac alia faciendi quæ nos facere possemus, & Abbatissam instituendi, reformandi, ac destituendi ac omnia alia & singula quæ præfatus Antonius Patriarcha ex tenore dictarum litterarum Clementis & Leonis facere & exequi poterat faciendi & exequendi etiam similem facultatem in ejusdem Monasterii ministros, ac factores exercendi etiam sub sententiis censuris ecclesiasticis & pœnis etiam pecuniariis tuo arbitrio moderandis easdem Moniales factores ac ministros, nec non contradictores quoslibet, & rebelles etiam per easdem censuras & pœnas ac alia opportuna juris remedia compescendo ipsasque censuras & pœnas quoties tibi videbitur etiam iteratis vicibus aggravando & quibus inhibendum fuerit sub similibus censuris & pœnis inhibendo, & auxilium brachii sæcularis ad hoc si opus fuerit invocando auctoritate Apostolica per præsentes concedimus non obstantibus præmissis ac re. me. Bonif. VIII. similiter prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali de duabus dictis editis dummodo non ultra tres dictas aliquis auctoritate præsentium non trahatur aliique Apostolicis ac in provincialibus, & synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus ac Monasterii & ordinis prædictorum juramento auctoritate Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus privilegiis quoque indultis ac litteris apostolicis etiam in forma brevis per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros & nos ac Sedem Apostolicam sub quibuscunque verborum formis & expressionibus & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis irritantibusque aliis decretis quomodolibet etiam pluries concessis quibus illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, nec non modos & formas ad id servandas pro individuo servatis habentes hac vice dumtaxat illis alias in suo robore permansuris harum serie specialiter & expresse derogamus nec non omnibus illis quæ in præfatis litteris concessum est non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. Decembris MDXLII. pontificatus Nostri Anno Nono.

L. de Torres
M. de Pace.

Paulus

Paulus Papa III. revocatis epistolis, quibus Episcopum Paphensem destinaverat Superiorem Monasterii S. Mariæ de Virginibus, Primicerio Venetiarum, ut ipsum Monasterium una vice visitet, & emendet, apostolica authoritate committit.

1543. 6. Aprilis.

Ex Autographo in Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus.

Dilecto Filio Primicerio Ecclesiæ Sancti Marci Venetiarum

PAULUS PAPA III.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Dudum pro parte ut dicebatur dilecti filii Nobilis Viri Petri Landi Ducis Venetiarum nobis suggesto quod antea fel. rec. Clementi Papæ VII. prædecessori nostro pro parte quondam Andreæ Gritti tunc in humanis agentis, & Venetiarum Ducis exposito, quo ad Monasterium Monialium S. Mariæ de Virginibus Venetiarum Ordinis S. Augustini Congregationis S. Marci de Mantua de jure patronatus pro tempore existentis Ducis Venetiarum existebat ipseque Dux pro tempore existens Abbatissam per Moniales electam, & per Sedem Apostolicam confirmatam manibus propriis innannullabat & Monasterium ipsum protegebat, ac q od votis Monialium in eligendo Abbatissam equaliter divisis in plures præfatus Dux alteri cui volebat gratificabatur, & quasdam honorantias & præstationes annuas recipiebat, quod jus patronatus ad præfatum Monasterium denotabat ipsumque Monasterium ab omni jurisdictione ordinarii & alterius cujuscunque exemptum, & dictæ Sedi immediate subjectum reperiebatur quodque Moniales in eo sunt degentes humani generis inimici fraude de observantia in conventualitatem prolapsæ fuerant, eratque necesse Monasterium ipsum reformari & quod piæ mem. Leo Papa X. similiter prædecessor noster per suas bon. mem. Antonio Contareno Patriarchæ Venetiarum facultatem Moniales præfatas reformandi, & destituendi nec non alia, quæ ipse Leo prædecessor poterat faciendi dederat, & si opus foret durante dicta reformatione quod successores dicti Antonii Patriarchæ eandem potestatem haberent voluerat & in eadem expositione subjecto quod Ven. Fr. Hieronymus Patriarcha Venetiarum ex certis causis talem auctoritatem renuerat, & illam eidem Clementi prædecessori remiserat, præfatumque Monasterium per Moniales in eo degentes etiam tunc plenam reformationem non habuerant, & si habere contigeret necesse semper erat habere unum prælatum, qui loco ejusdem Clementis prædecessoris, seu pro tempore existentis Romani Pontificis dictum Monasterium visitaret, & corrigeret, & correctum custodiret idem Clemens prædecessor ejusdem Andreæ Ducis in ea parte supplicationibus inclinatus Ven. Fr. Episcopo Paphensi etiam tunc Venetiis commoranti per suas dederat in mandatis quatenus vocatis vocandis præmissa omnia prout idem Antonius Patriarcha facere & exequi poterat juxta formam & continentiam litterarum tunc sibi directarum Apostolica auctoritate faceret & plene exequeretur, & in eadem suggestione subjuncto, quod ab aliquibus trahebatur in dubium an dictus Episcopus ex eo quod Moniales ipsæ expletam ac terminatam reformationem se

se asserebant complevisse amplius in eas jurisdictionem & auctoritatem præmissas haberet & exercere valeret. Nos prætensis ejusdem Petri Ducis asserentis Moniales ipsas si tempore litterarum Leonis & Clementis prædecessorum hujusmodi reformatione indigebant, majori tunc indigere supplicationibus inclinati eidem Episcopo quamdiu vitam ageret in humanis facultatem prædictas Moniales reformandi, gubernandi, & corrigendi ac Abbatissam instituendi, reformandi, & destituendi nec non omnia & singula alia quæ nos ipsi & ex tenore litterarum Leonis & Clementis prædecessorum hujusmodi dictus Antonius Patriarcha facere & exequi poteramus faciendi & exequendi, ac similem facultatem in ejusdem Monasterii ministros ac factores etiam sub sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis ac etiam pecuniariis ejus arbitrio moderandis exercendi Moniales factum & ministros prædictos, nec non contradictores quoslibet & rebelles etiam per easdem censuras & pœnas ac alia opportuna juris remedia compescendo ipsasque censuras & pœnas quoties tibi videretur etiam iteratis vicibus aggravando, & quibus inhibendum foret sub similibus censuris, & pœnis inhibendo, & auxilium brachii secularis ad hoc si opus foret invocando per nostras in forma brevis litteras concessimus prout in singulis Leonis & Clementis prædecessorum ac nostris litteris hujusmodi dicitur plenius contineri. Cum autem sicut præfatus Petrus Dux per suum & dilectorum filiorum nobilium virorum Dominii Venetorum apud Nos Oratorem nobis nuper exponi fecit suggestio & supplicatio nobis ejus nomine super præmissis ut præfertur factæ contra mentem & intentionem suam factæ fuerint ipseque Petrus Dux præmissa nobis suggerendi & super eis supplicandi nullum unquam mandatum aut commissionem dederit quinimmo Monasterium prædictum ad præsens reformatione non indigeat. Idem Petrus Dux per eundem Oratorem nobis humiliter supplicari fecit ut litteras nostras prædictas a nobis in præjudicium exemptionis ipsius Monasterii ut præfertur exortas revocare, cassare, & annullare aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui jus suum unicuique conservari cupimus, & nemini præjudicare intendimus hujusmodi supplicationibus inclinati litteras nostras prædictas, quarum tenorem ac si insereretur præsentibus haberi volumus pro expresso & in eis contenta quæcunque Apostolica auctoritate tenore præsentium revocamus, cassamus, & annullamus omnemque potestatem & facultatem prædicto Episcopo per easdem litteras attributam ab eo tollimus, & auferimus, sibi districtius inhibendo ne illis uti aut earum prætextu quicquid attentare præsumat. Et nihilominus tibi de cujus integritate & prudentia plurimum in Domino confidimus per præsentes committimus & mandamus quatenus Monasterium prædictum hac vice dumtaxat auctoritate nostra visites, & si illud reformatione indigere cognoveris illud ejusque Abbatissam & Moniales ac cæteras personas reformes corrigas & emendes cæteraque in præmissis necessaria & opportuna facias & exequaris. Contradictores quoslibet & rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus præmissis & apostolicis ac in provincialibus & sinodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, nec non Monasterii & ordinis prædictorum juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus ac omnibus aliis quæ in singulis litteris prædictis concessum fuit non obstare contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Parmæ sub annulo Piscator

toris die VI. Aprilis MDXXXXIII. Pontificatus Nostri anno nono.

Blo. El. Fulgen.

Ego Præsb. Aloysius Bonsaver Pleb. Eccl. S. Symeonis Proph. pub. Imper. & Venet. Not. suprascriptum exemplum brevis Apostolici & autentici exemplavi & in fidem me ss.

Die Mercurii 16. mensis Maii 1543. Indictione prima in domo habitationis & in Camera Cubiculari Reverendissimi D. D. Jacobi de Cha da Pexaro dignissimi Episcopi Paphensis accessi. Ego Præsb. Franciscus Blanchus Venetiarum Not. & Reverendissimi D. D. Hieronymi Barbadico Dei gratia Primicerii Ecclesiæ Sancti Marci Venet. Cancell. & de ejus mandato, & præsentibus Rev. D. Petro Francisco Philiberto Archip. plebis Quintiani Veronæ ac vi: no: D. Lucha Navajerio quondam Magnifici D. Bernardi intimavi sibi Reverendissimo D. Episcopo quasdam litteras Apostolicas directas suprascripto Reverendissimo D. Primicerio Ecclesiæ Sancti Marci in forma brevis datas Parmæ sub annulo Piscatoris die 6. Aprilis Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Dom. Pauli Papæ III. Anno Nono. Tenoris ut in eisdem litteris in officio existentibus continetur.

Qui Reverendissimus D. D. Jacobus de cha da Pexaro Episcopus Paphensis denominatus in litteris suprascriptis, visis litteris Apostolicis prædictis, & recepta a me Notario & Cancellario prædicto copia prædictarum litterarum Apostolicarum facta & subscripta de manu Rev. D. Præsb. Aloysii Bonsaver publici Imperialis, & Venetiarum Notarii. Dixit pro nunc nolle aliud respondere. Sed hinc ad diem Sabbati proxime venturam respondere prætendit, & vult prout sibi opportunum visum fuerit.

RESPONSIO.

Die Veneris 18. *Maii* 1543. *Ind. prima.*

Dico Ego Jacobus Pisaurus Episcopus Paphensis intimationi mihi factæ litterarum in forma brevis Sanctiss. D. D. Papæ de mandato Rev. D. Primicerii Ecclesiæ S. Marci Venetiarum visitatoris & correctoris deputati ab eodem Sanctissimo D. N. Papa Ven. Monasterii, & Monialium S. Mariæ de Virginibus istius Civitatis quod illis tanquam filius obedientiæ humiliter me inclino & defero, prout & licet instantissime rogatus me in tali materia ad operandum quicquid poteram me promptum exhibui quando alias litteras sub eadem forma mihi per eumdem Santissimum D. N. Papam directas suscepi, ad præces & supplicationes Serenissimi Principis D. D. Petri Lando obtentas: qui illas mihi propriis manibus porrexit in Vigilia proxime decursa Nativitatis D. N. J. C. existens in Camera sua Cubiculari præsentibus quampluribus & præsertim Magnifico D. Andrea de Franciscis magno Cancellario Illust. Dominii Nostri gratias agens Deo qui me a tali absolvit onere: Præsentibus ad hæc Rev. D. Petro Francisco Philimberto dignissimo Archipræsb. Plebis Quintiani Veronæ & aliis præfati Reverendissimi D. D. Episcopi Familiaribus.

Ego Præsb. Franciscus Blanchus publicus Imperiali & Venetiarum auctoritatibus Notarius & Rev.mi D. D. Primicerii Ecclesiæ Sancti Marci Cancell. in fidem me subscripsi.

Paulus

Paulus III. privilegia Apostolica Priori & Fratribus Congregationis Sancti Marci de Mantua, olim in Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus Venetiarum habitantibus concessa, ejusdem Monasterii Sanctimonialibus confirmat, eximitque a quartesiorum solutione; mandatque Vicariis Cenetensis & Tarvisini Episcoporum ut Apostolicum mandatum publicent & exequantur.

P 3. 1548. 20. Augusti.

Ex Autographo in Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

PAulus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. Patriarchæ Venetiarum & dil ctis filiis Vicariis Venerabilium Fratrum nostrorum Cenetensis & Tarvisi i Episcoporum in spiritualibus generalibus salut m, & apostolicam benedictionem. Hodie a Nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis. Paulus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam Sedes Apostolica æqua semper.

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam Sedes Apostolica equa semper in omnibus distributrix ea quæ pro personarum quæ mundanis abdicatis illecebris virginitatem suam Altissimo voverunt commoditatibus rationabiliter processisse dicuntur ut illibata persistant Apostolico consuevit munimine roborare. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ, & Conventus Monasterii ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis olim virorum, & Monialium in quo duo Conventus unus videlicet Monialium & alius Fratrum Ordinis S. Marci Mantuani tunc exist bant nunc vero illius tunc Priore, & Fratribus ab eodem Monasterio ex certis tunc expressis causis apostolica auctoritate amotis Monialium tantum B. Mariæ de Virginibus Venetiarum dicti Ordinis Castellanæ Diœcesis nobis nuper exhibita petitio continebat quod dudum fel. rec. Alexander IV. tunc Prioris & Conventus fratrum hujusmodi supplicationibus inclinatus omnes libertates & immunitates a Romanis Pontificibus prædecessoribus suis eidem Monasterio concessas nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus & Principibus vel aliis Christifidelibus rationabiliter eis indultas sicut ea omnia juste & pacifice obtinebant dicta auctorite confirmavit primo & deinde ne aliqui de terris, & possessionibus eorum quas propriis manibus aut sumptibus colebant decimas ab eis exigere, vel extorquere præsumerent eadem auctoritate inhibuit ac postmodum ut de quibusdam possessionibus eorum in Diœcesi Tarvisina ut asserebant consistentibus quas propriis manibus & sumptibus colebant etiam si illi a quibus eædem possessiones ad eos pervenerant illarum ratione decimas quartesium nuncupatas aliquando solvissent nulli decimas hujusmodi solvere tenerentur eadem auctoritate indulsit & successive piæ memoriæ Innocentius etiam IV. eorumdem Prioris & Conventus justis postulationibus grato concurrens assensu omnes libertates & immunitates a prædecessoribus suis eidem Monasterio concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus, & Principibus vel aliis Christi fidelibus rationabiliter eis indultas & postremo recolendæ memoriæ Gregorius X prædecessores nostri libertates & immunitates hujusmodi sive per privilegia, sive per alias indulgentias eis & eorum Monasterio prædicto ut præfertur concessas, nec non libertates & exemptiones

nes hujusmodi etiam ut præfertur eidem Monasterio indultas similiter eadem auctoritate confirmarunt prout in diversis eorumdem prædecessorum desuper confectis litteris dicitur plenius contineri. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat Prior & Fratres hujusmodi jamdudum a dicto Monasterio ut præfertur amoti fuerunt, & nunc Monasterium Monialium dumtaxat existat ipsiusque Monasterii regimen & gubernium ad Abbatissam & Conventum Monialium hujusmodi tantum pertineat pro parte Abbatissæ & Conventus prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum ut singulis litteris prædictis pro illarum observantia firmiori nostræ approbationis robus adjicere ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui religioni deditis præsertim Monialibus Apostolici favoris præsidium libenter impartimur Abbatissam & singulas personas Conventus hujusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutas fore censentes ac singularum litterarum prædictarum veriores tenere pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati singulas litteras prædictas cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis & inde secuta quæcunque ita quod Abbatissa & Conventus Monialium hujusmodi omnibus & singulis libertatibus immunitatibus, ac aliis præmissis quibus Prior & Conventus Fratrum hujusmodi dictarum litterarum vigore gavisi sunt & tunc gaudebant gaudere libere & licite possint in omnibus, & per omnia perinde ac si eisdem Abbatissæ & Conventui Monialium præmissa specialiter concessa & indulta fuissent dicta auctoritate tenore præsentium approbamus, & innovamus illisque vestræ approbationis robur adjicimus illaque ab omnibus inviolabiliter observari nec in eis in aliquo quavis de causa contraveniri debere, & nihilominus pro potiori cautela eisdem Abbatissæ & Conventui Monialium ac earum Monasterio omnes & singulas libertates immunitates a prædictis & aliis prædecessoribus nostris tunc Priori & Conventui Fratrum hujusmodi quomodolibet & sub quibuscunque tenoribus ut præfertur seu alias concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus & Principibus vel aliis Christi fidelibus eis & Monasterio prædicto indultas. Quodque de quibuscunque possessionibus qua Abbatissa & Conventus hujusmodi in dicta Diœcesi possident licet eas propriis manibus & sumptibus non colant etiam si illi a quibus dictæ possessiones ad eas & Monasterium prædictum pervenerunt illarum ratione quartesia aut decimas aliquando solverunt nulli in futurum quartesia hujusmodi quavis de causa solvere teneantur auctoritate & tenore prædictis de speciali gratia concedimus ac Abbatissam & Conventum, nec non Monasterium hujusmodi a solutione quartesiorum prædictorum alicui occasione præmissorum facienda dummodo summam & valorem annuum quadraginta ducatorum auri non excedant penitus & omnino perpetuo eximimus, & liberamus nec ad eorumdem quartesiorum solutionem de cætero intra dictam summam quoquomodo teneri nec propterea aliquas censuras, seu pœnas incurrere posse neque debere sicque per quoscunque judices & Commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & diffiniri debere ac ex nunc si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attemptari irritum & inane decernimus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis ac in Provincialibus & Sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, innovationis, adje-

Paulus III. privilegia Apostolica Priori & Fratribus Congregationis Sancti Marci de Mantua, olim in Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus Venetiarum habitantibus concessa, ejusdem Monasterii Sanctimonialibus confirmat, eximitque a quartesiorum solutione; mandatque Vicariis Cenetensis & Tarvisini Episcoporum ut Apostolicum mandatum publicent & exequantur.

P 3. 1548. 20. Augusti.

Ex Autographo in Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

PAulus Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. Patriarchæ Venetiarum & dil·ctis filiis Vicariis Venerabilium Fratrum nostrorum Cenetensis & Tarvisi·i Episcoporum in spiritualibus generalibus salut.m, & apostolicam benedictionem. Hodie a Nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis. Paulus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam Sedes Apostolica æqua semper.

Paulus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam Sedes Apostolica equa semper in omnibus distributrix ea quæ pro personarum quæ mundanis abdicatis illecebris virginitatem suam Altissimo voverunt commoditatibus rationabiliter processisse dicuntur ut illibata persistant Apostolico consuevit munimine roborare. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ, & Conventus Monasterii ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis olim virorum, & Monialium in quo duo Conventus unus videlicet Monialium & alius Fratrum Ordinis S. Marci Mantuani tunc exist.bant nunc vero illius tunc Priore, & Fratribus ab eodem Monasterio ex certis tunc expressis causis apostolica auctoritate amotis Monialium tantum B. Mariæ de Virginibus Venetiarum dicti Ordinis Castellanæ Diœcesis nobis nuper exhibita petitio continebat quod dudum fel. rec. Alexander IV. tunc Prioris & Conventus fratrum hujusmodi supplicationibus inclinatus omnes libertates & immunitates a Romanis Pontificibus prædecessoribus suis eidem Monasterio concessas nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus & Principibus vel aliis Christifidelibus rationabiliter eis indultas sicut ea omnia juste & pacifice obtinebant dicta auctorite confirmavit primo & deinde ne aliqui de terris, & possessionibus eorum quas propriis manibus aut sumptibus colebant decimas ab eis exigere, vel extorquere præsumerent eadem auctoritate inhibuit ac postmodum ut de quibusdam possessionibus eorum in Diœcesi Tarvisina ut asserebant consistentibus quas propriis manibus & sumptibus colebant etiam si illi a quibus eædem possessiones ad eos pervenerant illarum ratione decimas quartesium nuncupatas aliquando solvissent nulli decimas hujusmodi solvere tenerentur eadem auctoritate indulsit & successive piæ memoriæ Innocentius etiam IV. eorumdem Prioris & Conventus justis postulationibus grato concurrens assensu omnes libertates & immunitates a prædecessoribus suis eidem Monasterio concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus, & Principibus vel aliis Christi fidelibus rationabiliter eis indultas & postremo recolendæ memoriæ Gregorius X prædecessores nostri libertates & immunitates hujusmodi sive per privilegia, sive per alias indulgentias eis & eorum Monasterio prædicto ut præfertur concessas, nec non libertates & exemptiones

nes hujusmodi etiam ut præfertur eidem Monasterio indultas similiter eadem auctoritate confirmarunt prout in diversis eorumdem prædecessorum desuper confectis litteris dicitur plenius contineri. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat Prior & Fratres hujusmodi jamdudum a dicto Monasterio ut præfertur amoti fuerunt, & nunc Monasterium Monialium dumtaxat existat ipsiusque Monasterii regimen & gubernium ad Abbatissam & Conventum Monialium hujusmodi tantum pertineat pro parte Abbatissæ & Conventus prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum ut singulis litteris prædictis pro illarum observantia firmiori nostræ approbationis robus adjicere ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui religioni deditis præsertim Monialibus Apostolici favoris præsidium libenter impartimur Abbatissam & singulas personas Conventus hujusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutas fore censentes ac singularum litterarum prædictarum veriores tenere pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati singulas litteras prædictas cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis & inde secuta quæcunque ita quod Abbatissa & Conventus Monialium hujusmodi omnibus & singulis libertatibus immunitatibus, ac aliis præmissis quibus Prior & Conventus Fratrum hujusmodi dictarum litterarum vigore gavisi sunt & tunc gaudebant gaudere libere & licite possint in omnibus, & per omnia perinde ac si eisdem Abbatissæ & Conventui Monialium præmissa specialiter concessa & indulta fuissent dicta auctoritate tenore præsentium approbamus, & innovamus illisque vestræ approbationis robur adjicimus illaque ab omnibus inviolabiliter observari nec in eis in aliquo quavis de causa contraveniri debere, & nihilominus pro potiori cautela eisdem Abbatissæ & Conventui Monialium ac earum Monasterio omnes & singulas libertates immunitates a prædictis & aliis prædecessoribus nostris tunc Priori & Conventui Fratrum hujusmodi quomodolibet & sub quibuscunque tenoribus ut præfertur seu alias concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus & Principibus vel aliis Christi fidelibus eis & Monasterio prædicto indultas. Quodque de quibuscunque possessionibus qua Abbatissa & Conventus hujusmodi in dicta Diœcesi possident licet eas propriis manibus & sumptibus non colant etiam si illi a quibus dictæ possessiones ad eas & Monasterium prædictum pervenerunt illarum ratione quartesia aut decimas aliquando solverunt nulli in futurum quartesia hujusmodi quavis de causa solvere teneantur auctoritate & tenore prædictis de speciali gratia concedimus ac Abbatissam & Conventum, nec non Monasterium hujusmodi a solutione quartesiorum prædictorum alicui occasione præmissorum facienda dummodo summam & valorem annuum quadraginta ducatorum auri non excedant penitus & omnino perpetuo eximimus, & liberamus nec ad eorumdem quartesiorum solutionem de cætero intra dictam summam quoquomodo teneri nec propterea aliquas censuras, seu pœnas incurrere posse neque debere sicque per quoscunque judices & Commissarios quavis auctoritate fungentes sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & diffiniri debere ac ex nunc si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attemptari irritum & inane decernimus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis ac in Provincialibus & Sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, innovationis, adje-

adjectionis, concessionis, exemptionis, libertatis, & decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo octavo tertio decimo Kal. Septembris Pontificatus Nostri anno quartodecimo.

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios litteras prædictas & in eis contenta quæcunque ubi, & quando expediens fuerit ac quoties pro parte modernarum & pro tempore existentium Abbatissæ & Conventus prædictorum desuper fueritis requisiti solemniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciatis auctoritate nostra litteras prædictas & in eis contenta hujusmodi firmiter observari. Non permittentes easdem Abbatissam & Conventum desuper contra præsentium tenorem quomodolibet indebite molestari Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo ac legitimis super hiis habendis servatis processibus censuras & pœnas prædictas ac iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus omnibus quæ in dictis litteris voluimus non obstare seu si aliquibus comuniter vel divisim ab apostolica sit Sede indultum quod interdici suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ 1548. Terciodecimo Kal. Septemb. Pont. Nostri anno 14.

B. de Scharlntiis.

Paulus III. confirmat exemptiones a Decimis & Quartesiis a se, & Præcessoribus Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus concessas, licet aliquando eas solverint.

1548. 19. Octobris.

Ex Archivo Sanctæ Mariæ de Virginibus.

PAulus Papa III. Ad perpetuam rei memoriam. Circa personarum quarumlibet præsertim quæ mundanis abjectis illecebris virginitatem suam Altissimo voverunt statum prospere dirigendum studiis invigilantes assiduis his quæ pro earumdem personarum commoditatibus facta fuisse dinoscuntur, ut semotis quibuslibet dubitationibus suum debitum consequantur effectum cum a nobis petitur operarias manus libenter apponimus prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Alias postquam pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis olim virorum & Monialium in quo duo Conventus unus videlicet Monialium & alius Fratrum Ordinis S. Marci Mantuani tunc existebant nunc vero illius tunc priore & Fratribus ab eodem Monasterio Apostolica auctoritate amotis, Monialium tantum B. Mariæ de Virginibus Venetiarum dicti Ordinis olim Castellanæ Diœcesis nobis exhibita petitio continebat quod antea fel. rec. Alexander IV. tunc Prioris, & Fratrum hujusmodi supplicationibus inclinatus omnes libertates, & immunitates a Romanis Pontificibus prædecessoribus suis eidem Monasterio concessas, nec non libertates, & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus & principibus vel ab aliis Christifide-

fidelibus rationabiliter eis indultas, sicut ea omnia juste, & pacifice obtinebant dicta auctoritate confirmaverat primo, & deinde ne aliquid de terris, & possessionibus eorum, quas propriis manibus aut sumptibus colebant decimas ab eis exigere, vel extorquere præsumerent eadem auctoritate inhibuerat, ac postmodum ut de quibusdam possessionibus eorum in Diœcesi Tarvisina, ut asserebant consistentibus quas propriis manibus, & sumptibus colebant etiam si illi a quibus eædem possessiones ad eos pervenerant illarum ratione decimas quartesium nuncupatas aliquando solvissent nulli decimas hujusmodi solvere tenerentur eadem auctoritate indulserat, & successive piæ memoriæ Innocentius etiam IV. eorumdem Prioris, & Conventus justis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates a prædecessoribus suis eidem Monasterio concessas, nec non libertates, & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus & Principibus vel aliis Christifidelibus rationabiliter eis indultas & postremo recolendæ memoriæ Gregorius X. prædecessores nostri libertates, & immunitates hujusmodi sive per privilegia, sive per alias indulgentias eis, & eorum Monasterio prædicto (ut præfertur) concessas, nec non libertates & exemptiones hujusmodi etiam ut præfertur eidem Monasterio indultas, similiter eadem auctoritate confirmaverant, prout in diversis eorumdem prædecessorum confectis litteris desuper plenius dicebatur contineri. Nos Abbatissæ, & Conventus Monialium hujusmodi supplicationibus inclinati singulas litteras prædictas, cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, & inde secuta quæcunque. Itaque Abbatissa & Conventus Monialium hujusmodi omnibus & singulis libertatibus & immunitatibus ac aliis præmissis, quibus Prior, & Conventus Fratrum hujusmodi dictarum litterarum vigore gavisi erant, & tunc gaudebant gaudere debere, & licite possent in omnibus, & per omnia perinde ac si Abbatissæ & Conventui Monialium hujusmodi præmissa concessa & indulta fuissent dicta auctoritate approbavimus, & innovavimus, illisque nostræ confirmationis robur adjicimus illaque ab omnibus inviolabiliter observari, nec eis in aliquo quavis de causa contraveniri debere, & nihilominus pro potiori cautela eisdem Abbatissæ, & Conventui Monialium ac eorum Monasterio omnes & singulas libertates, & immunitates a prædictis, & aliis prædecessoribus nostris tunc Priori, & Conventui Fratrum hujusmodi quomodolibet & sub quibuscunque tenoribus (ut præfertur) seu alias concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus & Principibus vel aliis Christifidelibus eis & Monasterio prædicto indultas atque de quibuscunque possessionibus quas Abbatissa & Conventus Monialium hujusmodi in dicta Diœcesi possidebant licet eas propriis manibus, & sumptibus non colebant, etiam si illi a quibus dictæ possessiones ad eas & Monasterium prædictum pervenerant illarum ratione quartesia, aut decimas aliquando solverant nulli ex tunc in futurum quartesia hujusmodi quavis de causa solvere tenerentur, auctoritate prædicta concessimus, ac Abbatissam & Conventum, nec non Monasterium hujusmodi a solutione quartesiorum prædictorum alicui occasione præmissorum facienda dummodo summam & valorem annuum quadraginta ducatorum auri non excederent penitus & omnino exemimus, & liberavimus, nec ad eorum solutionem ex tunc de cætero intra dictam summam faciendam quoquomodo teneri. Nec propterea aliquas censuras, seu pœnas incurrere posse neque debere decrevimus prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut Abbatissa & Conventus prædicta nobis nuper exponi fecerunt quia in eisdem litteris nostris quod ratione possessionum prædictarum Abbatissa & Conventus Monialium hujusmodi quartesia & decimas aliquando solverunt mentio facta non fuit, & propterea, nec non ex eo quod Ven. Fr. Patriar-

cha Venetiarum unus ex judicibus, seu executoribus in litteris nostris hujusmodi deputatis a Civitate Venetiarum quandocunque abesse contigit & propterea ac forsan alia impedimenta ad illum recursus commode haberi non potest dubitant litteras prædictas eis minime suffragari posse tempore procedente. Nos quorum intentionis fuit litteras prædictas eisdem Abbatissæ & Conventui etiam si forsan ipsæ ratione possessionum earumdem quartesia aut decimas aliquando solverint cum si in quasi possessione exemptionis hujusmodi fuissent prædictis litteris nostris non indiguissent suffragari debere, eisdem Abbatissæ & Conventui ne litterarum prædictarum propterea frustrentur effectu, & ut faciliorem illarum executionem consequi possint providere, ipsasque specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes eorumdem Abbatissæ & Conventus supplicationibus inclinati volumus, & eadem auctoritatem eisdem Abbatissæ & Conventui concedimus quod litteræ nostræ prædictæ cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, & processus habendi per easdem, & inde sequuta quæcunque valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & eis suffragentur in omnibus, & per omnia perinde ac si in eisdem litteris nostris quod etiam Abbatissa, & Conventus hujusmodi ratione dictarum possessionum quartesia, aut decimas aliquando solverant expressum fuisset, nec non Patriarchæ & aliis judicibus hujusmodi dilectum filium Vicarium ipsius & pro tempore existentis Patriarchæ Venetiarum in spiritualibus generalem in judicem & executorem. Ita quod ipsi omnes, seu tres vel duo aut unus eorum ad illarum & præsentium litterarum totalem executionem juxta earumdem litterarum tenorem procedere possint, dicta auctoritate tenore præsentium adjungimus, & deputamus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis quæ in eisdem litteris nostris voluimus non obstare cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XIX. Oct. MDXLVIII. Pontificatus nostri anno quartodecimo.

G. Riarius.



Julius III. adnectit Monasterio S. Mariæ de Virginibus Ecclesiam Parochialem S. Odorici de Musestre.

Q3. 1551. 4. Septembris.

Ex Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

JUlius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis officio ad ea libenter intendimus per quæ Monasteriorum quorumlibet statui ac personarum præsertim feminei sexus, quæ abjectis mundi illecebris Virginitatem suam Altissimo voverunt in eis divinis laudibus insistentium necessitatibus consulatur & lites de medio submoveantur libenter annuimus eaque prout in Domino expedire conspicimus favoribus prosequimur opportunis. Dudum siquidem omnia benefitia Ecclesiastica cum cura & sine cura apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura collationi, & dispositioni nostræ reservavimus decernentes ex tunc irritum & inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque Parochialis Eccle-

clesia S. Odorici loco de Musestre (a) Tarvisinæ seu nullius Diœcesis Decanatus Ecclesiæ Tarvisinæ quam dilectus filius Nicolaus de Dominis ipsius Ecclesiæ Decanus obtinet, quamdiu illam obtineret dumtaxat Apostolica auctoritate unita annexa & incorporata ex eo quod nos unionem, annexionem, & incorporationem prædictas ipsius Nicolai ad id expresso accedente consensu harum serie dissolvimus per dissolutionem eamdem apud Sedem prædictam vacet ad præsens nullusque de illa præter nos hac vice disponere possit reservatione, & Decreto obsistentibus supradictis. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum Sophiæ Abbatissæ & Monialium Monasterii S. Mariæ a Virginibus Venetiarum ordinis S. Augustini sub cura fratrum congregationis S. Marci de Mantua dicti ordinis degentium petitio continebat quod Moniales ipsæ inter quas & Abbatissam ex una ac Nicolaum præfatos ex altera lis & causa super certis decimis quartesiis nuncupatis seu jure quartesiandi super possessionibus terris & locis ratione ejusdem Monasterii sitis in dicto loco juxta suos confines jamdiu coram diversis judicibus competentibus agitata adhuc pendet indecisa in eodem Monasterio in magno numero existunt ipsiusque Monasterii redditus ad illarum substentationem & onerum eidem Monasterio incumbentium supportationem non sufficiunt & si dicta Ecclesia præfato Monasterio perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur ex hoc profecto lis ipsa cui alias non sine earumdem Abbatissæ & Monialium ac Nicolai prædictorum dispendio & scandalis finis imponi speratur cessaret, ac dispendiis & scandalis prædictis obviaretur ipsæque Sophia Abbatissa & Moniales in earum necessitatibus aliquod reciperent sublevamen pro parte Sophiæ Abbatissæ, & Monialium prædictarum asserentium, fructus, redditus, & proventus dictæ Ecclesiæ Nonaginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere nobis fuit humiliter supplicatum, ut Ecclesiam ipsam eidem Monasterio perpetuo unire, annectere, & incorporare aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui dudum inter alia volumus quod petens beneficia Ecclesiastica aliis uniri teneretur exprimere verum annuum valorem secundum extimationem prædictam etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis quorum interesset, Abbatissam & singulas Moniales prædictas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati Ecclesiam prædictam sive præmisso, sive alio quovis modo aut ex cujuscunque persona seu per liberam resignationem cum suis de illa in Romana Curia, vel extra eam etiam coram Notario publico & testibus sponte factam aut constitutionem fel. rec. Joannis Papæ XXII. prædecessoris nostri quæ incipit Execrabilis vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet etiam si tanto tempore vacaverit quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta ipsaque ecclesia dispositioni apostolicæ specialiter vel alias generaliter reservata existat & super ea inter aliquos lis cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa dummodo ejus dispositio ad nos hac vice pertineat cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus, & pertinentiis suis Monasterio hujusmodi dicta auctoritate apostolica tenore præsen-

(a) Musestre illustre olim oppidum apud Silem fluvium in finibus agri Tarvisini, cujus adhuc remanet una Turris superstes.

sentium perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus. Ita quod liceat Sophiæ & pro tempore existenti Abbatissæ, & Monialibus præfatis per se vel alium, seu alios corporalem possessionem Ecclesiæ & annexorum juriumque & pertinentiarum prædictorum propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere ac illius fructus, redditus, & proventus in suos & Monasterii hujusmodi usus & utilitatem convertere ac eidem Ecclesiæ per aliquem Præsbyterum secularem, vel cujusvis ordinis regularem ad earum nutum ponendum & amovendum in divinis deserviri ac animarum curam dilectorum filiorum ipsius Ecclesiæ Parrochianorum exerceri facere Diocesani loci, vel cujusvis alterius licentia minime requisita. Non obstantibus priori voluntate nostra prædicta, & Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri, & aliis apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscunque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem reservationem, & decretum vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & inde secuta quæcunque ad dictam Ecclesiam voluimus non extendi sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum præjuditium generari & quibuslibet aliis privilegiis indulgentiis, & litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Proviso quod dicta Ecclesia debitis propterea non fraudetur obsequiis & animarum cura in ea nullatenus negligatur sed ejus congrue supportentur onera consueta & insuper prout est irritum decernimus & inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis voluntatis & decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo. Pridie Nonas Septemb. Pontificatus nostri anno secundo.

C. Meim.



Nico-

Nicolaus Verneeyus Episcopus Balneoregiensis Delegatus Apostolicus executioni mandat litteras Julii Papæ III. quibus Detentores bonorum Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus ad restitutionem per censuras Apostolicas compelluntur.

R 3. 1552. 17. Decembris.

Ex Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

NIcolaus Verneeyus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Balneoregiensis Judex executor ad infrascripta a dicta Sede specialiter deputatus. Universis & singulis D. D. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, custodibus, thesaurariis .... sacristis tam cathedralium quam Collegiatarum canonicis Parrochialium Ecclesiarum Rectoribus seu locotenentibus eorumdem plebanis, viceplebanis, Archipræsbyteris, Vicariis perpetuis capellanis curatis & non curatis altaristis præsbyteris, clericis, notariisque & tabellionibus publicis quibuscunque per Civitatem, & Diocesim Venetiarum & alias ubilibet constitutis & eorum cuilibet insolidum, nec non illi vel illis ad quem vel ad quos præsentes nostræ litteræ pervenerint & fuerint præsentatæ Salutem in Domino, & nostris hujusmodi imo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. Litteras Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri Dom. Julii divina providentia Papæ III. ejus vera bulla plumbea cum cordula canapis more Romanæ Curiæ impendenti bullatas sanas siquidem & integras non viciatas, non cancellatas, atque in aliqua sui parte suspectas sed omni prorsus vitio & suspicione carentes, ut in eis prima facie apparebat nobis pro parte Venerandarum Dominarum Sophiæ Pisanæ Abbatissæ & Monialium Monasterii Monialium B. Mariæ in Hierusalem alias de Virginibus Venetiarum S. Benedicti vel alterius Ordinis principalium in præinsertis litteris Apostolicis principaliter nominatarum coram Archivii Romanæ Curiæ Scriptore & testibus infrascriptis præsentatas nos cum ea qua decuit reverentia recepisse noveritis hujusmodi sub tenore: Julius Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fr. Episcopo Balneoregiensi, & dilecto filio Vicario Ven. Fr. Patriarchæ Venetiarum in spiritualibus generali Salutem, & Apostolicam Benedictionem: Significaverunt nobis dilectæ in Christo filiæ Sophia Pisana Abbatissa, & Moniales Monasterii Monialium B. Mariæ in Hierusalem alias de Virginibus Venetiarum S. Benedicti vel alterius Ordinis, quod nonnulli iniquitatis filii quos prorsus ignorant decimas, obventiones, affictus, annuas responsiones, emolumenta, census, fructus, redditus, proventus, terras, domos, possiones, vineas, ortos, campos, prata, pascua, nemora, silvas, arbores, arborum fructus vini bladi frumenti... avenæ, cini, canæ, olei, ceræ, auri, argenti monetati, & non monetati, quantitates vasa argentea, enta, stamea, cuprea, ferrea, pannos, cineos, caneos, sericos, vestes, jocalia, lapides præciosos, cectos cintheamina, & alia domus utensilia, equos, oves, boves, & alia animalia, libros etiam rationum, instrumenta, privilegia, contractus, obligationes, prothocolla notas computa cedulas quietantias, titulos, cartas, scripturas publicas & privatas, testamenta, coddicillos & alia documenta debita credita legata mutua deposita jura jurisdictiones pecuniarum summas & nonnullas alias res, & bona mobilia, & immobilia publicatione præsentium etiam cautius si dictis significantibus videbitur specificanda ad prædictum Monasterium

tam

tam ratione illius fundationis & dotationis, nec non relictorum, & legatorum, & seu præfatis significantibus pro tempore factorum, quam alia legitime spectantia temere & maliciose occultare ac occulte & indebite detinere præsumunt non curantes ea eisdem significantibus exhibere & revellare ut de illis debite satisfacere in animarum suarum periculum, & Monasterii ac significantium prædictorum non modicum detrimentum super quo dictæ significantes Apostolicæ Sedis remedium implorarunt. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus omnes hujusmodi decimarum censuum fructuum jocalium scripturarum privilegiorum summarum pecuniarum & aliorum bonorum & rerum etiam ut præfertur specificandorum prædictorum detentores & ea revellare non curantes occultos ex parte vestra publice in Ecclesiis coram populo per vos, vel alium, seu alios monetatis ut infra competentem terminum quem eis præfixeritis ea præfatis significantibus a se debita restituant & occultata revellent ac de eisdem debitis plenam & indebitam satisfactionem impendant at si id non adimpleverint infra alium competentem terminum quem eis ad hoc duxeritis peremtorie præfigendum ex tunc in vos generalem excommunicationis sententiam proferatur & eam faciatis ubi, & quando expedire videritis usque ad satisfactionem & revelationem condignam solemniter publicari. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1552. pridie idus Decembris Pontificatus nostri anno tertio. Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem & receptionem nobis & per nos ut præmittitur factas fuimus pro parte dictarum Dominarum Sophiæ Abbatissæ & Monialium principalium debita cum instantia requisiti quatenus ad exequutionem dictarum litterarum Apostolicarum, & contentorum in eisdem procedere dignaremur juxta traditam seu directam per eas a Sede Apostolica nobis formam. Nos igitur Nicolaus Venerius Episcopus Balneoregiensis judex & exequutor præfatus attendentes requisitionem hujusmodi fore justam & rationi consonam volentesque mandatum Apostolicum supradictum nobis in hac parte directum reverenter exequi ut tenemur idcirco auctoritate Apostolica nobis commissa & qua fungimur in hac parte attenta ipsarum litterarum Apostolicarum forma vos omnes & singulos supradictos quibus præsens noster processus dirigitur & vestrum quemlibet insolidum tenore præsentium requirimus & monemus primo, secundo, tertio peremptorie communiter vel divisim, & sub excommunicationis pœna quam canonica monitione præmissa in vos omnes & singulos supradictos, ac vestrum quemlibet ferimus in hiis scriptis si ea quæ vobis in hac parte mandamus & committimus negligeritis contumaciter adimplere districte præcipiendo mandamus quatenus infra sex dierum spatium post præsentationem, seu notificationem præsentium & requisitionem vobis, seu alteri vestrum pro parte præfatarum Dominarum Sophiæ Abbatissæ & Monialium principalium super hoc factas immediate sequentes ita tamen quod unus vestrum alterum non expectet nec unus per alium, seu pro alio se excuset quorum sex dierum duos pro primo, & duos pro secundo ac reliquos dies vobis omnibus & singulis supradictis pro tertio, & peremptorio termino ac monitione canonica assignamus omnes & singulos occultantes, & usurpantes census, fructus, redditus, & proventus ac alia bona in præinsertis litteris apostolicis designatis ad dictas Dominas significantes & Monasterium suum prædictum pertinentes, ac spectantes auctoritate nostra immo verius Apostolica in Ecclesiis & locis de quibus fueritis pro parte ipsarum Dominarum Abbatissæ & Monialium principalium requisiti ut quando & quotiens expeditum fuerit requiratis & moneatis quos etiam tenore præsentium requirimus & monemus primo, secundo,

do, tertio & peremptorie communiter vel divisim eisque nihilominus & eorum cuilibet insolidum eisdem auctoritate & tenore in virtute sanctæ obedientiæ & sub infrascriptis sententiarum penis districte præcipiendo mandamus quatenus infra quindecim dierum spatium post monitionem requisitionem, & notificationem hujusmodi factas, & postquam præmissa ad eorum notitiam devenerint immediate sequentes quorum quindecim dierum quinque pro primo, & alios quinque pro secundo ac reliquos quinque dies pro tertio & peremptorio termino ac monitione canonica assignamus omnia & singula bona & res in præmissis litteris Apostolicis designatas & specificatas eisdem Dominabus Abbatissæ & Monialibus principalibus restituant & occulta revelent ac de illis plenariam & debitam satisfactionem imponendam. Quod si forte præmissa omnia & singula non adimpleveritis seu distuleritis contumaciter adimplere mandatisque & monitionibus juris hujusmodi imo verius Apostolicis non paverint cum effectu in ipsos & eorum quemlibet excommunicationis sententiam feratis quam nos etiam lapsis dictis quindecim diebus ferimus in hiis scriptis ipsosque & eorum quemlibet palam & publice in Ecclesiis Monasteriis capellis, & locis ecclesiasticis vestris antedictis excommunicatione publicetis & denuntietis, & denuntiare, & publicare faciatis prout etiam ex nunc prout ex tunc & e converso quindecim dierum canonica monitione præmissa excommunicatos denuntiamus ac denuntiari & publicari volumus & mandamus etiam tamdiu donec ad satisfactionem condignam de præmissis eisdem Dominabus principalibus devenerint & benefitium absolutionis super hoc meruerint obtinere. Absolutionem vero omnium & singulorum qui præfatas nostras litteras meruerint seu meruerit quoquomodo nobis vel Superiori nostro tantummodo reservamus & processum autem nostrum hujusmodi nolumus nec intendimus nostro in aliquo præjudicare collega quominus ipsæ in hujusmodi negotio procedere valeat prout ei visum fuerit expedire præfatas quoque litteras Apostolicas huncque nostrum processum, ac omnia & singula hujusmodi negotium tangentia volumus penes easdem D. D. Sophiam Abbatissam, & suas Moniales principales.... & non per vos aut aliquem vestrum, seu quemcunque alium ipsis.... & contra earum voluntatem quomodolibet detineri contrarium vero facientes præfatis nostris sententiis prout in hiis scriptis per nos latæ sunt dicta canonica monitione præmissa ipso facto volumus subjacere mandavimus tamen copiam fieri de præmissis eam petentibus, & habere debentibus petentium quidem sumptibus & expensis. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes litteras sive præsens publicum instrumentum processum nostrum hujusmodi in se continentes sive continens exinde fieri, & per notarium Archivii Romanæ Curiæ Scriptorem infrascriptum subscribi & publicari mandamus sigillique dicti Archivii jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum Romæ in palacio Apostolico in camera nostræ residentiæ sub anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo quinquagemo secundo Indictione decima die vero decima septima mensis Decemb. Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini Nostri D. Julii divina providentia Papæ III. anno tertio. Præsentibus D. D .... Duranti & Dominico Theobaldi dicti Archivii Scriptoribus testibus ad præmissa vocatis atque rogatis.

Et Ego Gregorius de Epiphanio Scriptor Archivii Romanæ Curiæ quia præmissis interfui ideo hoc publicum præsens instrumentum subscripsi & publicavi rogatus & requisitus.


Paulus

Paulus Papa IV. confirmat gratias, & immunitates concessas Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus a Summis Pontificibus Præcessoribus.

S 3. 1557. 2. Martii.

Ex Archivo Sanctæ Mariæ de Virginibus.

PAulus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii Monialium S. Mariæ de Virginibus in Hierusalem Venetiarum regularis observantiæ S. Augustini Ordinis S. Marci de Mantua Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est & honestum tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilectæ in Domino filiæ vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, gratias, concessiones & inmunitates a fel. rec. Bonifatio Papa IX. & aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris sive per privilegia vel alia indulta & litteras vobis & vestro Monasterio ac illius benefactoribus communiter concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum a Regibus Principibus & aliis Christifidelibus vobis & ipsi Monasterio in communi rationabiliter indultas sicuti ea omnia juste & pacifice possidetis vobis & per vos eidem Monasterio ac illius benefactoribus auctoritate Apostolica confirmamus ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo quarto nonas Martii Pontificatus nostri anno tertio.



Flavius Ursinus Apostolicæ Cameræ Auditor Legato Apostolico in urbe Venetiarum existenti committit, ut Nicolai V. & Pii IV. Pontificum diplomata ad favorem Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus exequi curet.

T 3. 1565. 1. Februarii.

Ex Autographo in Monasterio Sanctæ Mariæ de Virginibus.

FLavius Ursinus Episcopus Muran. Sanctissimi Domini Nostri Papæ ejusdem Camerarii nec non Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor Romanæque Curiæ Judex ordinarius nec non quarumcunque litterarum Apostolicarum universalis executor Reverendiss. Domino nunc & pro tempore existenti in Civitate Venetiarum de latere Legato omnibusque aliis & singulis quorum interest intererit aut interesse poterit quomodolibet in futurum quibuscunque nominibus censeantur & quacunque præfulgeant dignitate ac illi, vel illis ad quem vel ad quos præsentes nostræ litteræ pervenerint Salutem in Domino & mandatorum nostrorum obedientiam. Noveritis quod nuper pro parte Venerabilium Abbatissæ & Monialium Monasterii B. Mariæ de Vir-

Virginibus de Venetiis præsentatæ fuerunt nobis quædam litteræ Sanctissimi D. N. Pii Papæ IV. sub plumbo expeditæ confirmationis quarumdam litterarum fel. rec. Nicolai Papæ V. in forma brevis in favorem dictarum Abbatissæ, & Monialium expeditarum quarum quidem litterarum Pii Papæ IV. & Nicolai V. præfatorum sequitur & est talis vid. Pius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Monialibus Monasterii B. Mariæ de Virginibus de Venetiis Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod justum est & honestum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilectæ in Domino filiæ vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, immunitates, concessiones, & gratias a fel. rec. Nicolao V. & aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris sive per privilegia vel alia indulta vobis ac Monasterio vestro hujusmodi communiter concessas nec non libertates & exemptiones a præfatis & quibusvis Regibus & Principibus Christianis vobis etiam communiter indultas sicut ea omnia juste, & pacifice possidetis vobis authoritate Apostolica confirmamus & approbamus ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & communitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo quinto. Undecimo Calendas Februarii Pontificatus Nostri Anno sexto. A tergo vero supradicti sunt scripta hæc verba vid. Ven. Fr. L. Episcopo Castellano intus vero: Nicolaus Papa V. Ven. Fr. Salutem & Apostolicam benedictionem. Mittens ad nos dilecta in Christo filia Soradamor Abbatissa Monasterii B. Mariæ de Virginibus de Venetiis querelanter exponi fecit, quod licet id Monasterium Sedi Apostolicæ sit immediate subjectum, spectetque ab Abbatissam pro tempore existentem ipsius Monasterii gubernatio prout contineri vidimus in bon. mem. prædecessorum nostrorum privilegiis dicto Monasterio concessis, tua fraternitas sumpta occasione cujusdam controversiæ in ipso Monasterio exortæ se ad ipsius Monasterii gubernationem ingerens prohibuit quibusdam ecclesiasticis personis, ne sicut ipsa voluerat Abbatissa illi Monasterio in divinorum ministratione servirent & alios quosdam religiosos ipsi Abbatissæ minus gratos dictæ divinorum ministrationi ea invita præficere voluisti unde factum esse dicit, ut cum nec illa deputatos a te religiosos ne sui Monasterii juribus præjudicaret accipere vellet nec tu alios ecclesiasticos illuc accedere permitteres ipsa, & Moniales suæ in proximo quadragesimali jejunio non confessæ fuerint nec sacratissimam acceperint communionem quod quidem nobis valde displicuit & miramur quomodo tua Fraternitas sciens id Monasterium esse a tua jurisdictione exemptum tale attulit impedimentum ex quo multipliciter est pecatum. Si autem forte diceres scandala quæ in Monasterio suscitata erant tibi ut id faceres suasisse respondemus nos non esse a Venetiis tam longe remotos ut non potuerimus cito de omnibus fieri certiores qui profecto commissam nobis dicti Monasterii curam opportune suscipi fecissemus. Sed quomodocunque præterito tempore sit factum Volumus & tibi mandamus ut omnibus quæ circa prædicta hactenus fecisti revocatis prout nos etiam revocamus nullo modo imposterum te in ipsius Monasterii gubernationem aliqualiter intromittas permittasque ipsam Abbatissam quotienscunque voluerit ex tuæ diocesis clericis & religiosis ad divinorum celebrationem Sacramentorumque administrationem vocare in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die trigesimo Apri-

lis MCCCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Secundo. Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem & receptionem nobis & per nos ut præmittitur factas fuimus pro parte supradictarum Abbatissæ & Monialium debita cum instantia requisiti quatenus ad executionem earumdem litterarum procedere & illas ab omnibus ad quos spectat & pertinet juxta illarum formam observari mandare & eisdem Abbatissæ & Monialibus in præmissis assistere dignaremur. Nos igitur Flavius Episcopus auditor & executor præfatus attendentes requisitionem hujusmodi fore justam & rationi consonam volentesque ut ipsæ litteræ Apostolicæ suum debitum ut par est sortiantur effectum, Vobis universis & singulis supradictis & vestrum cuilibet insolidum in virtute sanctæ obedientiæ ac sub infrascriptis sententiarum & mille ducatorum auri cameræ Apostolicæ applicandorum pœnis districte præcipiendo mandamus quatenus quotiens pro parte supradictarum Abbatissæ & Monialium seu earumdem procuratoris requisiti fueritis seu aliquis vestrum fuerit requisitus faciatis, & quilibet vestrum faciat præfatas Abbatissam & Moniales supradictis litteris tam sub plumbo quam forma brevis & omnibus in eis contentis exemptionibus libertatibus permissionibus & indultis uti frui gaudere nec permittatis eas desuper a quoquam cujuscunque dignitatis & præheminentiæ etiam si Patriarchali Archiepiscopali, vel Episcopali dignitate præfulgeat invitas contra earundem litterarum tenorem molestari perturbari seu alio quomodolibet vexari nec vos super eis molestiis perturbetis seu vexetis quinimo easdem litteras & omnia in eis contenta quæcunque observantes auxilium consilium & favorem contra molestantes ac impedientes easdem Abbatissam & Moniales præbeatis & quilibet vestrum præbeat invocato ad hoc si opus fuerit contra tales auxilio brachii secularis prout nos quantum possumus & debemus invocamus per præsentes. Quod si forte præmissa omnia & singula non adimpleveritis contumaciter mandatisque & monitionibus nostris hujusmodi imo verius Apostolicis non parueritis realiter & cum effectu nos in vos omnes & singulos supradictos & alios quoscunque qui culpabiles fueritis in præmissis & generaliter in contradictores quoslibet & rebelles ac impedientes ipsas Abbatissam & Moniales præfatas seu earum procuratorem super præmissis in aliquo ipsas impedientes dantes consilium auxilium vel favorem publice vel occulte directe vel indirecte quovis quæsito colore ex nunc prout ex tunc, & e contra etiam cujuscunque dignitatis status gradus conditionis existant prædicta canonica monitione præmissa excommunicationis in Capitula vero Conventus & collegia quæcunque in his forsan delinquentia suspensionis a Divinis & in ipsorum delinquentium Ecclesias Monasteria & Capellas interdicti Ecclesiastici sententias ferimus in his scriptis. Cœterum cum ad executionem præmissorum ulterius faciendam nequeamus personaliter interesse universis & singulis Dominis justitiæ ministris Potestatibus & jusdicentibus per Civitatem & Dominium Venetiarum ac alias ubilibet constitutis vices nostras plenarie committimus quos & eorum quemlibet sub dictis pœnis committimus & mandamus quatenus easdem Abbatissam & Moniales seu earum procuratores dictis litteris & omnibus in eis contentis libertatibus exemptionibus ac præsenti nostro protestui pacifice & quiete uti frui & gaudere faciant ac in præmissis omnibus & singulis assistant nec permittant eas a præfatis eorum aliquo molestari seu perturbari. Absolutionem vero omnium & singulorum qui præfatas nostras sententias, seu earum aliquam incurrerint sive incurrerit quoquomodo nobis vel superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum omnium & singulorum fidem præsentes litteras huncque nostrum processum exinde fieri & per notarium Curiæ nostræ infrascriptum subscribi sigillique nostri jussimus & fecimus appensione communiri. Da-

tum

tum Romæ in ædibus nostris Anno a Nativitate D. N. J. C. millesimo quingentesimo sexagesimo quinto Indictione octava die vero primo mensis Februarii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri D. Pii divina providentia Papæ IV. Anno Sexto. Præsentibus ibidem providis Viris D. D. Pompeo, Antonino, & Jacobo Gerardo dictæ nostræ Curiæ notariis & coram nobis Scribis testibus ad præmissa omnia habitis vocatis, atque rogatis juxta formam præinsertarum litterarum Apostolicarum.

Desiderius.

Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Not. ss.



Gregorius XIII. Mariam de Benettis electam Abbatissam Sanctæ Mariæ de Virginibus apostolica authoritate confirmat.

V 3. 1578. 5. Aprilis.

Ex Autographo in Archivo S. Mariæ de Virginibus.

GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectæ in Christo filiæ Mariæ Electæ Benetti Abbatissæ Monasterii Monialium B. Mariæ de Virginibus nuncupatæ Ordinis S. Augustini Castellanensis Diócesis Salutem & Apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines varias quibus assidue premimur illa potissimum pulsat & excitat mentem nostram ut circa statum Ecclesiarum & Monasteriorum omnium quæ vacationis incomoda deplorare noscuntur solerter intendentes ne ob diuturnam vacationem in spiritualibus & temporalibus detrimenta sustineant quantum nobis ex alto permittitur salubriter providere curemus. Cum itaque sicut accepimus Monasterium Monialium Sedi Apostolicæ immediate subjectum B. Mariæ de Virginibus nuncupatæ Ordinis S. Augustini Congregationis Sancti Marci de Mantua Venetiarum Castellanensis Diocesis quod de jurepatronatus pro tempore existentis Ducis Venetiarum ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur & cui quondam Sophia Pisana ipsius Monasterii Abbatissa dum viveret præsidebat per obitum ejusdem Sophiæ quæ extra Romanam Curiam diem clausit extremum vacaverit & vacet ad præsens. Nos cupientes eidem Monasterio de persona utili & idonea per quam circumspecte regi & salubriter dirigi valeat provideri ac sperantes quod tu quæ ut asseris ordinem ipsum in dicto Monasterio cujus Monialis fore dignosceris expresse professa existis & quam dilectæ in Christo filiæ Conventus dicti Monasterii pro futuræ inibi Abbatissæ electione celebranda vocatis omnibus quæ voluerunt potuerunt & debuerant electioni hujusmodi commode interesse die ad eligendum præfixa ut moris est convenientes in unum in earum & dicti Monasterii ut præfertur vacantis Abbatissam concorditer & nemine penitus discrepante elegerunt. Tuque electioni hujusmodi illius tibi præsentato decreto consensisti ac bonæ memoriæ Sebastianus Venerius tunc Dux Venetiarum suum desuper præstitit assensum, & de cujus religionis zelo vitæ munditia honestate morum spiritualium providentia & temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fide digna apud Nos testimonia perhibentur eidem Monasterio esse poteris plurimum utilis & etiam fructuosa. Teque a quibusvis excommunicationis suspensionis & interdicti aliisque ecclesiasticis sen-

tentiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodata existis ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutam fore censentes præfato Monasterio cujus fructus redditus, & proventus ducentorum & quinquaginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum ut etiam asseris non excedunt sive ut præmittitur sive alias quovis modo vacet etsi ejus provisio ex quavis causa ad Sedem prædictam specialiter vel generaliter pertineat ac super illius regimine & administratione inter aliquos lis cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa dummodo tempore datæ præsentium non sit eidem Monasterio de Abbatissa canonice provisum & dilecti filii Nobilis viri Nicolai de Ponte moderni Ducis Venetiarum etiam ad hoc expressus accedat assensus de persona tua auctoritate Apostolica providemus Teque illi in Abbatissam præficimus curam ipsius Monasterii ac hujusmodi regimen & administrationem tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchæ Venetiarum & Episcopo Amerino ac dilecto filio Vicario Ecclesiæ S. Marci Venetiarum per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios tibi in adipiscenda possessione seu quasi regiminis & administrationis prædictorum ac bonorum dicti Monasterii auctoritate nostra assistentes faciant Tibi a Conventu prædictis obedientiam & reverentiam debitas & devotas nec non a dilectis filiis Vassallis & aliis subditis dicti Monasterii consueta servitia & jura tibi ab eis debita integre exhiberi contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri &, aliis Apostolicis constitutionibus ac Monasterii & Ordinis prædictorum juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus contrariis quibuscunque aut si Conventui Vassallis & aliis subditis prædictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim tibi ut a quocunque malueris Catholico Antistite gratiam & communionem prædictæ Sedis habente munus benedictionis libere recipere valeas ac eidem Antistiti ut illud tibi impendere licite possit facultatem concedimus per præsentem. Volumus autem quod prædictus Antistes qui tibi munus prædictum impendet postquam illud tibi impenderit a te nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solitum recipiat juramentum juxta formam quam sub bulla nostra mittimus introclusam ac formam juramenti hujusmodi quod præstabis nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures.

Datum Tusculi Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quigentesimo septuagesimo octavo Kalendis Aprilis Pontificatus nostri anno sexto.

Cle

Clemens Octavus Joanni Theupulo Primicerio Ecclesiæ Sancti Marci Venetiarum curam & gubernium Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus committit.

X 3. 1604. 4. Decembris.

Ex Autographo in Archivo Monasterii.

CLemens Papa Octavus. Dilecto filio Joanni Theupolo Primicerio Ecclesiæ S. Marci Venetiarum. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Cum nuper bonæ memoriæ Aloysius Episcopus Tarvisinus, cui nos alias ad supplicationem dilecti filii Nobilis Viri Marini Venetiarum Ducis curam & gubernium Monasterii Monialium B. Mariæ de Virginibus nuncupati Venetiarum Ordinis S. Augustini Congregationis S. Marci de Mantua, quod ab ordinarii jurisdictione exemptum & Apostolicæ Sedi immediate subjectum existit, ac de jure patronatus pro tempore existentis Ducis Venetiarum cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur commiseramus diem clauserit extremum. Idemque Marinus Dux cupiat ejusdem Monasterii curam & gubernium alicui alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ prudentia pietate fide ac Religionis zelo præditæ nobis bene visæ nostræ & Apostolicæ Sedis nomine committi & delegari. Ac propterea nobis per dilectum filium Augustinum Nanum ejus apud nos Oratorem humiliter supplicari fecerit ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos de tua fide prudentia integritate ac religionis zelo ac in similibus functionibus & administrationibus experientia plurimum in Domino confisi Te nostrum & Apostolicæ Sedis Delegatum ad curam & gubernium præfati Monasterii S. Mariæ de Virginibus Venetiarum cum facultatibus in similibus solitis & consuetis ad nostrum & Apostolicæ Sedis beneplacitum ita tamen ut tu interim curam & gubernium hujusmodi per te ipsum exercere debeas ac nullo unquam prætextu seu causa vel occasione etiam tuæ ab Urbe Venetiarum absentiæ vices tuas in eadem cura & gubernio alicui personæ quacunque auctoritate & dignitate fungenti nisi prævia nostra & dictæ Sedis expressa licentia subdelegare aut eam substituere possis & valeas alioquin substitutio ac subdelegatio ac omnia inde sequenda nulla & irrita nulliusque roboris & momenti sint & esse debeant auctoritate apostolica tenore præsentium facimus constituimus & deputamus. Mandantes propterea dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Monialibus prædicti Monasterii ut te tanquam nostrum & dictæ Sedis Delegatum honorifice recipientes & tua salubria monita & mandata humiliter suscipiant, & efficaciter adimplere procurent. Non obstantibus constitutionibus, & ordinibus Apostolicis ac dicti Monasterii & illius ordinis etiam juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 4. Decemb. 1604. Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

M. Vedrinus Boit.

Paulus

Paulus Papa V. Indulgentias Ecclesiæ S. Mariæ de Virginibus Venetiarum pro diebus prima, & secunda Maii concessas iterum, sublata tamen clausula porrigendi manus adjutrices, elargitur.

Y 3. 1605. 12. Novembris.

Ex Authographo in Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

PAULUS PAPA V.

UNiversis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Exponi nobis nuper fecit Dilectus filius Nobilis Vir Marinus Grimanus, Venetiarum Dux, quod alias fel. rec. Alexander Papa Tertius prædecessor noster Monasterium Virginum nuncupatum Civitatis Venetiarum fundavit, ac successive idem Alexander, seu alii Romani Pontifices prædecessores nostri, omnibus, & singulis Christifidelibus, qui vere pœnitentes, & confessi, sacraque communione refecti Ecclesiam dicti Monasterii in festo Sanctorum Philippi & Jacobi, ac die immediate sequenti singulis annis visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, nec non ulterius easdem indulgentias, & gratias spirituales, quas Ecclesiam B. Mariæ de Angelis Assisien. in festo Portiunculæ, die secunda Augusti celebrari solito, visitantes, consequi possunt, cum clausula porrigendi manus adjutrices, perpetuo concesserunt: prout in diversis eorundem Prædecessorum litteris desuper expeditis continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictæ indulgentiæ, propter generalem revocationem Indulgentiarum in quibus clausula porrigendi manus adjutrices apposita fuerat, alias revocatæ fuerint; Ideo nobis, ejusdem Marini Ducis nomine supplicatum fuit, ut easdem Indulgentias de novo concedere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum Monasterium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitent. & confessis ac Sacra Communione refectis qui Ecclesiam dicti Monasterii Virginum in prædicto festo Sanctorum Philippi, & Jacobi, & die immediate sequenti, a primis vesperis usque ad occasum Solis dierum hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, easdem Indulgentias quas dictus Alexander, & alii Prædecessores nostri id agentibus perpetuo ut putatur, concesserunt, sublata clausula porrigendi manus adjutrices, auctoritate Apostolica, tenore præsentium de novo, etiam perpetuo concedimus, & elargimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XII. Novembr. MDCV. Pontificatus nostri anno primo.

Urba-

Urbanus VIII. Monasterio S. Mariæ de Virginibus præficit Franciscum Justinianum olim Episcopum Tarvisinum.

Z 3. 1634. 27. Aprilis.

Ex Archivo Monasterii S. Mariæ de Virginibus.

URBANUS PAPA VIII.

VEn. Fr. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum nuper bon. mem. Joannes Patriarcha olim Venetiarum, cui cura, & gubernium Monasterii Monialium B. Mariæ de Virginibus nuncupati Venetiarum Ord. S. Augustini Congregationis S. Marci de Mantua, quod ab Ordinarii jurisdictione exemptum & Apostolicæ Sedi immediate subjectum existit, ac de jure patronatus pro tempore existentis Ducis Venetiarum ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur ad supplicationem Ducis hujusmodi Apostolica auctoritate commissum erat diem clauserit extremum dilectus vero filius Nobilis Vir Franciscus Brizzus Dux Venetiarum cupiat ejusdem Monasterii curam & gubernium alicui alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ prudentia, pietate, fide, ac religionis zelo præditæ nobis benevisa nostro & Apostolicæ Sedis nomine committi & delegari ac propterea Nobis per dilectum filium Aloysium Contarenum ejus apud Nos Oratorem humiliter supplicari fecerit ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos de tua fide prudentia, integritate & religionis zelo plurimum in Domino confisi Te nostrum & Apostolicæ Sedis Delegatum ad curam & gubernium præfati Monasterii B. Mariæ de Virginibus Venetiarum cum facultatibus in similibus solitis & consuetis ad nostrum & Apostolicæ Sedis beneplacitum ita tamen ut tu interim curam & gubernium hujusmodi per te ipsum exercere debeas & nullo unquam prætextu sui causa vel occasione etiam tuæ ab Urbe Venetiarum absentiæ vices tuas in eadem cura & gubernio alicui personæ quacunque auctoritate & dignitate fungenti nisi prævia nostræ & dictæ Sedis expressa licentia subdelegare aut eam substituere possis & valeas alioquin substitutio & subdelegatio, ac omnia inde sequenda nulla & irrita, nulliusque roboris & momenti sint & esse debeant auctoritate Apostolica tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus. Mandantes propterea dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Monialibus præfati Monasterii ut te tanquam nostrum & dictæ Sedis delegatum honorifice accipientes tua salubria monita & mandata humiliter suscipiant & efficaciter adimplere procurent. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac dicti Monasterii & illius ordinis juramento confirmatione Apostolica vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 27. Aprilis 1634. Pontificatus nostri anno undecimo.

M. A. Maraldus.

A tergo | Ven. Fr. Francisco olim Episcopo Tarvisino.

Urba-

Urbanus VIII. Petro Episcopo Sithiensi curam committit Monasterii Sanctæ Mariæ de Virginibus.

1642. 6. Julii.

Ex Archivo Monasterii.

Urbanus Papa VIII.

VEn. Fr. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum nuper bon. mem. Franciscus Episcopus olim Tarvisinus cui cura & gubernium Monasterii Monialium B. Mariæ de Virginibus nuncupati Venetiarum Ord. S. Augustini Congregationis S. Marci de Mantua quod ab ordinarii jurisdictione exemptum & Apostolicæ Sedis immediate subjectum existit ac de jurepatronatus pro tempore existentis Ducis Venetiarum ex privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur ad supplicationem Ducis hujusmodi Apostolica auctoritate comissum erat diem clauserit extremum. Dilectus vero filius Nobilis Vir Franciscus Ericius Dux Venetiarum cupiat ejusdem Monasterii curam & gubernium alicui alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ prudentia pietate fide ac religionis zelo præditæ nobis benevisæ nostro & Apostolicæ Sedis nomine committi & delegari ac propterea nobis humiliter supplicari fecerit ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos de tua fide prudentia integritate & religionis zelo plurimum in Domino confisi Te nostrum & Apostolicæ Sedis delegatum ad curam & gubernium prædicti Monasterii B. Mariæ de Virginibus Venetiarum cum facultatibus in similibus solitis & consuetis ad nostrum & Apostolicæ Sedis beneplacitum ita tamen ut tu interim curam & gubernium hujusmodi per te ipsum exercere debeas & nullo unquam prætextu seu causa vel occasione etiam tuæ ab urbe Venetiarum absentiæ vices tuas in eadem cura & gubernio alicui personæ quacunque auctoritate & dignitate fungenti nisi prævia nostra & dictæ Sedis expressa licentia subdelegare aut eam substituere possis & valeas alioquin substitutio & subdelegatio ac omnia inde sequenda nulla & irrita nulliusque roboris & momenti sint & esse debeant auctoritate Apostolica tenore præsentium facimus constituimus & deputamus. Mandantes propterea dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Monialibus prædicti Monasterii ut te tanquam nostrum & dictæ Sedis dellegatum honorifice recipientes tua salubria monita & mandata humiliter suscipiant & efficaciter adimplere procurent. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis ac dicti Monasterii & illius ordinis etiam juramento confirmatione Apostolica vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus Cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die v. Julii 1642. Pontificatus nostri anno decimo nono.

M. A. Marardus.

a tergo | Ven. Fr. Petro Episcopo Sithiensi (*a*).

(a) Num pro *Sithiensi* legendum est *Citiensi*? *Citium* urbs erat in Insula Cypri sita, quæ Italico Sermone nuncupabatur *Chiti*.

DE



DE
MONASTERIO
SANCTI DANIELIS PROPHETÆ.

ABBAS Ferdinandus Ughell. Tom. v. Ital. Sac. col. 1128. in Patriarchis Gradensibus duo confundens Monasteria a Cistercienfibus Monachis olim exculta, quorum unum in littore Pincto, seu Pineto in Diœcesi Equilina positum sub jure Patriarchalis Ecclesiæ Gradensis vocabatur S. Georgius de Pineto, alterum in Urbe Veneta Insulæ tunc Olivolensi modo Castellanæ dictæ adjacens, atque Olivolensi Episcopo subjectum S. Danielis vocabulo nuncupabatur, hæc de Veneti Cœnobii origine affert: " Hoc fere tem-
" pore (anno 1157.) Henricus, tantis honoribus ab Adriano
" exornatus ecclesiam S. Georgii in littore Pincto in ipsa ur-
" be Venetiarum, Gradensi Ecclesiæ subjectam divitiis auxit,
" quam antea Cistercienfibus Monachis ad construendum cœ-
" nobium elargitus fuerat, constituto ibidem Abbate Daniele
" Molina vitæ sanctimonia, ac prudentia viro nobili: in cu-
" jus honorem, & memoriam Ecclesiæ S. Danielis posteri no-
" men fecere. Joannes Polanus Episcopus Castellanus, Danie-
" li ob similitudinem morum amicus, multa bona, ac præ-

„ dia eidem Monasterio dono dedit, approbante Innocentio II.
„ Papa. Diu Cistercienses Monachi cœnobium, & Ecclesiam
„ coluere, deinde exactis Monachis, Monialibus Ord. Sancti
„ Benedicti cœnobium incolendum traditum fuit, ubi hacte-
„ nus Deo famulantur.

Nec paucis, nec levibus scatet erroribus hæc viri cæteroquin laudatissimi enarratio, siquidem nullo unquam tempore Patriarchali Gradensium Antistitum jurisdictioni subjecta fuit hæc Ecclesia, quæ Cisterciensibus Monachis recedentibus, Sanctimonialibus Ordinis S. Augustini tradita fuit, ubi adhuc Deo famulantur. Ughellus ipse dum inter Episcopatus Antiquatos Tom x. col. 76. Equilinum recenset talia de Monasterio Sancti Georgii in littore Pineto exhibet. " Non longe ab Equi-
„ lo aderat perantiqua S. Georgii de Pineto Monachorum S.
„ Benedicti Abbatia in diœcesi tamen Patriarchæ Gradensis: "
Et paulo post: " Non longe ab Equilo nobile Benedictinorum
„ Cœnobium quod hostium irruptione dirutum jamdiu humi
„ prostratum jacebat, restaurandum, renovandumque suscepit
„ anno 1044. ab Ursone Patriarcha Gradensi Petrus Caroso
„ Monachus, primus deinde electus Monasterii Abbas, ut te-
„ statur documentum ex originali in Patriarchali Archivo ad-
„ servato desumptum.

Rejectis itaque, quæ de cœnobio hoc ex Clarissimi Authoris in vasta admodum rerum congerie laborantis calamo elapsa sunt, certiora Ecclesiæ & Monasterii documenta discutiamus. Dandulus in Chronico lib. VIII. cap. I. part. XLIII. hujus Ecclesiæ fundatores enunciat his verbis: " Boni autem Bra-
„ gadino progenitores Ecclesiam S. Danielis Prophetæ non
„ longe ab Episcopatu similiter construxerunt, quæ sub Pe-
„ tro Polano Duce in Monasterio Monachorum Ord. S. Be-
„ nedicti conversa est ". Porro Bonum hunc Bragadinum cujus proavis meritum hujusce fundationis tribuitur, suspendio pœnas luisse propter conspirationem factam testatur Dandulus libro, & capite citatis parte XLI. Prædia aliqua possedisse Ecclesiam hanc ab anno 1084. addiscimus ex autographo instrumento, quo *Marina filia Sabbadini Bugari* concessit atque *transactavit Dominico Muysolo* suo ex filia nepoti *duas salinas* positas *in canale de Palestina*, (vulgo Pelestrina prope Clodiam) quæ ab uno latere adhærebant *Salinæ de S. Daniele*

le gemino commune; (A) Eæ autem salinæ dum subsequentibus annis, ut ex aliis instrumentis patet, ad novos possessores deducuntur, ipsarumque confinia recensentur, contiguas esse salinæ S. Danielis repetitur. Rem ex integro confirmat possessio etiam hodierna vinearum in littore Palestinæ. Num & per Plebanos antiquis temporibus ecclesia hæc administrata fuerit jure dubitari potest. Siquidem ex vetustissimo codice Judicum super bona publica communis Venetiarum legitur *Benedictus Presbyter Plebanus S. Danielis Notarius* qui affertur ut testis in breviario securitatis completo Rivoalti anno 1119. per Joannem Presbyterum & Notarium.

Hanc igitur sacram Ædem antiquitus *in Castello ex altera ripa Episcopatus* positam *cum omnibus suis habentiis, & pertinentiis Johannes Polani Castellanus Episcopus* Anno MCXXXVIII. in mense Junio elargitus est Manfredo Fructuariensi Abbati Ord. S. Benedicti Congregationis Cisterciensis ejusque successoribus in perpetuum; Facultatem insuper ei concessit *ordinandi, & disponendi omnia ad suprascriptam Dei Ecclesiam pertinentia*, atque omnia *monumenta* tradidit, quæ ibi erant, ut in sua potestate essent. *Monumenta* autem hæc desiderantur, vel ex incendio consumpta, vel ex incuria deperdita, unum quod superest hanc donationem tempore præcedens jam superius allatum est. Donationis tabulas, cui præter Episcopum subscripserunt Archidiaconus, & Primicerius Castellani, solemniter complevit Joannes Presbyter & Notarius. (B) Mentionem hujusce concessionis ingerit Dandulus in Chronico l. IX. cap. XIII. part. III. " Hic (Joannes Polanus) Ecclesiam S. Da-
" nielis Abbati Fructuariensi pro Monasterio noviter fabrican-
" do cum terris & lacu coadhærentibus benigne concessit; "
& paulo post idem author part. IV. donationem Ecclesiæ Sancti Georgii in littore Pinetæ factam ab Henrico Dandulo Patriarcha Gradensi refert his verbis: " Hic (Henricus Patriar-
" cha) Ecclesiam S. Georgii in littore Pinetæ Diœcesis Aqui-
" legiensis sibi subditam Fratribus Cisterciensis Ordinis con-
" cessit: quod Innocentius Papa Danieli constituto Abbati sup-
" plicanti benigne confirmavit.

Præclarissimi Chronologi dicta superius enuntiatum Ughelli errorem clarissime manifestant, dum Ecclesiam S. Danielis Venetiarum docent diversam fuisse ab Ecclesia S. Georgii in lit-

tore Pineto, quarum illa a Joanne Episcopo, hæc ab Henrico Patriarcha Monachis Cistercienſibus morum ſanctimonia, & auſteritate vitæ eo tempore celeberrimis traditæ fuerunt. Ex ipſo quoque laudato authore colligimus, Danielem, quem ex Molina gente progenitum dicunt Sanſovinus & alii, Monaſterio S. Georgii in Equilina Diœceſi conſtitutum fuiſſe Abbatem, ideoque erraſſe Sanſovinum, & alios minoris notæ Chronologos, qui Danielem Molinum aſſerunt Eccleſiam S. Danielis a Joanne Polano obtinuiſſe, in quem errorem pariter lapſus eſt author adnotationum ad Chronicon Danduli in margine Codicis Ambroſiani, ubi fortaſſe a Sanſovini enarratione deceptus, hæc ſubdit: " Alibi eſt legere Johannem Pollanum
" Epiſcopum donaſſe pro Monaſterio ædificando fundum pro-
" pe locum, ut nunc navale vetus cernitur cum aquis, & ter-
" ris, & loco Molendinorum, ædificatumque Monaſterium di-
" catum D. Danieli a ..... Molino, ex illis Molinis, qui ha-
" bent pro inſigni rotam partim albam, partim rubram, idque
" fuiſſe anno Domini 1142." Danielem hunc in ſæculo, olim, ut ajunt aliqui, Petri nomine nuncupatum Othonis Molini filium, Abbatem poſtea Ciſtercienſem, inter Sanctos enumerat Arnoldus Wion in ligno vitæ l. III. Angelus Manriq. Laur. Evangel. lib. III. Robertus Ruſca in Compendio, cui titulus, Abbates Ciſtercienſes Sancti, & Beati; Ferrarius in Indice Topographico ad Catalogum Sanctorum Italiæ; Theupolus in Indice Sanctorum Venetorum, & præcipue Menologium Ciſtercienſe ad diem XXI. Julii hoc elogio: " Duodecimo Kal. Auguſti. Ve-
" netiis. Natalis Beati Danielis Ordinis Ciſtercienſis Abbatis
" Sanctiſſimi, qui nobiliſſimum ſanguinis genus nobiliori vir-
" tutum ſuarum titulo decoravit, & dives meritis ex hac vi-
" ta deceſſit, & inter Sanctos poſtmodum fuit relatus". Quod autem ab Arnoldo in annotationibus additur, tabulas Sanctimonialium S. Danielis Venetiis ejus Natalem hac die enuntiare, id gratuito aſſeritur, nulla enim hujusce Beati Viri apud illuſtres illas Virgines extat memoria, quamvis cætera omnia Monaſterii documenta in ejus Archivo laudabili diligentia aſſerventur. Agunt de Daniele Biographi Antuerpienſes in prætermiſſis ad diem XXI. Julii.

Piam optimi Præſulis donationem, qua par erat alacritate ſuſcepit Manfredus Abbas, & ne ſe beneficio vinci pateretur,

Tem-

Templum, atque ædificandum Monasterium Ecclesiæ Castellanæ perpetuis temporibus subjecta fore declaravit, utque illati beneficii, & pactæ subjectionis perennis extaret memoria per se, & successores suos spopondit, quotannis exhibitis *pro annunciatione festi S. Danielis* duabus ampullis *boni vini* Episcopum ad solemnia Titularis Prophetæ celebranda *invitare*, *&* *prandium in eodem festo* ipsi Episcopo *cum duodecim honorifice preparare*. Ejus quoque juris fore spopondit, Ecclesiam, & Altaria consacrare, atque Monachos Sacris Ordinibus initiare, seque & successores suos quinque auri libris pro pœna mulctavit, si quando promissa observare recusassent. (C)

Fundationis memoria ut ad posteros perpetuo propagaretur lapidi adhuc superstiti credita fuit his verbis:

„ Anno Domini MCXXXVIII. Indictione prima. Hoc ceptum „ est hedificari Monasterium a bone memorie Leone Abbate „ Molino & a Fratribus a Domno Mainfredo Fructuarie Ab„ bate directis. Largiente illis Domino Johanne Polano Castel„ lano Episcopo Petro Polano Duce.

Erecti Monasterii meritum, ut ex lapidea instruimur epigraphe, non Manfredo Fructuariensi, sed Leoni Molino Veneto tribuendum est, cujus propterea agnomen ansam ex parte fortasse dedit æquivoco a Sansovino, Ughello, & aliis allato, Monasterium hoc a Beato, seu Sancto Daniele Molino fundatum fuisse. Sanutum quoque prætereo, qui plurima, ut moris sui est, confuse agglomerans vera falsis, certa dubiis immiscet. Aliquanto post Leonis Molini obitum lapidem appositum fuisse ex eo arguitur, quod ipsius Prioris nomini præcedant voces illæ *bonæ memoriæ*, quæ nonnisi ad vita functos referuntur.

Paucis ab Episcopi donatione elapsis annis cum Anastasius Papa Quartus illustre Fructuariæ Monasterium sub Beati Petri protectione anno MCLIV. recepisset, inter ipsius bona, quæ eidem Monasterio *firma in perpetuum*, *&* *illibata* servari decrevit Ecclesiam *S. Danielis in Venetia* nominatim recensuit (D). Plura de celeberrima *S. Benedicti Fructuariæ Abbatia in agro Taurinate* posita afferunt Ughell. Tom. IV. Ciaconius Tom. IV. & Scipio Castillioneus in notis ad Regnum Italiæ adnotat. 479. & sequent.

Erectis itaque ad Monachorum usum Religiosis ædibus, Fructuariensis Abbas, cui ex donationis titulo jus eligendi spe-

spectabat, Arnaldum Monachum Priorem instituit. Hic porrectis Alexandro III. supplicibus libellis, ab eo impetravit, ut Cœnobium S. Danielis, *quod specialiter ad jus Fructuariensis Monasterii spectabat* sub Beati Petri protectione susciperet, atque ipsius bona *firma* fore, & *illibata* declararet. Pontificium Alexandri Diploma, quo multa alia ad Monasterii utilitatem opportuna decernuntur datum fuit die XXVII. Augusti anno MCLXV. per manus Ermani S. R. E. Subdiaconi & Notarii (E).

Concessum Arnaldo privilegium Alexander Venetiis degens anno MCLXXVII. die XXVI. Augusti *Petro Priori Ecclesiæ Sancti Danielis ejusque Fratribus* novo diplomate confirmavit, statuens *ut eadem Ecclesia Fructuariæ Monasterio semper subjaceret, & in dispositione Abbatis loci ipsius, qui pro tempore esset, perpetuo maneret, quemadmodum a bonæ memoriæ Joanne Castellano Episcopo eidem Monasterio rationabiliter concessa fuerat*. Possessiones deinde Ecclesiæ Apostolica authoritate confirmans, dum subjectas ei Ecclesias nominatim recenset, ad alias in superius enuntiato anni MCLXV. Diplomate expressas Ecclesiam addit *Beati Martini de Tripolis*, quam *Archuicus quondam Civitatis novæ Episcopus Monasterio S. Danielis* contulerat *in Provincia Ystriæ cum suis pertinentiis & decimis* (F). Nullum hujusce donationis monumentum in Monasterii Archivo modo reperitur, neque hujus Episcopi nomen ab Ughello sive ab ejus adnotatore in serie Æmoniensium Præsulum exhibetur, propterea Archuicus ex hoc Diplomate adnumerandus erit hujusce Civitatis Episcopis Guidonem inter, & Joannem, cum ipsius donatio facta fuerit annis inter primum & alterum Alexandri Diploma mediis. Quamvis autem donationis ab Archuico Episcopo factæ monumentum temporis injuria disperierit, aliud tamen consimile invenitur concessionis documentum, quo Joannes Æmoniensis Episcopus obtulit, & concessit *Monasterio S. Danielis de Venetia Monasterium S. Martini de Tripole, ita quod Aicardus Prior* (hic Petro in Cœnobii regimine successerat) *Monasterii S. Danielis & sui successores* potestatem haberent *eligendi in* ipso Monasterio S. Martini Prælatum, atque annuatim in festo S. Pelagii Martyris Æmoniensis pro censu libram unam piperis, atque unam pariter incensi libram solvere teneretur. Donationem hac in publicas

eas tabulas redegit Petrus Ruscus Palatinus Notarius die XXVII. Martii anno MCLXXX. Indictione XIII. ex qua Indictione cum anno 1180. optime congruente deprehenditur per errorem alligatam fuisse in annotat. ad Ughellum Tom. X. col. 232. ad annum MCLVIII. eo enim anno Indictio VI. non vero XIII. supputabatur. Subsequenti inde tempore cum inter Gerardum Episcopum Æmoniensem ex una, & Urpelinum Priorem S. Danielis Venetiarum ex altera parte quæstio esset exorta super institutione, & investitione Rectoris præfatæ Ecclesiæ Sancti Martini, Judices, quos penes erat arbitrium, de consensu partium electi unanimes decrevere, ut *Rector Ecclesiæ S. Martini eligi deberet per Priorem, & Conventum S. Danielis, & præsentari Episcopo Æmoniensi*, cui jurare, & præstare teneretur obedientiam, & fidelitatem; Episcopus vero deberet *eum investire tam de spiritualibus, quam de temporalibus ipsius Ecclesiæ S. Martini*, indeque alias sanxerunt constitutiones, quæ fusius in ipsa sententia lata die V. Junii Anno MCCXXX. continentur. Eo ipso anno cum pro illatis Ecclesiæ S. Martini violentiis per quosdam *Nobiles Viros Widotum, & Fabianum Fratres de Sancto Georgio* acris inter ipsos, & Gerardum Episcopum, *discordia & controversia verteretur*, ad hæc tandem pacta devenerunt, ut restituto in suam Ecclesiam Bono Joanne Abbate S. Martini a supradictis fratribus violenter expulso, nullam deinceps ipsi *violentiam* inferrent, sed si quam haberent contra rectorem querelam, ipsum *coram Episcopo, vel capitulo Æmoniensi, aut coram Priore S. Danielis* convenirent juris vindicias rite accepturi. Notandum hic obiter venit Rectorem Ecclesiæ S. Martini Prioratui Veneto subjectæ vocari Abbatem, quod pariter & in aliis instrumentis repetitum animadvertitur, anno enim 1337. quidam *Biaquus de Minuglano olim occupator possessionum, & vinearum spectantium monasterio seu Abbatiæ, & Ecclesiæ S. Martini de Tripoli Emoniensis Diecesis* ipsa bona occupata renuntiat Fratri Rufino Monacho & Procuratori Fr. Bonifacii Prioris S. Danielis Venetiarum *asserens & confitens nullum jus habuisse, nec habere in Abbatia, & Ecclesia S. Martini prædicti*. Pari quoque modo ad annum 1342. *Frater Bonifacius de Castromonte* Prior Monasterii S. Danielis Venetiarum, & *Frater Merlus de Abiate* Monachus *facientes & constituentes totum & universum capitulum dicti Monasterii congregati ad sonum*

cam-

campanæ in capitulo, considerantes, quod Abbatia, & Ecclesia S. Martini de Tripoli Emonensis Diecesis immediate subjecta dicto D. Priori vacabat Abbate, curam & regimen animarum Fratri Ugolino Priori S. Gregorii de Justinopoli commiserunt, eumque *vicarium constituerunt* solemni instrumento, quod die VIII. Martii ejusdem anni 1342. in publicas tabulas redegit Andreas filius quondam f. Petri de Vinea S. Danielis de Venetiis Notarius (G).

Ex Ughell. Tom. V. Ital. Sac. instruimur Fratrem Petrum de Bugiela Priorem S. Danielis de Venetiis inductum fuisse in *tenutam* & corporalem possessionem Ecclesiæ S. Martini de Tripolis per Marinum Michaelem Episcopum Æmoniensem anno a Nat. Domini 1366. Indict. IV. die XXVI. Mensis Aprilis, cujus quidem Ecclesiæ regimen adhuc in Sanctimonialium jure perseverat.

Præter Æmoniensem Divi Martini Ecclesiam, aliasque in superius enuntiatis Diplomatibus recensitas possedisse etiam aliud in Imperiali Urbe Constantinopoleos Monasterium narrat antiquus codex Translationem corporis S. Joannis Martyris Byzantio Venetias advecti referens, quod & leviter attingit Dandulus l. X. cap. IV. part. XXVII. his verbis: " Roaldus Prior S. „ Danielis de Venetiis pro visitatione Ecclesiæ sibi commissæ „ Constantinopolim pergens de Græcorum Ecclesia nominata „ Teotocos Corpus Joannis Martyris, qui apud Cæsaream sub „ Diocletiano passus est, abstulit, & rediens in suo Monasterio „ collocavit ". Ipsius Martyris mentionem prius ingesserat idem author lib. IV. cap. VIII. part. XVII. ubi ejus passionem sub Diocletiano consumatam paucis enarravit: " Joannes prius Neu„ mas vocatus Vir Egregius Æliopolis a Diocletiano Dux A„ lexandriæ constitutus, ab illo edictum contra Christianos „ suscepit. Cum igitur illo pergeret apparitione Divina Chri„ stianus efficitur, quem Ulcon Princeps in Cæsarea Bythiniæ „ jussu Diocletiani injectis gladiis in gutture & pectore ejus „ postea occidit. Cujus corpus sub Petro Ziano Duce Vene„ tias transportatur ". Divo huic Joanni, cujus corpus Venetiis in sacra Prophetæ Danielis Æde colitur, Petrum de Natalibus adoptasse acta S. Procopii Martyris animadverterunt ad Tomum IV. Maii Biographi Antuerpienses, qui diligenter excussa re, rejectisque actibus Martyri Joanni falso attributis, autu-

autumant Martyrem Venetiis asservatum esse illum, cujus memoriam celebrant Menæa Græcorum ad diem xx. Septemb. *Certamen maximi inter confessores Joannis Ægiptii cujus libertatem, & loquendi confidentiam ferre non valens impius Maximianus jussit illum cum quadraginta occidi*. Pro Maximiano reponendum esse Maximinum notat in margine Papebrochius; hoc autem minime consonat historiæ translationis, ubi dicitur *Dei athletam occisum fuisse anno Christi ducentesimo octogesimo nono*, anno nempe tertio Imperii Maximiani Herculei, qui Nicomediæ creatus fuerat a Diocletiano Augustus anno 286. Maximinus vero Imperator a militibus salutatus fuit anno 308. " Ubi nam
" vero? (sequitur post hæc Papebrochius) Ægyptium cum
" Joannem legis, facile credes in Ægypto quoque passum, &
" corpus Alexandriæ in honore fuisse, donec inde translatum
" Constantinopolim fuit. Verum ut hic idem ipse credatur,
" qui Venetias postea deportatus est, oportet non solum die
" xx. Septemb. ejus memoriam ibi celebrem fuisse, sed etiam
" die XIII. Martii: quandoquidem ex Historia (translationis)
" liqueat nostro, de quo agimus, Joanni annuam tali die festi-
" vitatem agi solitam. Quid autem postea Venetos moverit,
" ut etiam isto die prætermisso, itemque die III. Julii, quo
" apud eos anno MCCXV. facta est sacri corporis collocatio,
" in eo ubi nunc colitur loco, assumerent XIX. Maii, haud
" facile dixerim.

Ut ut res sit, Venerabile Divi Joannis Martyris corpus, (ut ipsi quoque acceperunt supralaudati Hagiographi) in Ecclesia S. Danielis ad magnificam aram sibi dicatam in marmoreo eleganti loculo supinum cubat membris omnibus integrum, cujus dentes albi nullo deficiente, & caro mollis tactu. Translationis historiam, quam ex vernaculo Italico typis impresso anni circiter 1520. Latine vertit eximius vir Daniel Papebrochius, atque in actis Sanctorum Tom. IV. Maii pag. 305. retulit, ex alia vetustiore agnoscitur fuisse deductam, quam Petrus Calò Ord. Prædicatorum Hagiographus sæpe in opere Bollandiano laudatus concinnavit l. 2. part. 1. vol. 1. fol. 228. inter vitas ms. Sanctorum, ut videre est in Bibliotheca SS. Joannis & Pauli Venetiarum. Ipsam ideo utpote antiquiorem, & breviorem ex ipso autographo codice exhibemus, ex qua hauserunt Petrus de Natalibus aliique recentiores.

„ Post hæc urbem Constantinopolim tradidit Deus in ma„ nibus Latinorum, quia spretis azymis veritatis sacrificari in „ fermento veteri præsumebant, & Spiritum Sanctum a solo „ Patre procedere asserebant, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ de„ bitam obedientiam denegabant. Ideo conversa est eorum „ hæreditas ad Latinos, & domus eorum ad extraneas natio„ nes. (*a*) Veneti autem qui fuere hujus tantæ victoriæ cau„ sa efficiens, & materialis Urbis Imperium cum Gallicis di„ viserunt (*b*). Sublatis igitur infinitis, & inestimabilibus Ec„ clesiarum thesauris remanserunt Ecclesiæ ministris, & offi„ ciis viduatæ, potentiores autem viri Ecclesias, palatia, vi„ cos ipsius urbis ad invicem dividebant. Unde contigit, „ quod quidam Nobiles Veneti Ser Marcus Zorzanus (*c*) & „ Martinus Frater ejus habuerunt in parte sua Monasterium „ Pychosostræ (*d*) idest Salvatoris animarum in Contrata, quæ „ dicitur Gella (*e*) quod Monasterium dederunt Venerabili „ Joanni (*f*) Priori S. Danielis de Venetiis, ad habendum, „ & tenendum vice & nomine dicti Monasterii S. Danielis; „ est autem in eadem Contrata ultra stratam ex Occidentali „ parte alia Ecclesia, quæ a Græcis vocatur Theotocos (*g*) „ idest Genitricis Dei. Huic Priori successit in dicto Mona„ sterio S. Danielis Robaldus (*h*) vir religiosus, & timens „ Deum,

(*a*) Capta fuit Urbs Constantinopolitana a Gallis & Venetis die XII. Aprilis anno 1204.

(*b*) De divisione Imperii Orientalis seu Romaniæ inter Gallos & Venetos fusius scribit Andreas Maurocenus *Aquisto di Constantinopoli*. Ramnusius, & alii.

(*c*) Zorzani ita dicti a Petro Calo Gorzii appellantur a Papebrochio, verius autem nuncupandi sunt Georgii, veneto vernaculo Zorzi; Familia antiquæ apud Venetos nobilitatis.

(*d*) Nullam de hac Ecclesia mentionem ingerit Cangius in sua Constantinopoli Christiana; quod etiam notat Papebrochius.

(*e*) Vicus seu Platea quæ a Papebrochio legitur *Contrada Bella* in autographo Calotii vocatur *Gella*, nec de ea tamen aliquid protulit Cangius.

(*f*) Joannem Priorem S. Danielis Venetias transtulisse corpus S. Joannis Mart. narrat Nicolaus Manerbius Monachus Camaldulensis post finem vitæ ipsius Sancti Joannis appositæ simul cum aliis pluribus ad calcem Legendarii Sanctorum per Jacobum de Voragine latine concinnati, & a Manerbio in Italicum deducti, minor tamen fides adhibenda est huic authori, cum ab eo dissentiant Dandulus & Calotius, qui sacrum corpus a Rodoaldo Joannis successore Venetias deductum asserunt.

(*g*) Nihil de hac Ecclesia refert Cangius in sua Constantinopoli Christiana.

(*h*) Prior hic diversimode nominatus legitur; Calotius enim Robaldum, Dandulus Roaldum appellat, in aliis vero documentis Rodoaldum nuncupatum reperi.

„ Deum, qui elapso parvo temporis spatio ivit Constantino-
„ polim ad visitandum Monasterium Sychostre, & cum sta-
„ ret 14. Kal. Aprilis contra januas dicti Monasterii vidit mul-
„ titudinem virorum, & mulierum gentis Græcæ cum sum-
„ ma devotione accedere ad dictam Ecclesiam Theotocos, &
„ interrogans causam tanti concursus audivit quod ibi requie-
„ sceret corpus S. Joannis M. & quod tempore prosperitatis
„ Urbis illius omnes tam de urbe, quam de circumstantibus
„ locis illuc currere solebant. Ab illo ergo die cœpit cogita-
„ re, quomodo posset illud corpus Venetias deferre. In Eccle-
„ sia autem ista nullus erat Minister, sed certus qui alibi mo-
„ rabatur januas Ecclesiæ seris & clavibus obfirmabat. Prior
„ autem ille zelo Dei ductus cum quoddam Monacho, & quod-
„ dam Præsbytero & uno Servitore Græco ad locum clam ac-
„ cessit; & ingrediens cum illis Ecclesiam per quamdam fe-
„ nestram aperuit capsam miro opere exornatam & extrahens
„ inde corpus Sancti per eamdem fenestram involvit illum in
„ sindone munda, & reposuit latenter in Monasterio Pychoso-
„ stre; capsam, in qua ipsum jacuerat, faciens studiosus reapta-
„ ri, ne supretionis insignia comparerent, & misit corpus il-
„ lud sanctum in navi, simulans aliud esse, ne nautæ impedi-
„ rent (*a*) & sic Venetiæ est delatum & in Monasterio San-
„ cti Danielis repositum Anno Domini 1214. 5. Non. Julii ubi
„ Deus multa beneficia elargitur (*b*).

Templi hujus tanto thesauro ditati decus augeri curavit Albertus Prior, qui post superius laudatum Rodoaldum Monasterii regimen susceperat, cumque iis temporibus anno scilicet MCCXIX. Venetias advenisset Ugolinus Cardinalis Ostiensis de

(*a*) De superstitione aliquorum innuit, qui putant corpora defunctorum in navibus delata tempestates & turbines excitare.

(*b*) Plurima miracula per B. Joannis intercessionem a Deo patrata fuisse testantur tum Monasterii documenta, & plurima anathemata ad ejus aram appensa, tum constans Sanctimonialium traditio. Horum aliqua in Translationis historia recensentur, unum autem & novitate, & constantia prodigii omnibus præstat. Quoties enim alicujus Sanctimonialis imminet extremus vitæ terminus, id eis Sanctus Martyr aliquot diebus ante prænuntiat, leni quodam motu interiora arcæ percutiens, eoque signo Sanctimoniales admonet, ut sese ad nuptias adventante sponso disponant; Prodigium quidem admirabile, quodque per tot sæcula non interrupto successu ad hæc usque tempora perseverat.

„ Post hæc urbem Constantinopolim tradidit Deus in ma-
„ nibus Latinorum, quia spretis azymis veritatis sacrificari in
„ fermento veteri præsumebant, & Spiritum Sanctum a solo
„ Patre procedere asserebant, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ de-
„ bitam obedientiam denegabant. Ideo conversa est eorum
„ hæreditas ad Latinos, & domus eorum ad extraneas natio-
„ nes. (*a*) Veneti autem qui fuere hujus tantæ victoriæ cau-
„ sa efficiens, & materialis Urbis Imperium cum Gallicis di-
„ viserunt (*b*). Sublatis igitur infinitis, & inestimabilibus Ec-
„ clesiarum thesauris remanserunt Ecclesiæ ministris, & offi-
„ ciis viduatæ, potentiores autem viri Ecclesias, palatia, vi-
„ cos ipsius urbis ad invicem dividebant. Unde contigit,
„ quod quidam Nobiles Veneti Ser Marcus Zorzanus (*c*) &
„ Martinus Frater ejus habuerunt in parte sua Monasterium
„ Pychosostræ (*d*) idest Salvatoris animarum in Contrata, quæ
„ dicitur Gella (*e*) quod Monasterium dederunt Venerabili
„ Joanni (*f*) Priori S. Danielis de Venetiis, ad habendum,
„ & tenendum vice & nomine dicti Monasterii S. Danielis;
„ est autem in eadem Contrata ultra stratam ex Occidentali
„ parte alia Ecclesia, quæ a Græcis vocatur Theotocos (*g*)
„ idest Genitricis Dei. Huic Priori successit in dicto Mona-
„ sterio S. Danielis Robaldus (*h*) vir religiosus, & timens
„ Deum,

(*a*) Capta fuit Urbs Constantinopolitana a Gallis & Venetis die XII. Aprilis anno 1204.

(*b*) De divisione Imperii Orientalis seu Romaniæ inter Gallos & Venetos fusius scribit Andreas Maurocenus *Aquisto di Constantinopoli*. Ramnusius, & alii.

(*c*) Zorzani ita dicti a Petro Calo Gorzii appellantur a Papebrochio, verius autem nuncupandi sunt Georgii, veneto vernaculo Zorzi; Familia antiquæ apud Venetos nobilitatis.

(*d*) Nullam de hac Ecclesia mentionem ingerit Cangius in sua Constantinopoli Christiana; quod etiam notat Papebrochius.

(*e*) Vicus seu Platea quæ a Papebrochio legitur *Contrada Bella* in autographo Calotii vocatur *Gella*, nec de ea tamen aliquid protulit Cangius.

(*f*) Joannem Priorem S. Danielis Venetias transtulisse corpus S. Joannis Mart. narrat Nicolaus Manerbius Monachus Camaldulensis post finem vitæ ipsius Sancti Joannis appositæ simul cum aliis pluribus ad calcem Legendarii Sanctorum per Jacobum de Voragine latine concinnati, & a Manerbio in Italicum deducti, minor tamen fides adhibenda est huic authori, cum ab eo dissentiant Dandulus & Calotius, qui sacrum corpus a Rodoaldo Joannis successore Venetias deductum asserunt.

(*g*) Nihil de hac Ecclesia refert Cangius in sua Constantinopoli Christiana.

(*h*) Prior hic diversimode nominatus legitur; Calotius enim Robaldum, Dandulus Roaldum appellat, in aliis vero documentis Rodoaldum nuncupatum reperi.

„ Deum, qui elapso parvo temporis spatio ivit Constantinopolim ad visitandum Monasterium Sychostre, & cum staret 14. Kal. Aprilis contra januas dicti Monasterii vidit multitudinem virorum, & mulierum gentis Græcæ cum summa devotione accedere ad dictam Ecclesiam Theotocos, & interrogans causam tanti concursus audivit quod ibi requiesceret corpus S. Joannis M. & quod tempore prosperitatis Urbis illius omnes tam de urbe, quam de circumstantibus locis illuc currere solebant. Ab illo ergo die cœpit cogitare, quomodo posset illud corpus Venetias deferre. In Ecclesia autem ista nullus erat Minister, sed certus qui alibi morabatur januas Ecclesiæ seris & clavibus obfirmabat. Prior autem ille zelo Dei ductus cum quoddam Monacho, & quoddam Præsbytero & uno Servitore Græco ad locum clam accessit; & ingrediens cum illis Ecclesiam per quamdam fenestram aperuit capsam miro opere exornatam & extrahens inde corpus Sancti per eamdem fenestram involvit illum in sindone munda, & reposuit latenter in Monasterio Pychosostre; capsam, in qua ipsum jacuerat, faciens studiosus reaptari, ne supretionis insignia comparerent, & misit corpus illud sanctum in navi, simulans aliud esse, ne nautæ impedirent (*a*) & sic Venetiæ est delatum & in Monasterio Sancti Danielis repositum Anno Domini 1214. 5. Non. Julii ubi Deus multa beneficia elargitur (*b*).

Templi hujus tanto thesauro ditati decus augeri curavit Albertus Prior, qui post superius laudatum Rodoaldum Monasterii regimen susceperat, cumque iis temporibus anno scilicet MCCXIX. Venetias advenisset Ugolinus Cardinalis Ostiensis de

Y 2 quo

(*a*) De superstitione aliquorum innuit, qui putant corpora defunctorum in navibus delata tempestates & turbines excitare.

(*b*) Plurima miracula per B. Joannis intercessionem a Deo patrata fuisse testantur tum Monasterii documenta, & plurima anathemata ad ejus aram appensa, tum constans Sanctimonialium traditio. Horum aliqua in Translationis historia recensentur, unum autem & novitate, & constantia prodigii omnibus præstat. Quoties enim alicujus Sanctimonialis imminet extremus vitæ terminus, id eis Sanctus Martyr aliquot diebus ante prænuntiat, leni quodam motu interiora arcæ percutiens, eoque signo Sanctimoniales admonet, ut sese ad nuptias adventante sponso disponant; Prodigium quidem admirabile, quodque per tot sæcula non interrupto successu ad hæc usque tempora perseverat.

quo jam ad Monasterium Virginum verba fecimus, eam nactus occasionem Albertus, ab ipso, ut Ecclesiæ S. Danielis munus consecrationis impenderet, impetravit. Solemni pompa res acta est; siquidem præter Cardinalem Legatum festivitati interfuerunt Angelus Barotius Patriarcha Gradensis, Marcus Nicola Castellanus, Albertus Rezatus Brixiensis, Nicolaus Maltraversus Vicentinus, & Regiensis, Philippus Patavinus, Pomposæ Abbas Feltrensis Episcopus, atque Episcopus Sithiensis, qui omnes Christi fidelibus ad festum Consecrationis advenientibus certas criminum remissiones indulserunt. Marmori incisa fuit ne temporum injuriis deperiret Consecrationis memoria, quæ inopportuno consilio coriis modo tegitur inauratis ad contemptibilem Ecclesiæ ornatum dispositis.

„ ✠ Anno Domini MCCXIX. Indictione septima; die septimo intrante Februario. Tempore Honorii Pape Regnante Frederico Rege, existente Domno Alberto Priore inferius dicte Ecclesie ad honorem Dei, & S. Danielis Prophete consecrata est hec Ecclesia a Domno Ugholino Episcopo Hostiensi Cardinali Urbis Romæ Delegato a Domino Papa cum quo Domnus Angelus Gradensis Patriarcha, & Marcus Nichola Castellensis Episcopus, Brixiensis Episcopus, Vicentinus & Regiensis Episcopus, Feltrensis Episcopus, & Sithiensis Episcopus. Notum omnibus facimus tercia die ante, vel post Consecrationis festum hujus Templi advenientibus quod injuncta sibi pœnitentia absolutionem, indulgentiam, & remissionem ex parte supradicti Domni Ugolini, & Domni Angeli Patriarchæ & aliorum Coepiscoporum XL. dierum de Criminalibus, & tertiæ partis de Venialibus consequentur.

Subsequenti post peractam consecrationem anno Marcus Nicola piissimus Episcopus Castellanus, *pro eo quod* Prior & Fratres Monasterii S. Danielis sibi, *& Ecclesiæ Castellanæ obedientes & devoti* extiterant, vitamque *secundum Deum, & B. Benedicti regulam* ducebant *laudabilem, & honestam*, aliorumque auxilio ad vitæ sustentationem indigebant, *de consensu & voluntate Canonicorum Ecclesiæ Castellanæ Alberto Priori, & Fratribus* prædicti *Monasterii S. Danielis* dedit, atque concessit *totum ipsum lacum in confinio S. Petri de Castello positum cum suo aggere, & terra illa, supra quam domus lignea, &*

molen-

molendina duo erant ædificata, statuto censu *unius metri* (metrum olei vulgo miro d'oglio ex libris 25. ponderis constat) *boni olei annuatim octo dies ante festum SS. Apostolorum Petri & Pauli, vel octo dies* post Episcopo Castellano solvendi. Donationis instrumentum anno MCCXX. die XI. Aprilis confectum affert Ughellus Tom. V. col. 1256. nec tamen Apostolicam Honorii III. confirmationem affert, qua ipse Pontifex concessionem lacus *a Castellano Episcopo de capituli sui assensu pia & provida liberalitate collati* Pontificii *scripti* patrocinio communivit; Datis *Alatri* epistolis die XXVI. Maii Anno MCCXXII. (H) Statuti census solutionem inviolatam perdurasse testantur Monasterii documenta, ex quibus unum ad exemplum affero, quo Episcopalis *Camerlengus* se recepisse fatetur die 29. Junii anno 1305. a Fratre Rufino Monacho Monasterii S. Danielis vigintiquinque libras olei pro livello lacus (I).

Circa ea tempora cum ad Reipublicæ præsidium Senatus Venetus Navale construi decrevisset, ad amplissimæ fabricæ constructionem in extrema urbis parte opportuniorem locum elegit, qui inter illustria S. Mariæ de Virginibus & S. Mariæ de Cælestibus Monasteria situm erat; Cum vero eo circuitu supradictus lacus Monasterio S. Danielis olim oblatus comprehenderetur, ad eas conditiones publico nomine deventum est, ut Priore lacum ad magnifici operis ampliationem concedente Dux & Comune Venetiarum certam pecuniæ quantitatem annuatim a Monasterio exigendam assignaret. Compositam rerum commutationem confirmavit decreto S. C. die 21. Novembris anno MCCCXXV. (K) atque die XX. subsequentis Decembris præhabito Fructuariensis Abbatis assensu in publicas tabulas redegit Nicolaus de Marchesino Notarius, & Ducatus Veneti Scriba (L). Conventionem ratam habuerunt Canonici Castellani die XVIII. Aprilis subsequentis anni MCCCXXVI. (M) quam & sua postmodum approbatione roboravit Jacobus Episcopus Castellanus die XXVI. ejusdem mensis, ut videre est in annot. ad Ughell. Tom. V. col. 1275. Bonifacium Priorem ad annum 1337. & Petrum de Bugiela Priorem ad annum 1366. superius, ubi de Ecclesia S. Martini de Tripoli actum est adnotavimus, an alii circa hæc tempora Prioratum administraverint ex documentis non liquet, hoc tantummodo constat ex Apostolicis Urbani VI. Epistolis, Fratrem Georgium de San-

Sancto Georgio de Pedemontium ante annum 1388. Prioratum Monasterii, & quidem pessime exercuisse. Eo enim tempore cum ex diri schismatis violentia divina humanaque omnia turbata essent, atque fidelium obedientia pro arbitrio varie distracta esset, Georgius quoque, Roberto Antipapæ, qui se Clementem VII. appellabat, notorie adhæsit & favere præsumpsit. Hoc cum ad Urbani notitiam delatum esset, mandavit ipse Pontifex Carolo S. Georgii Majoris Venetiarum Abbati, ut hac super re *inquireret diligentius veritatem, & si per inquisitionem hujusmodi ita esse reperisset, Georgium ipsum Priorem sententialiter declararet fuisse privatum.* Pontificiæ litteræ datæ fuerunt Lucæ die XIII. Junii MCCCLXXXVII. Post hæc per alias ejusdem Pontificis Epistolas datas Ferrentini die 26. Augusti MCCCXXXVIII. idem Carolus Abbas in mandatis accepit, *ut si per inquisitionem eundem Georgium præfato Roberto adhæsisse aut alia comisisse inveniret propter quæ dicto Prioratu merito privari deberet, ipsum Georgium prædicto Prioratu sententialiter privaret, & amoveret realiter, atque in ejus locum Antonium Gallinam Monasterii S. Georgii Majoris Monachum rite institueret.* Hæc omnia ad Pontificis jussa exequenda diligenter adimplevit Carolus Abbas, comperto enim *a fide dignis testibus, & omni exceptione majoribus*, quod dictus Georgius Clementi Antipapæ notorie adhæsisset, atque alia plurima, eaque gravissima crimina perpetrasset, ipsum *pro tribunali sedens per diffinitivam sententiam Prioratu privandum fore & esse* decrevit die VI. Martii anno MCCCLXXXIX. indeque biennio transacto *dictum Prioratum S. Danielis, qui a Monasterio de Fructuaria Ordinis S. Benedicti Iporiensis Diocesis dependebat, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis præfato Fratri Antonio contulit, ipsumque coram se flexis genibus constitutum de ipso Prioratu cum quodam annulo aureo actualiter investivit;* atque duodecima ejusdem mensis die *in ejusdem Prioratus possessionem posuit, & induxit.* Initæ possessionis solemnitati cum aliis pluribus interfuerunt Gibertus Civitatis Novæ Episcopus, atque Franciscus Monasterii S. Leonardi de Methamauco Abbas (N). Antonio e vivis sublato delectus fuit ad Monasterii regimen Domitius, eique deinde a Bonifacio Papa IX. datus fuit successor alter supradictæ Gentis Gallinæ vir nomine Jacobus. Hoc ex Pontificio Joannis XXIII. Diplomate deprehenditur, quo idem Pon-

Pontifex Archipresbytero Ecclesiæ S. Martini de Plebe Sacci Paduanæ Diœcesis mandavit, *ut Prioratum S. Danielis de Venetiis Ord. S. Benedicti Castellanæ Diœcesis, quem quondam Jacobus Gallina ipsius Prioratus Prior, dum viveret, obtinebat, per ejusdem Jacobi obitum vacantem*; Fratri Thomæ Salomonio Ordinis Prædicatorum conferret, *qui de eodem Ordine Fratrum Prædicatorum ad dictum Ordinem S. Benedicti, ad quem singularis devotionis affectum gerebat, transferri desiderabat, ac dictum Ordinem S. Benedicti profiteri. Cum autem prædictus Thomas ad eundem Ordinem S. Benedicti transire, illumque profiteri* ex voto recusasset, Joannes Pontifex anno MCCCCXIV. Francisco Bembo Episcopo Castellano in mandatis dedit, ut renuntiatione ipsius Thomæ suscepta, Nicolaum Rizardum de Verona Ord. Fratrum Heremitarum S. Augustini professorem ad ordinem S. Benedicti deduceret, atque ipsius regulari professione recepta Prioratum prædictum S. Danielis ipsi Nicolao authoritate Apostolica conferret, & assignaret. Pontificia mandata exequutioni mandavit supralaudatus Episcopus, atque in acta publica redigi decrevit anno MCCCCXIV. die VI. Octobris (O).

Ex funesta eorum temporum conditione, quum schisma pertinaciter protraheretur, luctuosas vices subierunt redditus, & disciplina Monasterii æquo gradu ad exitium properabat, ex quo factum est, ut jam Priore solo absque Monachis in Cœnobio existente & divini cultus officia negligerentur, & sacra ædificia ad irreparabilem ruinam pergerent. Hisce malis cum ob proventuum inopiam Michael de Sibinicho Prior superius enuntiati Nicolai successor occurrere nullatenus posset, ne ædificiis jam ex magna parte labefactatis ulteriora damna provenirent, in eo omne studium contulit, ut aliqua ratione *Monasterium reficeretur, & divina gratia suffragante concresceret*. Eapropter cum quædam pia mulier Clara Omnebonum Sustani nomine cum nonnullis aliis *commendabilis vitæ* fœminis *Divini numinis* afflatu *locum decentem reperire* optarent, *ubi sanctimoniis, ac opibus fructiferis degere, ac vivere valerent*, eam nactus occasionem Michael Prior cum ipsis ad hæc pacta devenit, ut retento sibi ejusdem Monasterii Priorali titulo cum omnibus ejusdem redditibus, & possessionibus, Ecclesiam atque contigua ædificia piis mulieribus ad inhabitandum concederet, ut in iisdem Monasterium (accepta prius Apostolicæ Sedis facultate

cultate) erigeretur, in quo perpetuis temporibus Domino famularentur (P).

His ex concordi partium voluntate statutis supralaudata Clara Apostolicæ confirmationis robur pro rerum firmitate, ut accederet, imploravit, datisque ad Eugenium Papam IV. supplicibus libellis exposuit, quod ipsa & quædam aliæ Venetæ mulieres *in ruinoso S. Danielis Prioratu*, qui *de jure patronatus* erat *quorumdam Nobilium Venetorum* Deo famulari decreverant *sub regulari habitu per Moniales Monasterii S. Andreæ de Girada de Venetiis Ord. S. Augustini, ideoque structuras, & ædificia Prioratus bujusmodi debite restaurare desiderabant*. His acceptis Eugenius Divo Laurentio Justiniano tunc temporis Castellano Episcopo dedit in mandatis anno MCCCCXXXVII. die XV. Octobris ut si *informatione recepta ita esse reperiret, & ad id præfatorum nobilium expressus accederet assensus illam ex dictis mulieribus, quam Priorissa dicti Monasterii S. Andreæ constitueret, in ejusdem Prioratus possessionem induceret, ipsumque Prioratum per eam ac alias omnes dicti ordinis, quæ inibi juxta ritus, mores, consuetudines, & instituta præfati Monasterii S. Andreæ, ac illius Priorissæ & Monialium vivere deberent, regendum, & gubernandum fore sub perpetuæ administrationis titulo decerneret, & ordinaret, nec non Michaeli Priori titulum Prioratus bujusmodi, quoad viveret, cum reservatione annuæ pensionis ad sustentationem ipsius sufficientem concederet, ac eo cedente, vel decedente in dicto Prioratu Ordinem S. Benedicti supprimeret, atque Ordinem S. Augustini institueret, ipsumque Prioratum in Conventualem erectum uni ex Clara & aliis mulieribus præfatis, quam ipse, postquam professæ existerent, duceret eligendam, cum omnibus juribus suis assignaret*.

Cum autem ad Pontificii Diplomatis executionem S. Episcopus devenisset die XVIII. Decemb. ejusdem anni MCCCCXXXVII. (Q) Michael, quem factæ concessionis jam pœnituerat se ab Episcopo injuste gravatum simulans *ad Apostolicam Sedem appellavit*. Quæstio primum *Auditori causarum Palatii Apostolici* commissa, mox ad humiles supralaudatæ Claræ preces Thomæ Thomasino Episcopo Rechanatensi, atque Magistro Fantino ejusdem Diœcesis Clerico fuit demandata. Delegatis hisce Judicibus Eugenius Pontifex per Apostolica scripta præcepit, ut *sine strepitu & figura judicii* de omnibus diligenter inquirerent

rerent

ferent ac rerum veritate explorata nisi dictus *Michael infra unius mensis spatium pecuniæ quantitatem* pro Monasterii reparatione necessariam *realiter deposuerit*, eidem Michaeli perpetuum silentium imponeretur, atque reservata ipsi congrua ad sustentationem vitæ pensione, Divi Danielis Prioratum Claræ ejusque sociis ad tenorem præcedentium litterarum Apostolica auctoritate assignarent. Datum fuit Ferrariæ Diploma die VI. Martii anno juxta stylum Bullarum MCCCCXXXVII. æræ nempe vulgaris 1438. (R)

Constanti Pontificiæ voluntatis vigore perterritus Prior in pactas olim conventiones voluntarie descendit, acceptaque pro sui alimonia annua centum ducatorum pensione Cœnobium & Ecclesiam cum omnibus ipsorum bonis & redditibus resignavit. Statutas utrimque conditiones in publicas tabulas anno MCCCCXXXVIII. die XII. Martii Henricus Notarius redegit (S).

Prioratu ad Monasterii formam rite deducto Innocentius hujus nominis VIII. Sanctimonialibus quæ in eo *juxta constitutiones Monasterii S. Andreæ de Girada cum odore bonæ famæ* vivebant anno MCCCCLXXXII. benigne indulsit, ut omnibus *privilegiis*, *gratiis*, & indultis gauderent, quæ in S. Andreæ Monasterio ex prædecessorum suorum Romanorum Pontificum liberalitate devenerant (T).

Altero etiam Decreto ad Eugeniæ Priorissæ & Monialium preces lato idem Pontifex decrevit, ut Monasterium, quod per Priorissam perpetuam usque adhuc administratum fuerat de cætero *per triennalem Priorissam regeretur, & gubernaretur, & hujusmodi triennio finito ipsæ Moniales Capitulum inter se celebrare, & diligenter examinata administratione illius, quæ per hujusmodi triennium Priorissa fuerat, si eis videretur illam ad aliud triennium confirmarent, alioquin aliam ejusdem Monasterii Monialem in Priorissam triennalem dumtaxat eligere deberent*. Sub hæc ferme decreta Alexander VI. qui Innocentio in Apostolica Sede successerat, Constantiæ Sanctimonialis in Priorissam electæ *supplicationibus inclinatus* prædecessoris ordinatione revocata concessit, ut ad Monasterii ejusdem quietem (ita ei imposuerat in supplici libello Constantia) Priorissa Cœnobii regimen, dum viveret administraret. Ex hoc cum *inter easdem Moniales rixæ & discordiæ quamplurimæ exortæ fuissent*

cultate) erigeretur, in quo perpetuis temporibus Domino famularentur (P).

His ex concordi partium voluntate statutis supralaudata Clara Apostolicæ confirmationis robur pro rerum firmitate, ut accederet, imploravit, datisque ad Eugenium Papam IV. supplicibus libellis exposuit, quod ipsa & quædam aliæ Venetæ mulieres *in ruinoso S. Danielis Prioratu*, qui *de jure patronatus* erat *quorumdam Nobilium Venetorum* Deo famulari decreverant *sub regulari habitu per Moniales Monasterii S. Andreæ de Girada de Venetiis Ord. S. Augustini, ideoque structuras, & ædificia Prioratus hujusmodi debite restaurare desiderabant*. His acceptis Eugenius Divo Laurentio Justiniano tunc temporis Castellano Episcopo dedit in mandatis anno MCCCCXXXVII. die XV. Octobris ut si *informatione recepta ita esse reperiret, & ad id præfatorum nobilium expressus accederet assensus illam ex dictis mulieribus, quam Priorissa dicti Monasterii S. Andreæ constitueret, in ejusdem Prioratus possessionem induceret, ipsumque Prioratum per eam ac alias omnes dicti ordinis, quæ inibi juxta ritus, mores, consuetudines, & instituta præfati Monasterii S. Andreæ, ac illius Priorissæ & Monialium vivere deberent, regendum, & gubernandum fore sub perpetuæ administrationis titulo decerneret, & ordinaret, nec non Michaeli Priori titulum Prioratus hujusmodi, quoad viveret, cum reservatione annuæ pensionis ad sustentationem ipsius sufficientem concederet, ac eo cedente, vel decedente in dicto Prioratu Ordinem S. Benedicti supprimeret, atque Ordinem S. Augustini institueret, ipsumque Prioratum in Conventualem erectum uni ex Clara & aliis mulieribus præfatis, quam ipse, postquam professæ existerent, duceret eligendam, cum omnibus juribus suis assignaret*.

Cum autem ad Pontificii Diplomatis executionem S. Episcopus devenisset die XVIII. Decemb. ejusdem anni MCCCCXXXVII. (Q) Michael, quem factæ concessionis jam pœnituerat se ab Episcopo injuste gravatum simulans *ad Apostolicam Sedem appellavit*. Quæstio primum *Auditori causarum Palatii Apostolici* commissa, mox ad humiles supralaudatæ Claræ preces Thomæ Thomasino Episcopo Rechanatensi, atque Magistro Fantino ejusdem Diœcesis Clerico fuit demandata. Delegatis hisce Judicibus Eugenius Pontifex per Apostolica scripta præcepit, ut *sine strepitu & figura judicii* de omnibus diligenter inquirerent

rerent

rerent ac rerum veritate explorata nisi dictus *Michael infra unius mensis spatium pecuniæ quantitatem* pro Monasterii reparatione necessariam *realiter deposuerit*, eidem Michaeli perpetuum silentium imponeretur, atque reservata ipsi congrua ad sustentationem vitæ pensione, Divi Danielis Prioratum Claræ ejusque sociis ad tenorem præcedentium litterarum Apostolica auctoritate assignarent. Datum fuit Ferrariæ Diploma die VI. Martii anno juxta stylum Bullarum MCCCCXXXVII. æræ nempe vulgaris 1438. (R)

Constanti Pontificiæ voluntatis vigore perterritus Prior in pactas olim conventiones voluntarie descendit, acceptaque pro sui alimonia annua centum ducatorum pensione Cœnobium & Ecclesiam cum omnibus ipsorum bonis & redditibus resignavit. Statutas utrimque conditiones in publicas tabulas anno MCCCCXXXVIII. die XII. Martii Henricus Notarius redegit (S).

Prioratu ad Monasterii formam rite deducto Innocentius hujus nominis VIII. Sanctimonialibus quæ in eo *juxta constitutiones Monasterii S. Andreæ de Girada cum odore bonæ famæ* vivebant anno MCCCCLXXXII. benigne indulsit, ut omnibus *privilegiis*, *gratiis*, & indultis gauderent, quæ in S. Andreæ Monasterio ex prædecessorum suorum Romanorum Pontificum liberalitate devenerant (T).

Altero etiam Decreto ad Eugeniæ Priorissæ & Monialium preces lato idem Pontifex decrevit, ut Monasterium, quod per Priorissam perpetuam usque adhuc administratum fuerat de cætero *per triennalem Priorissam regeretur, & gubernaretur, & hujusmodi triennio finito ipsæ Moniales Capitulum inter se celebrare, & diligenter examinata administratione illius, quæ per hujusmodi triennium Priorissa fuerat, si eis videretur illam ad aliud triennium confirmarent, alioquin aliam ejusdem Monasterii Monialem in Priorissam triennalem dumtaxat eligere deberent*. Sub hæc ferme decreta Alexander VI. qui Innocentio in Apostolica Sede successerat, Constantiæ Sanctimonialis in Priorissam electæ *supplicationibus inclinatus* prædecessoris ordinatione revocata concessit, ut ad Monasterii ejusdem quietem (ita ei imposuerat in supplici libello Constantia) Priorissa Cœnobii regimen, dum viveret administraret. Ex hoc cum *inter easdem Moniales rixæ & discordiæ quamplurimæ exortæ fuissent*

Alexandri *statutum acceptare noluerunt*, atque ipsa Constantia, quæ turbationis causam inconsiderate promoverat, oneri renuntiavit. In ipsius locum suffecta Euphrosina Veneria suo, & Sanctimonialium nomine Summo Pontifici Alexandro *humiliter supplicavit, ut pro earum quiete, & Monasterii pacifico statu litteris Innocentii prædecessoris Apostolicæ approbationis robur adjicere dignaretur*. Votis annuit Pontifex, revocatisque, quas ad Constantiam dederat, prioribus litteris, Innocentii constitutionem approbavit, eamque *perpetuæ firmitatis robur obtinere* decrevit. Latum fuit confirmationis decretum anno MDIX. die I. Julii, cujus *transumptum* in publicam formam redegi mandavit anno sequenti Petrus de Vincentia Episcopus Cesenatensis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor (V).

Alias quoque Sanctimonialium supplicationes excepit Apostolica benignitate Alexander, atque ut *sub regulari observantia melius perseverare, & salubria monita pro Monasterii conservatione suscipere* possent, ipsas, *quæ tunc Præsbyteros seculares in confessores habebant, sub totali regimine, & correctione* Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Regularis Observantiæ Congregationis Lateranensis supposuit. Cum autem *ex griseo seu beretino* habitu, quem adhuc gestabant, ab aliis ejusdem Congregationis Sanctimonialibus nimium discordare viderentur, apud Julium II. preces adhibuerunt, ut sicuti in vita & moribus, ita & in habitu uniformitas appareret. Accedentibus ad hæc etiam Rectoris Generalis ejusdem Congregationis enixis instantiis, Julius datis ad Priorissam, quam a tergo Diplomatis Abbatissam nuncupavit, cæterasque Moniales Apostolicis litteris die XXXI. Augusti MDIX. indulsit, ut habitum a Sanctimonialibus Congregationis Lateranensis deferri solitum ipsæ quoque gestarent, iisdemque gratiis & privilegiis uterentur, quibus aliæ ejusdem Congregationis Sanctimoniales ipsique Canonici Regulares Lateranenses ex Apostoca liberalitate cumulati fuerant (X).

Sub Lateranensium Canonicorum regimine perduravit Sancti Danielis Monasterium usque ad annum MDCIV., quo anno seu voluntarie, ut asserit Gabriel Pennotus ejusdem Congregationis Historicus, seu coacte, ut innuere videntur Clementis Papæ VIII. Apostolicæ litteræ, ab ejus gubernio Canonici Latera-

teranenses se se subduxerunt, atque ex Pontificio Decreto Sanctimoniales in Veneti Patriarchæ subjectionem devenerunt.

Hæc de Monasterii exemptione tradit Pennotus l. 2. c. 24. n. 4.

„ Venetiis est Monasterium cum primis nobile sacrarum Vir-
„ ginum Canonissarum nostræ Congregationis S. Danielis nun-
„ cupatum, cujus tamen regimen Abbas S. Mariæ Charitatis
„ anno 1604. justissimis & honestissimis ex causis, in mani-
„ bus Illustrissimi Patriarchæ, nec non etiam Serenissimi Du-
„ cis, quibus jubentibus ante centum circiter annos prædeces-
„ sores illius coacti illud susceperant, sponte resignavit, & ita
„ congregationem præter expectationem gravissimis curis libe-
„ ravit. In eadem Civitate erat aliud collegium canonissarum
„ S. Mariæ de Virginibus, quæ nescio an nunc etiam cum
„ regula canonica perseverent.

Idem lib. 3. cap. 12. num. 6. " Anno 1502. Sanctimoniales
„ S. Danielis curante Duce Leonardo Lauredano, & jubente
„ Alexandro VI. curæ & regimini Abbatis S. Mariæ Charita-
„ tis, & totius Congregationis subditæ fuerunt: sub qua per
„ annos centum manserunt; cum autem longa experientia di-
„ dicissent Abbates Monasterii Charitatis, illorum auctorita-
„ tem conditione temporum ad earum regimen non amplius
„ sufficere, D. Petro Veneto Abbate cum Serenissimo Prin-
„ cipe secreto rem agente curæ ac regimini Patriarchæ Vene-
„ tiarum traditæ sunt.

Idem lib. 3. cap. 50. num. 4. " Venetiis monasterium Sancti
„ Danielis, quod instante Serenissimo Venetorum Duce cum
„ Patriarcha sub cura congregationis susceptum anno 1605.
„ Abbas S. Mariæ Charitatis, quod ejus autoritas ad illud
„ regendum minus sufficere videretur, ut in litteris dimissio-
„ nis exprimitur, in manibus Summi Pontificis resignavit.

Apostolicas Clementis VIII. Epistolas Cœnobium S. Danielis a Canonicorum Lateranensium gubernio eximentes, & Venetiarum Patriarchæ subjicientes ex Autographo in Monasterii Archivo asservato exhibemus Matthæo Zane Venetiarum eo temporis Patriarchæ directas die XIX. Maii anno MDCIV.

CLEMENS PAPA VIII.

„ VEnerabilis Frater Salutem, & Apostolicam Benedictio- „ nem. Cupientes regimini, & gubernio Monasterii Mo- „ nialium S. Danielis Venetiarum, quod a Canonicis Regu- „ laribus gubernatur, quantum cum Domino possumus opportu- „ ne providere ac de tuæ fraternitatis prudentia fide integri- „ tate & Religionis zelo plurimum in Domino confisi motu „ proprio & ex certa scientia ac mera deliberatione nostris „ deque apostolicæ potestatis plenitudine, monasterium præfa- „ tum illiusque pro tempore Abbatissam, seu Priorissam, & „ Moniales, ac res, & bona quæcumque a cura, gubernio, „ & regimine dictorum Canonicorum perpetuo tollimus & „ adimimus, illasque, & illa tuæ, & successorum tuorum pro „ tempore existentium Ecclesiæ Patriarchalis Venetiarum Præ- „ sulum curæ, gubernio, & regimini tam in spiritualibus, „ quam in temporalibus auctoritate Apostolica tenore præsen- „ tium perpetuo committimus. Mandantes propterea in vir- „ tute Sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nomine, ac „ aliis pœnis, & censuris Ecclesiasticis per te infligentis supe- „ rioribus & Canonicis Regularibus præfatis, ne se de cætero „ in gubernio, & regimine dicti Monasterii, ejusque Abbatis- „ sæ seu Priorissæ, & Monialium, rerum & bonorum hujus- „ modi intromittere audeant, seu præsumant. Ipsis vero Ab- „ batissæ seu Priorissæ, & Monialibus ut te de cetero in ea- „ rum superiorem habeant & recognoscant, ac tua salubria „ monita & mandata suscipiant humiliter, & efficaciter adim- „ plere procurent. Ceterum eisdem Abbatissæ, seu Priorissæ ac „ Monialibus nunc, & pro tempore existentibus concedimus, „ & indulgemus, ut sub tua hujusmodi obbedientia viventes „ omnibus, & singulis gratiis, indultis, indulgentiis, privile- „ giis, exemptionibus, & libertatibus quibus aliæ ejusdem Or- „ dinis Moniales frui, potiri & gaudere solent, ac possunt,

„ & po-

„ & poterunt quomodolibet in futurum sine aliqua prorsus „ differentia frui, potiri, & gaudere possint, & valeant, æque „ ac si sub cura, & gubernio dictorum Canonicorum existerent, „ nec desuper a quoque quovis pretextu, causa & occasione „ molestari perturbari, vel inquietari possint ac irritum decer- „ nimus, & inane quicquid secus super his a quoque quavis „ auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non „ obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, „ ac dicti Monasterii, & illius ordinis etiam juramento con- „ firmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, „ statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & „ litteris Apostolicis dictis superioribus, & Canonicis ac Mo- „ nasterio & Monialibus, seu quibusvis aliis in contrarium „ præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & appro- „ batis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ „ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 19. Maii „ 1604. Pont. Nostri ann. XIII.

„ M. Vestrius Barbianus.

Post hæc, cum ad illustris Monasterii prærogativas omni ex parte complendas una tantummodo deesset, nempe ut Monasterii Antistita, quæ ex veteri consuetudine Priorissa nuncupabatur, titulo Abbatissæ decoraretur, hoc etiam ad ipsius Cœnobii ornatum accessit anno MDCLIX., eo siquidem anno die XVIII. Februar. Alexander Papa VII. cui innotuerat hasce Sanctimoniales & generis nobilitate, & morum integritate nulli cedere Monasterio, quod per Abbatissas regeretur, Apostolica benignitate *de Ven. S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium Præpositorum consilio* indulsit, ut Monasterii Præses, quæ eo usque Priorissæ denominationem obtinuerat, digniori deinde Abbatissæ nomine potiretur (Y).

Præter superius memoratas S. Joannis Martyris exuvias, alias etiam Ecclesia hæc possidet Sanctorum Reliquias, quæ sunt

Digitus S. Joannis Chrysostomi.

De Costis SS. Apostolorum Jacobi Minoris, Philippi, & Matthiæ.

De Maxilla cum uno dente Ven. Bedæ Presb. & Monaci.

Nodulus S. Quirici pueri & Martyris.

De

De Ossibus SS. Petri & Pauli Apostolorum; atque Joannis, & Pauli Martyrum.
Articulus S. Margaritæ Virg. & Martyris.
Ex Osse S. Danielis Titularis Prophetæ.

Index Chronologicus Priorum S. Danielis Venetiarum.

1138. Leo de Molino. Ex lapide.
1165. Arnaldus. Ex Bulla Alexandri III.
1177. Petrus. Ex Bulla secunda Alexandri III.
1180. Aicardus. Ex Diplomate Joannis Episcopi Æmoniensis.
1204. Joannes. Ex Historia Translationis S. Joannis Martyris.
1217. Rodoaldus. Ex Historia supradicta.
1220. Albertus. Ex lapide Consecrationis.
1230. Urpelinus. Ex sententia Judicum Æmoniensium.
1276. Rodulphus. Ex Catastico Monasterii.
1337. Bonifacius de Castromonte. Ex eodem Catastico.
1366. Petrus de Bugiella. Ex Catast. eodem.
1387. Georgius de Sancto Georgio de Pedemontium. Ex Bulla Urbani VI.
1388. Antonius Gallina. Ex supradicta Bulla.
Domicius. Ex Bulla Joannis Papæ XXIII.
Jacobus Gallina. Ex eadem Bulla.
1414. Thomas Salomonius Ordinis Prædicatorum, qui recusavit Prioratum. Ex eadem Bulla.
1414. Nicolaus Vizzardi Ordinis Fratrum Heremitarum.
1437. Michael de Sibinico ultimus Priorum. Ex bulla Eugenii Papæ IV.

Sequitur Series Priorissarum & Abbatissarum Monasterii S. Danielis.

1437. Clara Omnebonum Sustana.
1460. Marta.
1464. Cecilia Gavazza.
1487. Eugenia Venerio impetravit, ut Priorissæ deinde essent triennales.
1500. Constantia Prioratui renunciavit.
1501. Euphrosina Venerio, qua Monasterium administrante Sanctimoniales Congregationi Canonicorum Lateranensium aggregatæ habitum griseum laneum in album lineum mutaverunt.

1516.

1516. Cattherina.
1520. Angelica Contarena, Iterum 1527. 1533.
1524. Brigida Valeria. Iterum 1536. 1551. 1557.
1530. Aurelia Savina. Iterum 1539.
1542. Spes Grimana.
1554. Innocentia Octobona.
1561. Constantia Octobona. Iterum 1567.
1564. Raphaela Michael. Iterum 1573.
1570. Justina Quirina. Iterum 1579.
1576. Cornelia Octobona. Iterum 1588.
1582. Virginia Mocenico.
1585. Adeodata Bona.
1591. Elisabeth de Caballis. Iterum 1604.
1595. Clementia de Speronis. Iterum 1601. 1608.
1598. Candida Quirina. Iterum 1614.
1601. Innocentia Octobona.
1617. Excelsa Octobona.
1620. Octavia Contarena.
1623. Hipolita Emo. Iterum 1634.
1626. Samaritana Magno.
1629. Spes Molino.
1632. Seraphina Maripetro. Obiit secundo regiminis anno.
1637. Misana de Misanis. Iterum 1640.
1643. Seraphina Balbi. Iterum 1646.
1649. Augustina Octobona.
1652. Maria Emilia Capello. Iterum 1663.
1655. Foscarena Diedo. Iterum 1666. 1672.
1658. Zilia Widman, quæ Priorissæ nuncupationem ex indulto Apostolico in Abbatissæ titulum commutavit; atque exinde Sanctimoniales non Sorores, ut antea, sed Domnæ appellari cœperunt. Ob. secundo regiminis ann.
1660. Lucretia Cernovichia. Iterum 1669. 1675.
1678. Regina Widman. Iterum 1681. 1687.
1684. Clara Capello. Iterum 1693.
1690. Benedicta Capello. Iterum 1696. 1699. Obiit tertia tertii regiminis mense.
1700. Blancha Grimana. Iterum 1703.
1706. Maria Stella Ruzina. Iterum 1712.
1715. Obiit secundo hujus regiminis anno.

1709.

1709. Maria Elisabeth Rettano.
1717. Maria Celestina Aggazzia. Iterum 1721. 1727.
1724. Sigismunda Barbarana.
1730. Maria Teresia Bembo. Iterum 1733. 1736.
1739. Maria Paulina Sagredo. Iterum 1742.
1745. Maria Lucretia Sagredo. Iterum 1748.

Marina Bugari donat Dominico Muysolo duas salinas que firmant in salina de S. Daniele Gemino commune.

A 1084. Novembris.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno incarnationis ejusdem Redemptoris nostri millesimo octuagesimo quarto mense novembri indictione octava rivoalto. Magnus donacionis est titulus ubi casus largitatis nullus repperitur sed ad firmamentum muneris sufficit animus largientis. Quapropter ego quidem Marina filia Sanbadino bugari & relicta jeorno marco de pupilia cum meis heredibus nullo penitus cogente aut suadente nec vim inferente, sed optima & spontanea mea bona voluntate & pro vestro multo bono & condigno merito & preclaro servicio quod mihi factum habetis in Dei & Christi nomine do, dono, concedo, atque transacto tibi quidem Dominico muysolo filio Johannis muisolo de eadem pupilia, atque bone filie mee & relictæ Johanni muisolo de eadem pupilia & vestris heredibus ac proheredibus seu posteris vestris per futurum possidendum & dominandum. Hoc est ipsas duas meas salinas quæ mihi advenit ex parte vitalis marco defuncto filio meo & sibi advenit pro documenti pagina quemadmodum ibidem legitur, & continetur quod ei fecerunt Petrus filius franco felix de vico pupilie insimul cum Dominico franco ejus fratre, atque migdonia & maria ambe sorores positas ipsas duas salinas in fundamento Johanni faletro de rivoalto quod est posito in canale de palestina uno latere de ipsis duabus salinis positis & firmante in salina de Sancto Daniele gemino commune. Alio vero latere firmante in dominico antolino de rivoalto. De jam dictis duabus designatis salinam unam tibi suprascripto dominico muisolo do, dono atque concedo, atque contrado per tuum multum & condignum meritum quod mihi factum habes. alia namque salina do tibi jamdicte Bone filie mee per tuam impromissam quam tibi fuit impromissam in ipsam tuam disponsacionem. Has .... que salinas sic ego habui & retinui ita in vestra & heredum ac proheredum vestrorum in plenissima potestate do, dono, & concedo cum suis jaglacionibus & transjaglacionibus cum suis aquis de morariis quantum ad ipsas salinas pertinet habendi cum liddis & jurgis, & geminis seu peaduris & portionibus de argere, & scamnis cum introitu & exitu, cum suis viis omnia & ex omnibus ab intus & foris quantum ad ipsas duas salinas pertinet tantum in tua & heredum tuorum potestate in perpetuum transactamus habendi, tenendi, vendendi, donandi, commutandi, & imperpetuum possidendi aut quicquid inde vobis placuerit faciendi nullo vobis homine contradicente. Salvo tamen Incensum

sum quatuor dies de sale qualescumque meliores in estate accipere placuerint ad heredes Johanni faletri imperpetuum & similiter in ecclesia Sancti Danielis dare & persolvere debetis per incensum pro omnique estate modio uno de sale per unamquamque salinam quando vero usque ad decem modios de sale elevaverit per annum & si minus dederitis modios de sale per salinam elevaverit, tunc ternos denarios per salinam ibidem dare & persolvere debeatis per ipsum incensum & si eminente peccato quod ad venundandum advenerit ipsas salinas tunc quintellum inde dare & persolvere debetis in ecclesia S. Danielis salvo suprascripto incenso quatuor dies de sale per unamquamque salinam & jamdicto modio uno de sale. Unde promittens promittimus nos quidem Marina nullo unquam tempore contra hanc presentem donacionis cartulam contrarium aliquid facturam non per me ipsam neque per meos heredes non per nullam aliam submissam personam hominum nec in vita mea, neque ad obitum meum ut quod semel datum vel donatum fuerit nullo modo revocetur. Quod si quocunque tempore contra hanc presentem donacionis cartulam quam meo bono animo vobis factam habeo ire temptavero aut aliquid retro donum aut meritum inde vobis requisiero, aut aliquid exinde vobis subtraere voluero, aut minuere presumpsero, tunc non solum reatum mendacii incurro verum etiam prostimum persolvere promitto cum meis heredibus vobis, & vestris heredibus auri libras quinque & hec donacionis cartula maneat in sua firmitate & insuper vobis dedi ipsum documentum quod fecerunt petrus filius franco felix & dominicus ejus frater & migdonia, & maria ejus sorores ad vitalem filium meum cum omni ejus vigore & robore. Signum manus suprascripte marine filie sanbadino bugari jeorno marco de pupilia que hec rogavit.

Ego Bono filio tt. ss.
Ego Johannis tt. ss.
Ego Dominicus tt. ss.

Ego Dominicus faletrus presb. & Not. complevi & roboravi.

Joannes Polanus Episcopus Castellanus, Manfredo Fructuariensi Abbati concedit Ecclesiam S. Danielis Venetiarum ad construendum Monasterium.

Ugh. Tom. v. col. 1242.

B 1138. Mense Junii.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi Anno ab incarnatione ejusdem Redemptoris nostri millesimo centesimo tricesimo octavo mense Junii Indictione prima Rivoalti. Quicquid mutuo inter partes convenit oportet scripture vinculo memorie confirmari ne decurrentibus temporibus quod inde statutum est oblivioni tradatur & jurgia generentur. Quapropter ego quidem Johannes Polani dei gratia Castellanus Episcopus cum nostris successoribus ab hodierna die in antea concedimus vobis domno manfredo Venerabili abbati fructuariensi (a) vestrisque successoribus ejusdem Congregatio-

(a) De præclara Abbatia Fructuariensi vide Mabillonium in Annalibus Ord. S. Benedicti. Sita erat hæc Abbatia in Diœcesi Eporediensi in finibus Salassorum sub Archiepiscopatu Taurinensi. Tractu temporis transiit in commendam, eamque Mauritius Cardinalis Sabaudiæ Abbas commendatarius Collegiatam instituit Canonicorum Sæcularium.

nis in perpetuum. Hoc est ecclesiam S. Danielis positam in castello ex altera ripa nostri Episcopatus. Ut amodo in antea ipsam suprascriptam Dei ecclesiam S. Danielis cum omnibus suis habentiis & pertinentiis ab intus & foris que modo habet vel in antea per Dei misericordiam aquisita fueritis secundum vestrum posse cum omnibus suis edificiis tam in tectis, quam in muris & in parietibus, atque ripis & in ceteris locis ubi necesse fuerit incolumem retinere debeatis & insuper concedimus vobis potestatem ibi ordinandi, atque deordinandi & disponendi, atque meliorandi tam mobilia, quam immobilia ad suprascriptam Dei ecclesiam pertinentia que modo habet vel in antea habitura est. Nec non & officia diurnalia & nocturnalia ad honorem Dei, & S. Benedicti secundum ordinem vestri monasterii ibi faciatis. Nec non promittimus ut de omnibus que supradiximus vos minime expellere, aut de jure illus ecclesie aliquid minuere debeamus per ullum ingenium sed liceat vobis in suprascripta ecclesia & in omnibus suis habentiis & pertinentiis plenissimam potestatem habere nullo vobis homine contradicente. Insuper promittimus quod nullum hominem supra vos, aut sub vos, aut parem vobis in suprascripta ecclesia vel ejus pertinentiis contra voluntatem vestram ordinare presumamus; tradidimus etiam vobis monumenta que modo ibi sunt vel in antea fuerint ut in vestra potestate sint. Hec omnia supradicta cum nostris successoribus vobis & vestris successoribus adimplere promittimus. Quod si non observaverimus omnia sicut superius legitur tunc componere promittimus cum nostris successoribus vobis & vestris successoribus auri libras quinque & hec concessionis cartula maneat in perpetuum in sua firmitate.

✠ Ego Johannes Polanus Dei gratia Castellanus Episcopus manu mea scripsi.
✠ Ego Johannes Faletrus Castellanus archidiac. m. m. tt. ss.
✠ Ego Agapitus Maurus Presb. & Primic. m. m. ss.
✠ Ego Nicholaus Castellane Ecclesie clericus m. m. ss.

Ego Johannes Presb. & Not. complevi & roboravi.



Manfredus Abbas Fructuariensis recipit Ecclesiam S. Danielis Venetiarum ad faciendum Monasterium Ord. S. Benedicti, censumque & subjectionem Joanni Polano Episcopo Castellano, & successoribus promittit.

C

1138. Mense Junii.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.

ANno ab incarnatione ejusdem Redemptoris millesimo centesimo tricesimo octavo mense Junii Indictione prima. Fructuar. Post concessionem de ecclesia S. Danielis, que est de sinu vestri episcopatus & de jure, & de possessione vestra & predecessorum vestrorum quam nobis nostrisque successoribus in perpetuum fecistis. Promittens promittimus nos quidem Mainfredus Abbas fructuariensis cum nostris successessoribus in perpetuum. Vobis quidem Johanni polano venerabili castellano episcopo vestrisque successoribus in perpetuum,

suum, ut amodo in antea predictam Dei ecclesiam S. Danielis in castello posita ex altera ripa vestri episcopatus cum omnibus suis edificiis, & cum abenciis & pertinenciis incolumem retinere debeamus justa nostram possibilitatem. Promittimus etiam ut divino officio in ea secundum ordinem nostre congregacionis fungi debeamus vel per nos, vel per fratres nostros & omni anno pro Annunciatione festi S. Danielis duas ampullas bono vino mittere, & ad festum invitare & prandium in eodem festo vobis cum duodecim honorifice preparare debeamus, & predictam ecclesiam S. Danielis nullo modo a jure vestri episcopatus subtraere debeamus, & si ecclesia vel altaria illius ecclesie, vel persone que ibi steterint consecrande, vel ordinande fuerint per vos aut per vestros successores, si catolici fuerint, ordinentur & aliquem a vobis excomunicatum vel interdictum in eadem ecclesia scienter nequaquam recipiemus. Et prelatus supradicte ecclesie S. Danielis ad capitulum vestrum invitatus venire non renuat nullo modo tamen ibi cogendus. Et si aliqua persona de prelatis illius ecclesie sive de possessione, sive de aliqua mobili re conquesta fuerit si predictus prelatus ei justiciam facere noluerit a vobis rogatus ad justitiam faciendum non tamen in synodo. Hec omnia supradicta cum nostris successoribus vobis & vestris successoribus adimplere promittimus. Quod si non observaverimus omnia sicut supra legitur tunc componere promittimus cum nostris successoribus vobis & vestris successoribus auri libras quinque & hec promissionis cartula in sua firmitate permaneat in perpetuum.

Ego Mainfredus Christi gratia favente sancte fructuariensis ecclesie Abbas hoc donum & pactum approbo & confirmo, insuper tota nostra congregatio hoc idem facit.



Anastasius Papa IV. Monasterium Fructuariense sub Beati Petri protectione recipit; bona ejus confirmat, inter quæ Ecclesiam S. Danielis Venetiarum enumerat, aliaque Privilegia impartitur.

D 1154. 6. Aprilis.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.

ANastasius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Rufino Abbati Fructuariensi ejusque Fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum (a). Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequenti compleri, ut & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Fructuariense Mona-

(a) Nullam de hoc diplomate mentionem ingerunt neque Mabillonius in Annalib. Ord. S. Benedicti, neque Ugh. in Episcopis Eporediensibus. Ex eo instruimur antiquis temporibus illustriora Monasteria Congregationis formam habuisse ex plurimis quæ sub jurisdictione sua habebant minoribus Monasteriis.

fterium, in quo divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quecunque bona, quascunque possessiones idem monasterium in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblacione fidelium, seu aliis justis modis opitulante Domino poterit adipisci; firma vobis, vestrisque successoribus in perpetuum, & illibata serventur. In quibus hec propriis nominibus annotanda subjunximus. In Civitate Astensi Ecclesiam S. Secundi; apud Sollariensem Villam Ecclesiam S. Johannis; apud Morocium Ecclesiam S. Blasii; apud Quadraginta Ecclesiam S. Benigni, Villam Novam Faloam in Civitate Papiensi Ecclesiam S. Mathei; in Archiepiscopatu Mediolanensi apud Castrum Paternianum Ecclesiam S. Nicholai. Apud Castrum Cantorium Ecclesiam S. Jacobi, apud Cuzatum Ecclesiam S. Gervasii, in Ganne Ecclesiam S. Gemuli, & Ecclesiam Vulturni; in Episcopatu Laudensi apud Castrum Paudum Ecclesiam S. Petri; in Vercellensi Civitate Ecclesiam Sancte Fidis; apud Januam in capite Faris Ecclesiam S. Pauli. In Civitate Saonensi Ecclesiam S. Georgii; in Episcopatu Albensi castrum ferre longe; Et apud murum Ecclesiam S. Mariæ. In pago yporiensi apud castrum clevascium Ecclesiam S. Martini; apud Ferrariam ecclesiam S. Romani. In Episcopatu Bononiensi Monasterium S. Bartholomei. Ecclesiam S. Petri Decaron, Ecclesiam S. Marie de Villa Nova, Ecclesiam Sanctorum Symonis & Jude. Supra ripam Ticini in loco brinate Ecclesiam S. Martini, in loco paterniani Ecclesiam S. Martini de Ublate. Ecclesiam S. Danielis in Venecia. Ecclesiam S. Agate in Episcopatu Tarvisino. Obeunte vero te ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet surreptionis astutia vel violentia preponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars saniori s consilii secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Electus autem a Romano Pontifice aut a quocunque maluerit catholico Episcopo ordinetur. Chrisma, Oleum Sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum, ordinaciones monachorum, qui ad sacros fuerint ordines promovendi vel clericorum monasterio pertinentium a quocunque catholico volueritis accipietis Episcopo, qui nostra fultus auctoritate, que postulatur indulgeat. Id ipsum etiam de cellis sub eodem monasterio positis concedimus si quidem parrochiarum ipsarum episcopi que episcopalis officii sunt gratis & sine pravitate eis noluerint exhibere. Ad hec adicientes statuimus, ut nulli episcopo facultas sit aliqua sepe fato fructuarie loco gravamina irrogare neque adversus abbatem & monachos sive clericos ejusdem monasterii excommunicationis, aut interdictionis proferre sententiam. Decimas quoque reddituum de terris domnicatis que vel apud fructuariam, vel per alia loca a vobis vel fratribus vestris excoluntur, vel per Episcopos, aut Episcoporum ministros exigi prohibemus. Sepulturam vero ejusdem loci liberam esse sancimus ut eorum qui illic sepeliri deliberaverint devotioni & extreme voluntati nisi forte fuerint excommunicati nullus obsistat. Decernimus ergo ut nulli omnino liceat hominum prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare; Sed omnia integra observentur eorum pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura Salva tamen Apostolice Sedis auctoritate. Si quis igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit secundo, tertiove commonitam si non reatum suum congrua satisfactione correxerit potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & san-

sanguine Dei, & Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divine ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus fiat pax Domini nostri Jesu Christi. Quatenus hic fructum bone actionis percipiant & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Anastasius catholice ecclesie episcopus.
✠ Ego Odo Diacon. Cardinal. Sancti Sergii ad velum aureum.
✠ Ego Gregorius Presb. Cardinal. tt. Calisti ss.
✠ Ego Guido Presb. Cardinal. Sancti Grisogoni ss.
✠ Ego Hubaldus Presb. Cardinal. tt. Sancte Praxedis ss.
✠ Ego Manfredus Presb. Cardinal. tt. Sancte Sabine ss.
✠ Ego Aribertus Presb. Cardinal. tt. Sancte Anastasie ss.
✠ Ego Guido Diacon. Cardinal. Sancte Marie in Porticu.
✠ Ego Guido Presb. Cardinal. tt. pastoris ss.
✠ Ego Odo Diacon. Cardinal. Sancti Nicolai in carcere Tulliano.

Datum Laterani per manum Rolandi Presb. Cardinal. Sancte Romane Ecclesie & Cancellarii VIII. Idus Aprilis Indictione II. Incarnationis Dominice Anno MCLIV. Pontificatus vero Dom. Anastasii Papæ IV. Anno Primo.



Alexander III. Monasterium S. Danielis Venetiarum sub protectione B. Petri recipit, sua bona ei confirmat, atque alia privilegia impartitur.

E 1165. 27. Julii.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.


ALexander Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Arnaldo Priori Monasterii S. Danielis de Venetia ejusque Fratribus tam presentibus, quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Pie postulatio voluntatis affectu debet prosequente compleri, & ut devotionis sinceritas laudabiliter enitescat & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer anuimus, & presatum Monasterium quod specialiter ad jus Fructuariensis monasterii spectat, in quo divino mancipati estis obsequio sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium in presenciarum juste & canonice possidet aut in futurum concessione Pontificum largitione Regum vel Principum oblatione fidelium, seu aliis justis modis domino prestante poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam S. Blasii de canale cum omnibus suis pertinentiis tam in decimis quam in aliis. Cappellam Sancte Agathe cum omnibus possessionibus Rimanorum possidetis. Quicquid in Tervisino & Paduano episcopatibus habetis. Quicquid in paralacto vel in fundo Danorii in episcopatu Ferrarie habetis. Nulli quoque liceat post factam

in

in monasterio vestro professionem absque Prioris sui licentia de claustro discedere. Discedentes vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolice auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit secundo, tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus & hic fructum bone actionis percipiant & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Alexander catholice Ecclesie Episcopus ss.
✠ Ego Hubaldus hostiensis Episcopus ss.
✠ Ego Bernardus portuensis & S. Rufine Episcopus ss.
✠ Ego Hubaldus Presb. Cardinal. tt. S. Crucis in Jerusalem ss.
✠ Ego Johannes Presb. Cardinal. tt. S. Anast. ss.
✠ Ego Giulielmus Presb. Cardinal. tt. S. Petri ad vincula.
✠ Ego Jacintus Diac. Card. S. Marie in cosmedyn.
✠ Ego Ardicio Diac. Card. S. Theodori.
✠ Ego Oddo Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano.
✠ Ego Cintyus Diac. Cardinal. S. Adriani.
✠ Ego Petrus Diac. Cardinal. S. Eustachii juxta templum agrippe.
✠ Ego Raimundus Diac. Cardinal. S. Marie in via lata.
✠ Ego Manfredus Diac. Cardinal. S. Georgii ad velum aureum.

Datum apud Montem Pesulanum per manu Ermanni S. R. E. Subd. & Not. VI. Kal. Aug. Indictione XIII. Incarnationis Dominice anno MCLXV. Pontificatus vero Dom. Alexandri Pape III. anno VI.



Alexander III. Monasterium Sancti Danielis sub Sedis Apostolicæ protectione recipit, eique sua bona confirmat.

F

1177. 26. Augusti.

Ex Autographo in Archivo Monasterii S. Danielis.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Petro Priori Ecclesiæ S. Danielis, quæ est sita in Castro de Venetia, ejus fratribus tam præsentibus, quam futuris regulariter substituendis in perpetuum.

Desiderium quod ad religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur animo nos decet libenter concedere & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postu-

stulationibus clementer annuimus, & ecclesiam vestram, in qua divino mancipati estis obsequio sub B. Petri, & nostra protetione suscipimus. Et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut eadem Ecclesia fructuarie Monasterio semper subjaceat, & in dispositione Abbatis loci ipsius, qui pro tempore fuerit perpetuo maneat, quemadmodum a bonæ memoriæ Johanne q. Castellano Episcopo eidem Monasterio rationabiliter concessa esse dignoscitur. Præterea quascumque possessiones quæcumque bona ipsa Ecclesia in præsentiarum juste, & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis domino prestante poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam S. Blasii de canale. Super Atesim cum decimis, & aliis possessionibus suis Ecclesiam S. Agàthæ sitam in Villa Rimanorum (*a*), quam bonæ memoriæ Gregorius (*b*) q. Tervisinus Episcopus eidem Monasterio S. Daniel concessisse dignoscitur. Ecclesiam B. Martini de Tipoli (sic) quam Archuicus quond. Civitatis novæ Episcopus memorato Monasterio S. Danielis contulit in provincia Ystriæ cum suis pertinenciis & decimis. Ecclesiam S. Barnabæ de Parasacco super Padum. Prohibemus insuper & sub interminatione anathematis interdicimus. ne quis laicus a vobis de aliquibus, nec etiam aliqua ecclesiastica persona de Novalibus vestris, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis decimas præsumat exigere. Liceat etiam vobis liberos, & absolutos homines de sæculo fugientes, & in muro Monasterio converti volentes in vita, sive in morte absque alicujus contraditione suscipere. Salva justitia matricis Ecclesiæ. Ordinationem quoque Monachorum vestrorum, sicut in privilegio Fructuariensis Monasterii apostolica Sede indulto continetur liberam vobis concedimus. Crisma vero. oleum sanctum. consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi a Diocesano suscipietis Episcopo, Siquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolicæ Sedis habuerit, & ea gratis & absque aliqua gravitate vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum quemcumque malueritis adire antistitem qui nimirum nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere. minuere. aut aliquibus vexationibus fatigare. sed illibata omnia & integra conserventur. Eorum pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva Sedis apostolicæ auctoritate, & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit. secundo, tertiove commonita nisi præsuntionem suam dignam satisfactione correxerit. potestatis honorisque sui dignitate careat reamque divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redeptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus & hic bonæ actionis fructum percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Alexander catholicæ ecclesiæ Episc.

Bene valete.

✠ Ego Ildeprandus basilice XII. Apostolorum Presb. Card. ss.
✠ Ego Johannes Presb. Card. tt. S. Anastasie ss.

✠ Ego

(a) Villa Rimanorum fortasse quæ nunc vocatur *S. Zerman* in agro Tarvisino.
(b) Gregorium Tarvisinum Episcopum affert Ughell. Tom. V. ad annum 1011.

✠ Ego Boso Presb. Card. S. Prudentiane tt. Pastoris ss.
✠ Ego Theodinus Presb. Card. S. Vitalis tt. Vestine ss.
✠ Ego Petrus Presb. Card. tt. S. Susanne ss.
✠ Ego Hubaldus Hostiensis Episcop. ss.
✠ Ego Chunradus Sabinensis Episcop. & Salceburgensis humilis minister ss. (a)
✠ Ego Guilielmus Portuensis, & S. Rufine Episcop. ss.
✠ Ego Manfredus Prenestinus Episcop. ss.
✠ Ego Jacobus Diac. Card. S. Marie in Cosmydin. ss.
✠ Ego Hugo Card. S. Eustachii juxta templum Agrippe ss.
✠ Ego Hugo Diac. Card. S. Angeli ss.

Dat. Venet. in Rivoalto (b) per manum Gratiani Sancte Romane Ecclesie subdiaconi Not. VII. Kal. Septemb. Indictione X. Incarn. Dominice Anno M. C. LXX. VII. Pontificatus vero Domini Alexandri Pape Anno Octavodecimo.

(a) Conradus eo ipso anno 1177. ab Ecclesia Moguntina ad Salisburgensem translatus fuerat, frustra obnitente Federico Imperatore. Vide Hansizium in Germania Sacra Tom. 2. pag. 295. ubi Alexandri III. & Federici Imperatoris diplomata referuntur Venetiis data.
(b) Alexander III. dum Venetiis degeret in palatio Gradensium Patriarcharum habitavit. Consule Romualdum Archiepiscopum Salernitanum Rerum Italicar. Tom. VII. p 223.

Joannes Æmonensis Episcopus donat Monasterio S. Danielis Venetiarum Ecclesiam S. Martini de Tripolis.

G 1180. 27. Martii.

Ex Autographo in Archivo Monasterii S. Danielis.

ANNO a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo centesimo octuagesimo die quinto exeunte mense Marcii. Indictione terciadecima (a). Quisquis in sacris ac venerabilibus de bonis sibi a Deo concessis aliquid contulerit centuplum recipiet & insuper quod melius est vitam possidebit eternam. Ideoque Ego Johannes Dei gratia Æmonensis episcopus causa Dei, & meorum peccatorum remissione consensum populi mei offero, & concedo monasterio S. Danielis de Venetia monasterium S. Martini de Tripole cum omnibus habentiis & pertinentiis suis, & jure & ratione ad ipsum monasterium pertinentibus, ita quod Aicardus prior prefati monasterii S. Danielis & suis successores debeant potestatem habere eligendi in ipso monasterio S. Martini prelatum vel subjectum, & hanc concessionem & offertionem facio ego pro me, & meis successoribus usque in perpetuum eo ordine ut supra legitur. Salvo honore & justitia mea meique episcopatus. Et ipse Aicardus prior ejusdem monasterii S. Danielis vel ejus successores debeant reddere pro se, vel pro eorum commissum annuatim mihi aut meis successoribus perpetualiter in festo Sancti

(a) Indictio XIII. concordat cum anno 1180. ideoque corrigendæ annotationes ad Ughell. Tom. V. col. 2,2. quæ hanc Joannis Episcopi concessionem referunt ad annum 1158. alligantque cum Indict. XIII. eo enim anno numerabatur indictio VI. atque ipse Joannes deducendus ad annum 1180.

cti Pelagii diebus xv. ante, vel xv. retro de pipere libram unam & de incenso libram unam. Interfuere dompnus Martinus Monachus de ferto Johannes de molino & Petrus ursus bonus filius Johanistani Palmerius daurus Johannes aureus Petrus de Molino.

Actum est hoc in Venetiis in rivoalto.

Ego Petrus ruscus palatinus not. interfui & jussu presati Dom. Episcopi hanc cartam ss.

Judices Arbitri concordant inter Gerardum Episcopum Æmoniensem & Monasterium S. Danielis Venetiarum pro electione Rectoris, & bono regimine S. Martini de Tripoli.

1230. 5. Junii.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis.

IN Nomine Dei Æterni MCCXXX. die v. intrante mense Junii.... Emonæ in Ecclesia Majori in præsentia horum testium vocatorum videl. Jordani Veronensis Bertoluci Adalperti Rubei & Elengi de presbytero Wluino. Dominici officiarii Ecclesiæ Æmonensis & alii. Catulus Archidiaconus & Presb. Facinus Magister Scolarum Æmonensium, & Bonus Johannes S. Danielis de Venetiis Arbitri electi a Girardo Episcopo Æmoniense nomine Ecclesiæ Æmoniensis & consensu, & voluntate capituli sui; & a Vicelino (seu Urpelino) priore S. Danielis de Venetiis nomine Monasterii S. Danielis de voluntate & consensu conventus sui de Tripole. Auditis & intellectis rationibus & allegationibus, & responsionibus utriusque partis, communiter tale tulerunt arbitrium dicentes atque precipientes, quod rector Ecclesiæ præfatæ S. Martini de Tripole debeat elegi per priorem & conventum S. Danielis, & præsentari Episcopo Æmoniensi qui rector præfatæ Ecclesiæ S. Martini faceret obedientiam & fidelitatem prefato Episcopo Æmoniensi, & omnia, quæ hactenus Rectores ipsius Ecclesiæ S. Martini fecerunt prefato Episcopo Girardo & suis predecessoribus, & idem Episcopus debat eum investire tam de spiritualibus, quam de temporalibus ipsius Ecclesiæ S. Martini. Ita tamen quod si rector prefate Ecclesiæ Sancti Martini male se haberet tam in propria persona, quam in bonis Ecclesiæ Sancti Martini Episcopus Æmoniensis debeat significare Priori Conventus Sancti Danielis, & tunc Prior vel nuncius ejus, vel aliquis de Conventu suo debeat venire Æmoniam, & sic poterit declarare coram Episcopo & Capitulo Æmoniæ quod dictus Rector male se habuerit tam in persona, quam in bonis Ecclesiæ Sancti Martini tunc Prior Sancti Danielis debeat alium eligere & præsentare Episcopo Æmoniensi ut superius dictum est. Et si Episcopus Æmoniensis vellet eum maliciose fovere defendere in malitia sua, & hoc fuerit declaratum coram Capitulo Æmoniensi tunc Prior S. Danielis habeat plenam potestatem removendi ipsi Rectorem invito Episcopo, & e converso Episcopus Æmoniensis habeat eamdem potestatem removendi ipsi Rectorem invito Priore si dictus Prior valeat ipsi Rectorem fovere & defendere in malitia sua & præfatus Episcopus teneantur defendere rectorem & familiam cum omnibus bonis præfatæ Ecclesiæ Sancti Martini bona fide pro posse suo & singulis fraudibus a molestatione omnium personarum. Et hoc præceperunt arbitrium dicti arbitri observandum ab utraque parte sub pena CC. libr. Venet. Ita quod &c.

Ego Symeon Dom. Be. Aquil. Sed. Patriarch. Ystriæ Incliti March. Bull. Not. interfui & rogatus scribere subscripsi & roboravi.

Gerardus Episcopus Æmoniensis aliqua disponit circa regimen Ecclesiæ Sancti Martini de Tripolis.

1230. 12. Novembris.

Ex Autographo in Archivo Monasterii S. Danielis.

IN nomine Domini Dei eterni Anno Domini MCCXXX. die XII. exeunte Mense Novembri Indictione III. Licet longo tempore de Ecclesia S. Martini de Tripola inter Gerardum Episcopum Æmonensem ex una parte & nobiles viros Widotum & Fabianum fratres de Sancto Georgio ex altera magna discordia & controversia verteretur. Annuente tamen Deo & D. Frederico de brazago mediante dicti fratres ad mandatum & voluntatem dicti Episcopi pervenerunt quibus juramentum quod prestiterunt eidem Episcopo clavibus tamen S. Martini restitutis & restituto Bono Johanne abate S. Martini sine aliqua conditione prenominatus Episcopus viva voce precepit eisdem quod nec per se, nec per suos heredes, nec per submissas personas deinceps rectori ipsius Ecclesie, nec aliquibus ibidem commorantibus nec in bonis, nec in personis aliquam violentiam inferrent, nec rectorem predicte Ecclesie & familiam compellent coram se stare in judicio. Sed si ipsi vel alii aliquam questionem haberent contra conversum, vel aliquem de familia predicti rectoris coram eodem rectore ipsos conveniant & si ipsi, vel aliquis contra ipsum rectorem aliquam questionem haberent coram Episcopo vel Capitulo Æmonensi aut coram priore S. Danielis ipsum conveniant & si aliquis conversus vel aliquis de familia nollent obedire rectori dicti fratres cum voluntate & auxilio Episcopi Æmonensis compellant stare & obedire mandato ipsius rectoris. Et si aliquis ipsi rectori, vel alicui vel aliquibus de familia ipsius rectoris aliquam violentiam inferrent ipsi fratres & sui heredes tanquam benefactores & defensores ipsius loci pro animabus suis & parentum suorum pro posse suo debeant defensare, nec debeant de cetero intromittere se de clavibus ipsius loci nec expelere rectorem vel abatem nec ponere, nec removere, nec aliquid ordinare vel disponere in presato monasterio absque Episcopi Æmonensis voluntate & consensu prioris S. Danielis. Et si aliquo tempore hoc non attenderint vel non observaverint vel contra venerint cadant ab omni jure suo.

Actum ante Ecclesiam S. Petri in liceto in presentia rogatorum testium vid. Catuli Archidiaconi Dom. Cidelazaro. Martini de baldo Serzi Johannis de Tobaldo. Odorlici Wlpis Maximi & aliorum.

Ego Halvicus Æmonensis Not. interfui sicut vidi & audivi, scripsi & roboravi.

Bia-

Biaquus de Minuglano renuntiat Monasterio Sancti Danielis omnia bona ab ipso prius occupata.

1337. 21. Februarii.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis.

IN Christi Nomine Amen. Anno Domini MCCCXXXVII. Indictione v. die xxi. mensis Februarii. Præsentibus Discretis Viris D. Presb. Lastigna Plebano Ecclesiæ S. Zenonis de Ortoneglo. Viranesio Plebano Castiglionis ac Dom. Detamario Nepote Dom. Biaqui de Minuglano, Pasquale Colmam Ser Mengolino Andreæ Æmoniensis & aliis pluribus testibus ad hoc vocatis specialiter & rogatis. Constitutus discretus & religiosus Vir Dom. Fr. Rufinus Monachus Monasterii S. Danielis de Venetiis Castellanæ Diocesis, ac Sindicus & Procurator Rev. Viri D. Fratris Bonifacii Prioris & Conventus Monasterii supradicti, ut de publico Instrumento sindicationis & procurationis constat manu Presb. Antonii filii q. Alberti de Este Imperiali auctoritate Notarii publici a me Notario infrascripto viso & lecto plenius, & in omnibus & singulis suis continetur. Coram Nobile Viro D. Biaquo de Minuglano olim occupatore & detentore possessionum camporum, pratorum, pascuum, terrarum, vinearum, nemorum & camporum, & aliorum bonorum omnium spectantium & pertinentium Monasterio seu Abbatiæ & Ecclesiæ S. Martini de Tripoli situm in villa Ortonegli Æmoniensis Diocesis spectantes & pertinentes pleno jure Monasterio S. Danielis de Venetiis supradicto & Ecclesiæ memoratæ S. Martini & cum instantia postulavit, & requisivit prefatum D. Biaquum quatenus placeret ei dimittere prenominatas possessiones & omnia bona libere & pacifice, & absque contradictione solita possidere. qui D. Biaquus ad petitionem dicti D. Fr. Rufini sponte & libere ac extra sententiam renuntiavit & in manibus suis relaxavit mandans eidem quod amodo in antea dictus Dom. Fr. Ruffinus locet, affittet & alia cætera faciat sicut faceret D. Prior S. Danielis de Venetiis ad quem spectant & pertinent omnia jura Ecclesiæ supradictæ dicens asserens & confitens ipse Dom. Biaquus nullum jus habuisse nec habere in Abbatia & Ecclesia S. Martini prædicti, nec etiam habere volebat aliquo tempore per se & suos hæredes cum ipse tenuerat & possiderat, & occupaverat dictam Ecclesiam indebite & injuste hucusque & contra Deum & justitiam & canonicas sanctiones promittens namque memoratus D. Biaquus per se, suosque hæredes ipsi D. Fr. Rufino Sindico & Procuratori prædicto stipulanti & recipienti nomine supradicti D. Prioris Monasterii & Conventus S. Danielis de Venetiis &c.

Ego Albertinus quond. Righini de Ferraria Not. auctoritate publica ad hoc vocatus & rogatus ss.

Prior & Conventus S. Danielis Venetiarum eligunt in Abbatem S. Martini de Tripolis Fratrem Ugolinum Priorem S. Gregorii de Justinopoli.

1342. 8. Marcii.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.

IN Christi nomine amen. Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo Indictione decima die octavo marcii. Venetiis in capitulo monasterii Ecclesie S. Danielis Prophete. Presentibus sapiente viro & D. Paulo de S. Fantino de Venetiis Castellane Diocesis juris utriusque perito. Dominico de Castromonte. Antonio dicti D. Pauli familiare, & aliis testibus ad hec vocatis & rogatis. Reverendus Vir & Dom. Frater Bonifacius de Castromonte Prior dicti Monasterii & Conventus Ecclesie predicte frater Merlus de abiate frater dicti Monasterii & Conventus ordinis S. Benedicti facientes, & constituentes totum & universum capitulum & Conventum dicti Monasterii & Ecclesie congregati ad sonum campane in capitulo & ad capitulum more solito, considerantes quod Abbacia & Ecclesie S. Martini de Tripoli Emonensis Diocesis dicti ordinis S. Benedicti inmediate subjecta dicto D. Priori fratribus & Conventui prefacte Ecclesie & Monasterii supradicti vacat ad presens abbate per renunciationem Fratris Johannis de Sancto Benigno olim Monachus dicti Monasterii & Conventus S. Danielis prefati ita quod ipsa Ecclesia S. Martini non modicum patitur in spiritualibus & temporalibus detrimentum volentes predictis succurere prout debent de discretione scientia & providentia religiosi & honesti viri Fr. Ugolini ejusdem ordinis prioris Monasterii & Ecclesie S. Gregorii de Justinopoli totaliter confidentes curam aministracionem rectoriam & regimen animarum dicto domino fratri Ugholino in omnibus vices suas & miserunt eumdem suum vicarium constituerunt quousque duxerint revocandum promittentes se firmum ratum & obligatum omnium suorum bonorum & dicti sui monasterii.

Ego Andreas filius quond. f. Petri de vinea S. Daniellis de Venetiis Imperiali auctoritate Notarii predictis omnibus & singulis supradictis presens interfui, & rogatus scripsi & publicavi meumque signum aposui consuetum.

Honorius III. confirmat Monasterio Sancti Danielis Venetiarum donationem factam ipsi Monasterio de Lacu a Marco Nicola Episcopo Castellano.

H

1222. 26. Maii.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.

HOnorius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Priori & Conventui Monasterii S. Danielis de Venetiis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum & vota que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis precibus inclinati personas

vestras

vestras & Monasterium S. Danielis de Venetiis in quo divinis vacatis obsequiis cum omnibus bonis que in presentiarum rationabiliter possidet aut in futurum prestante Domino justis modis poterit adipisci sub B. Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem lacum S. Danielis cum molendino vobis a Ven. Fratre Nostro... Castellano Episcopo de Capituli sui assensu pia & provida liberalitate collatum sicut ea juste canonice ac pacifice possidetis vobis & per vos Monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Alatri VII. Kal. Junii Pontificatus nostri anno sexto.



Philippus Boldù nomine Angeli Delphini Episcopi Castellani fatetur se recepisse a Fr. Ruffino censum pro lacu donato Ecclesiæ S. Danielis.

I


1305. 29. Junii.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis.

ANNO Domini millesimo tricentesimo quinto tercia Indictione die penultimo mensis Junii Venetiis in Episcopali palacio Castellano Presentibus D. Diotaleve de Macerata Chanonico Maceratensi, Petro filio f. Johannis Dodi de contrata S. Johannis bragule de Venetiis. Nicholeto filio D. Petri Charerì de contrata S. Marie formose de Venetiis & aliis. Discretus Vir D. Presb. Philippus boldù Ecclesie S. Panthaleonis de Venetiis Castell. Diocef. Camerlengus Rev. in Christo Patris & Dom. Dom. Angeli Dei gratia Episcopi Castellani vice & nomine ipsius D. Episcopi & sui Episcopatus & successorum suorum sponte & ex certa scientia contentus & confessus fuit se dicto nomine habuisse & recepisse pro uno anno proxime completo in festo S. Petri de Mense Junii preteriti a religioso viro Fr. Ruffino de Castro S. Georgii Monaco Monasterii S. Danielis predicti vigintiquinque libras olei secundum quod iidem Monasterium & Conventus ipsius Episcopatui Castellano predicto annuatim pro livello lacus ipsius Monasterii S. Danielis donare & solvere tenentur & debent. Promittens dicto nomine solempniter sine aliqua exceptione vel defensione juris, vel facti se eo nomine quo supra obligando, eidem Frater Ruffino stipulanti & recipienti vice & nomine quibus supra dictam solucionem confessus & omnia, & singula in hoc instrumento contenta perpetuo firma rata & grata habere, tenere, observare & inviolabiliter adimplere, & non contrafacere vel venire per se, vel alium seu alios aliqua racione, seu causa vel ingenio de jure vel de facto sub pena vigintiquinque libras denariorum Venetorum parvorum qua pena soluta, vel non predicta omnia & singula firma perdurent. Item reficere & restituere sibi omnia & singula dampna & expensas & interesse litis & extra pro quibus omnibus & singulis firmiter observandis obligavit eidem Frater Ruffino eo nomine quo supra recipienti omnia bona dicti Domini Episcopi & sui Episcopatus. Renuncians exceptionem non soluti & non pagati dicti livelli pro dicto anno, & pro ipsa causa

sa exceptis doli mali & damni sine causa in factum actorum communi & omni alii juris canonici ac legum auxilio.

Ego Leonardus de Padua Imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui, & rogatus scripsi.



Consilium Rogatorum decernit imprestita pro commutatione lacus facta cum Monasterio Sancti Danielis.

K 1325. 21. Novembris.

Ex Archivo Monasterii Sancti Danielis.

CUM olim commune fuerit in concordia cum Monasterio S. Danielis dandi sibi pro Lacu dando communi tot imprestita ex quibus percipere, & habere possit libras quinque grossorum in anno in perpetuum, & provissum sit modo quod hoc promitti non potest ne perpetuo sint imprestita nec etiam sit commune solitum obligare se alicui in perpetuum, Capta fuit pars quod id quod de novo tractatum est cum Priore dicti Monasterii habente licentiam sui majoris super facto dicti Lacus sit firmum quod est quod deputentur imprestita dicto Monasterio libras quinque grossorum ut fuit alias ordinatum, & quoties reddet de capitale convertatur per officiales imprestitorum & procuratores loci in imprestitis & quando advenerit tempus, quo commune satisfecerit omnibus sua imprestita debeat commune cum procuratore loci emere possessiones dicto Monasterio de dictis imprestitis in Venetiis, quibus emptis commune sit liberum & exemptum & non sit ipsi Monasterio amplius obligatum & ponatur in contractu quod dicte possessiones vendi alienari, vel obligari non possint que omnia fiant cum consilio D. Rizzardi quam melius fieri possint cum obligationibus & cautellis opportunis, sed cum transierit annus postquam primo facta fuerit concordia, a quo tempore citra Monasterium non habuit utilitatem de lacu, dentur eidem Monasterio pro uno anno elapso libras quinque grossorum occasione damni sui predicti que deveniant ad manus sui procuratoris vel domni Petri Bragadeno ejus Fratris pro luendo pignora dicti Monasterii & solvantur denarii predicti videlicet libras quinque grossorum de deposito facto pro Arsenatu.

Joan. Meravegia Duc. Notar. exemplavit.



Prior

Prior S. Danielis Venetiarum de licentia Abbatis Fructuariensis commutat quemdam lacum ejusdem Monasterii cum Duce, & communi Venetiarum.

L 1325. 20. Decembris.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.

IN Dei nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo vigesimo quinto Indictione octava die vigesimo mensis Decembris. Cum per magnificum Dom. D. Johannem Superantium inclitum & Ducem Venetiarum in communi Venec. & cum suis Consiliis ex parte una & per religiosum Virum D. Fr. Bonifacium priorem Monasterii S. Danielis prope Castellum Dioc. Castell. in suo Monasterio, & cum suis fratribus ex parte altera sollempnis tractatus habitus fuisset de permutando cum ipsis D. Duce & communi Venetiarum lacum infrascriptum ad dictum Monasterium pertinentem habendo e converso a communi Venetiarum permutationis nomine annuum redditum qui inspecto tempore presenti adscendat ad quantitatem librarum quinque denariorum Venetorum grossorum, & in dicta permutatione satis constet partem utramque ad meliora prospicere, utpote cum dictus lacus ipsi Monasterio sumptibus impar ac sterilis & infructuosus existat & redditu vero predicto plurimum possit utilitas dicto Monasterio procurari & versa vice idem lacus dicto communi pro aliquibus suis laboreriis utilis censeatur nec prestatio dicti reditus ipsi communi Venetiarum onerosa dici possit nec sit. Tandem partes predicte plena deliberatione premissa dictam permutationem facere decreverunt. Ideoque prefatus D. Prior S. Danielis cum voluntate & consensu suorum fratrum ab ipsis ad infrascripta omnia facienda sindicus constitutus de cujus sindicatu constat publico instrumento per me infrascriptum notarium scripto cujus tenor est talis per omnia. In Dei nomine amen Anno Nativitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo vigesimo quinto Indictione octava die decimo octavo mensis Decembris presentibus D. Jacobo de bragantino canonico ferariensi & Bonifacio ac Michaele de targesio familiaribus D. Prioris S. Danielis de Venetiis & aliis. In capitulo Monasterii S. Danielis de Venetiis predicti more & loco solitis congregato in quo interfuerunt religiosi viri D. Prior & D. Ruffinus frater & Monachus loci predicti quod ad presens Conventum & capitulum totum prædicti laci S. Danielis representant & faciunt cum plures ibidem conventuales non sint nec esset alibi unde ad dictum capitulum vocari de jure debeant idem capitulum & fratres pro infrascriptis agendis & peragendis Sindicum & procuratorem facere & constituere decreverunt. Ideoque prefatus Fr. Rufinus cum consensu & auctoritate dicti prioris tanquam capitulum ad predicta & infrascripta procedens fecit constituit & ordinavit suum & dicti capituli, atque Monasterii Sindicum actorem & procuratorem prefatum D. Priorem suum ibidem presentem ac mandatum acceptantem & sponte suscipientem nominatim ad faciendum & perficiendum permutationem de lacu S. Danielis predicti & pertinenciis suis omnibus cum Dominis Duce & commune Venet. ad eam quantitatem imprestitorum quam ipsis Dominis Duci & communi Venet. & ipsi Sindico dicti loci priori videbitur cum omnibus pactis modis formis tam de censu pro dicto lacu Ecclesie Castellane prestando, quam de omnibus aliis & singulis que in dicto permutationis contractu dicta & conventa fuerint & ipsis parti-

tibus permutantibus utilia videbuntur & ad obligandum generaliter & specialiter cuicunque persone omnia bona dicti Monasterii pro attendendis & observandis omnibus & singulis que in conventione dicte permutationis deducentur & ad exponendum pro predictis promissiones, & obligationem tam simplices, quam penales & ad renunciandum per pactum omne jus per quod idem Monasterium posset dictam permutationem vel aliquid in ea contentum infringere vel etiam impugnare & ad submissiones sub quocunque judice nec non cartam & cartas securitatis faciendum & generaliter ad omnia alia dicendum & faciendum que in predictis coherentibus & connexis & circa ea necessaria utilia, vel etiam opportuna videbuntur etiam si talia fuerint que mandatum exigant speciale, & que ipsum capitulum presentialiter facere posset: promittentes ipsum capitulum & dicti capituli fratres sollempni stipulatione mihi notario infrascripto nomine omnium quorum interesse solempniter stipulanti firmum & ratum perpetuo habere & tenere quicquid per dictum Sindicum & procuratorem actum & gestum fuerit in premissis & quolibet premissorum & se nunquam contraventuros aliqua ratione vel causa sub ypoteca omnium bonorum Monasterii supradicti. Habitaque auctoritate & licentia Rev. Patris D. Fr. Abbatis & approbatione tocius capituli Monasterii fructuariensis de quibus licentia & approbatione constat publicis instrumentis quorum unum scriptum est per Mellanum de blanchis de vulpiano imperiali auctoritate notarium cujus tenor per omnia talis est. Noverint universi & singuli presens instrumentum publicum inspecturi quod nos Rev. B. Dei & apostolice sedis gratia Monasterii S. Benigni fructuariensis abbas ordinis S. Benedicti Yporiensis Diocesis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis investigato prius cum deliberatione sollempni quod infrascriptum cambium seu permutatio cedit ad prioratus S. Danielis de Venetiis nobis & Monasterio nostro predicto immediate & pleno jure subjecti utilitatem non modicam & profectum & quod conditio ipsius Prioratus exinde sit melior, & in redditibus ampliatur damus & concedimus ex tenore presentis publici instrumenti religioso viro D. Bonifacio Priori prioratus jam dicti licentiam auctoritatem & liberam potestatem cambiandi seu permutandi quemdam lacum juris dicti prioratus situm prope dictum prioratum cum molendino in eo constructo cum Illustri & Magnifico Viro D. Duce Civitatis Venetiarum & communi, & universitate ejusdem civitatis in alias res & redditus annuos & perpetuos prout ipsi Priori videbitur predicto Prioratu utilius expedire ita quod ipsius Prioratus conditio ex dicto cambio in redditibus augmentetur promittentes notario infrascripto ut publice persone stipulanti vice & nomine omnium quorum intererit habere & tenere ratum & firmum perpetuo quicquid dictus Prior circa permutationem predictam & cambium duxerit faciendum, & nunquam contrafacere vel venire per nos vel alium sub obligatione omnium bonorum Monasterii nostri. In cujus rei testimonium presens instrumentum fieri jussimus per Melanum infrascriptum notarium & nostri sigilli appensione muniri in anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quinto indictione octava die decimo mensis Augusti in castro nostro vulpiani presentibus D. Guillielmo de achillerio Castellano dicti castri, Jacobo de petro vulpiano & Martino checo de Sancto Benigno testibus ad hoc vocatis: Et alterum scriptum est per Johannem de notariis de S. Benigno imperiali auctoritate notarium & Monasterii fructuariensis Scribam cujus tenor per omnia talis est. In Christi nomine amen Anno ejusdem millesimo trecentesimo vigesimo quinto Indictione octava die decimo mensis Augusti. Convocato Capitulo Monasterii S. Benigni fructuariensis Diocesis Yporiensis per religiosum virum D. Fr. Jacobum de brandicio priorem claustrallem dicti Monasterii loco & more solito, ad quod convenerunt ultra quam

du e

due [redacted] Conventualium ipsius [redacted] & vocem habentium in [redacted] nomina inferius sunt conscripta [redacted] ab eis viso & intel[redacted] quodam [redacted] hodie facto [redacted] Mellani [redacted] de vulpiano no[redacted] publici [redacted] religioso [redacted] D. [redacted] Prioratus S. [redacted] de [redacted] Rev. Patrem [redacted] B. Dei [redacted] Monasterii [redacted] super [redacted] & cambio [redacted] cum [redacted] & Illustri viro [redacted] seu [redacted] & universitate [redacted] Venetiarum [redacted] quadam lacu, & [redacted] in ea [redacted] sita prope [redacted] prioratum [redacted] & ju[redacted] pro aliis [redacted] & redditibus [redacted] & perpetuis [redacted] conditio [redacted] redditus ipsius [redacted] amplietur & fiat melior. Ecce [redacted] dicti Dom. Prior claustralis [redacted] Conventus prehabita super hiis [redacted] ratione sollempni ex certa [redacted] communiter & concorditer pro se, [redacted] successoribus dictam [redacted] & auctoritatem concessam [redacted] D. B. priori per dictum D. [redacted] ut supra dictum est laudantes [redacted] & approbantes ad [redacted] & ipsius [redacted] firmitatem [redacted] per hoc instru[redacted] publicum [redacted] concedunt dicto [redacted] jamdicti licentiam, [redacted] dictam permu[redacted] ut supra prout ipsi D. Priori pro ipso prioratu utilius videbitur expedire. Promittentes mihi Johanni notario infrascripto ut persone publice stipulanti & recipienti vice & nomine omnium quorum interest aut poterit interesse habere & tenere perpetuo dictam ratifficationem licentie ac licentiam per eos concessam & omnia & singula que dictus Prior S. Danielis in predictis dixerit faciendum rata & firma, & nunquam contrafacere vel venire per se, vel alios aliqua ratione vel causa de jure, vel de facto sub obligatione omnium bonorum suorum & dicti Monasterii. Nomina vero dictorum Monachorum sunt hec dictus D. Prior claustralis, D. Nicolaus sacrista, D. Carandus celerarius, D. Ogerius elemosinarius, D. Mattheus de Valperga, D. Johannes de nerio, D. Obertus de ripariolo, D. Georgius de Sancto Stephano, D. Leo de Tongo, D. Henricus de Montalengis, DD. Matheus & Philippus de taruno, D. Nicolinus de Turre, & D. Guillielmus de Strambinello dicti Monasterii Monachi claustrales. Actum in claustro ejusdem Monasterii ubi fuerunt testes vocati & rogati aymo de pyadignolo habitatore in S. Benigno & Manfredo Zuchato de S. Benigno & alii Nomine & titulo permutationis pro se, suisque successoribus presato D. Duci pro communi Venet. recipienti dedit & tradidit ad proprium & jure proprii totum lacum dicti Monasterii S. Danielis in confinio S. Petri de Castello positum cum suo aggere & terra illa & fundamenta tota super qua una domus lignea & Molendina duo erant hedifficata, dictus autem lacus firmat uno suo capite partim in terra Monasterii S. Danielis predicti & partim in quibusdam proprietatibus quorumdam parochianorum Ecclesie Castellane & alio suo capite firmat partim in arsena, & partim in quibusdam proprietatibus quorumdam parochianorum Ecclesie S. Blasii, & partim cum dicta terra & fundamenta in Rivo de Castello, & partim in quibusdam proprietatibus de quibusdam parochianis Ecclesie Castellane cum omni longitudine & latitudine sua, cum capitibus & lateribus suis cum callibus quoque & viis suis, cum accessu & eggressu suo per terram & per aquam, atque cum omnibus habenciis & pertinenciis, ac universis adjacentiis suis ab intus & foris que tam subtus terram quam super terram ibidem adesse noscuntur qualitercunque ad dictum lacum pertinentibus & spectantibus ad habendum tenendum possidendum hedifficandum & generaliter & explicite omnem voluntatem & utilitatem dicti communis Venetiarum perpetuo faciendum sine contradictione & impedimento dictorum prioris & fratrum suorumque successorum vel alterius cujuscunque persone collegii vel universitatis. E converso vero presatus

tibus permutantibus utilia videbuntur & ad obligandum generaliter & specialiter cuicunque persone omnia bona dicti Monasterii pro attendendis & observandis omnibus & singulis que in conventione dicte permutationis deducentur & ad exponendum pro predictis promissiones, & obligationem tam simplices, quam penales & ad renunciandum per pactum omne jus per quod idem Monasterium posset dictam permutationem vel aliquid in ea contentum infringere vel etiam impugnare & ad submissiones sub quocunque judice nec non cartam & cartas securitatis faciendum & generaliter ad omnia alia dicendum & faciendum que in predictis coherentibus & connexis & circa ea necessaria utilia, vel etiam opportuna videbuntur etiam si talia fuerint que mandatum exigant speciale, & que ipsum capitulum presentialiter facere posset: promittentes ipsum capitulum & dicti capituli fratres sollempni stipulatione mihi notario infrascripto nomine omnium quorum interesse solempniter stipulanti firmum & ratum perpetuo habere & tenere quicquid per dictum Sindicum & procuratorem actum & gestum fuerit in premissis & quolibet premissorum & se nunquam contraventuros aliqua ratione vel causa sub ypoteca omnium bonorum Monasterii supradicti. Habitaque auctoritate & licentia Rev. Patris D. Fr. Abbatis & approbatione tocius capituli Monasterii fructuariensis de quibus licentia & approbatione constat publicis instrumentis quorum unum scriptum est per Mellanum de blanchis de vulpiano imperiali auctoritate notarium cujus tenor per omnia talis est. Noverint universi & singuli presens instrumentum publicum inspecturi quod nos Rev. B. Dei & apostolice sedis gratia Monasterii S. Benigni fructuariensis abbas ordinis S. Benedicti Yporiensis Diocesis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis investigato prius cum deliberatione sollempni quod infrascriptum cambium seu permutatio cedit ad prioratus S. Danielis de Venetiis nobis & Monasterio nostro predicto immediate & pleno jure subjecti utilitatem non modicam & profectum & quod conditio ipsius Prioratus exinde sit melior, & in redditibus ampliatur damus & concedimus ex tenore presentis publici instrumenti religioso viro D. Bonifacio Priori prioratus jam dicti licentiam auctoritatem & liberam potestatem cambiandi seu permutandi quemdam lacum juris dicti prioratus situm prope dictum prioratum cum molendino in eo constructo cum Illustri & Magnifico Viro D. Duce Civitatis Venetiarum & communi, & universitate ejusdem civitatis in alias res & redditus annuos & perpetuos prout ipsi Priori videbitur predicto Prioratu utilius expedire ita quod ipsius Prioratus conditio ex dicto cambio in redditibus augmentetur promittentes notario infrascripto ut publice persone stipulanti vice & nomine omnium quorum intererit habere & tenere ratum & firmum perpetuo quicquid dictus Prior circa permutationem predictam & cambium duxerit faciendum, & nunquam contrafacere vel venire per nos vel alium sub obligatione omnium bonorum Monasterii nostri. In cujus rei testimonium presens instrumentum fieri jussimus per Melanum infrascriptum notarium & nostri sigilli appensione muniri in anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quinto indictione octava die decimo mensis Augusti in castro nostro vulpiani presentibus D. Guillielmo de achillerio Castellano dicti castri, Jacobo de petro vulpiano & Martino checo de Sancto Benigno testibus ad hoc vocatis: Et alterum scriptum est per Johannem de notariis de S. Benigno imperiali auctoritate notarium & Monasterii fructuariensis Scribam cujus tenor per omnia talis est. In Christi nomine amen Anno ejusdem millesimo trecentesimo vigesimo quinto Indictione octava die decimo mensis Augusti. Convocato Capitulo Monasterii S. Benigni fructuariensis Diocesis Yporiensis per religiosum virum D. Fr. Jacobum de brandicio priorem claustrallem dicti Monasterii loco & more solito, ad quod convenerunt ultra quam

du e

due partes Monachorum Conventualium ipsius Monasterii & vocem habentium in Capitulo quorum nomina inferius sunt conscripta, & ab eis viso & intellecto quodam instrumento hodie facto manu Mellani blanchi de vulpiano notarii publici licentie concesse religioso viro D. Bonifacio Priori Prioratus S. Danielis de Venetiis per Rev. Patrem Dom. B. Dei gratia dicti Monasterii abbatem super permutatione & cambio faciendis cum magnifico & Illustri viro D. Duce seu communi & universitate Civitatis Venetiarum de quadam lacu, & Molendino in ea constructo sita prope dictum prioratum S. Danielis & juris ipsius pro aliis rebus & redditibus annuis & perpetuis ex quibus condictio & redditus ipsius Prioratus amplietur & fiat melior. Ecce quod dicti Dom. Prior claustralis Monachi & Conventus prehabita super hiis deliberatione sollempni ex certa scientia communiter & concorditer pro se, & eorum successoribus dictam licentiam & auctoritatem concessam supradicto D. B. priori per dictum D. abbatem ut supra dictum est laudantes confirmantes & approbantes ad majorem cautelam & ipsius licentie firmitatem dant per hoc instrumentum publicum & concedunt dicto D. Priori prioratus jamdicti licentiam, & liberam potestatem dictam permutationem faciendi ut supra prout ipsi D. Priori pro ipso prioratu utilius videbitur expedire. Promittentes mihi Johanni notario infrascripto ut persone publice stipulanti & recipienti vice & nomine omnium quorum interest aut poterit interesse habere & tenere perpetuo dictam ratifficationem licentie ac licentiam per eos concessam & omnia & singula que dictus Prior S. Danielis in predictis dixerit faciendum rata & firma, & nunquam contrafacere vel venire per se, vel alios aliqua ratione vel causa de jure, vel de facto sub obligatione omnium bonorum suorum & dicti Monasterii. Nomina vero dictorum Monachorum sunt hec dictus D. Prior claustralis, D. Nicolaus sacrista, D. Carandus celerarius, D. Ogerius elemosinarius, D. Mattheus de Valperga, D. Johannes de nerio, D. Obertus de ripariolo, D. Georgius de Sancto Stephano, D. Leo de Tongo, D. Henricus de Montalengis, DD. Matheus & Philippus de taruno, D. Nicolinus de Turre, & D. Guillielmus de Strambinello dicti Monasterii Monachi claustrales. Actum in claustro ejusdem Monasterii ubi fuerunt testes vocati & rogati aymo de pyadignolo habitatore in S. Benigno & Manfredo Zuchato de S. Benigno & alii Nomine & titulo permutationis pro se, suisque successoribus prefato D. Duci pro communi Venet. recipienti dedit & tradidit ad proprium & jure proprii totum lacum dicti Monasterii S. Danielis in confinio S. Petri de Castello positum cum suo aggere & terra illa & fundamenta tota super qua una domus lignea & Molendina duo erant hedifficata, dictus autem lacus firmat uno suo capite partim in terra Monasterii S. Danielis predicti & partim in quibusdam proprietatibus quorumdam parochianorum Ecclesie Castellane & alio suo capite firmat partim in arsena, & partim in quibusdam proprietatibus quorumdam parochianorum Ecclesie S. Blasii, & partim cum dicta terra & fundamenta in Rivo de Castello, & partim in quibusdam proprietatibus de quibusdam parochianis Ecclesie Castellane cum omni longitudine & latitudine sua, cum capitibus & lateribus suis cum callibus quoque & viis suis, cum accessu & eggressu suo per terram & per aquam, atque cum omnibus habenciis & pertinenciis, ac universis adjacentiis suis ab intus & foris que tam subtus terram quam super terram ibidem adesse noscuntur qualitercunque ad dictum lacum pertinentibus & spectantibus ad habendum tenendum possidendum hedifficandum & generaliter & explicite omnem voluntatem & utilitatem dicti communis Venetiarum perpetuo faciendum sine contradictione & impedimento dictorum prioris & fratrum suorumque successorum vel alterius cujuscunque persone collegii vel universitatis. E converso vero prefatus

Dom. Dux pro se & communi Venetiarum eidem priori pro se, & suo Monasterio recipienti dedit tradidit, & consignavit ad Cameram imprestitorum communis Venec. libr. duomillia sexcentas decem & soldos decem septem denariorum Venetorum ad grossos bonorum imprestitorum, que imprestitorum quantitas velut Civilis annona a jure inter immobilia computatur quorum imprestitorum redditus certitudinaliter prout etiam ipse Prior ibidem recognovit annuatim ad summam libr. quinquaginta denariorum Venetorum grossorum ascendit. Ita quod dicti Prior Fratres Monasterii & Conventus perpetuo secundum formam que infra subjicitur dicta imprestita sibi habeant & conservent nec ullo modo alienare possint nec per commune Venetiarum, nec per aliquam personam aliquo casu modo vel ingenio ipsa imprestita ipsi Monasterio diminui aufferri interdici, vel impediri possint nec etiam aliquibus oneribus vel ordinationibus communis Venetiarum debeant subjacere. Hec specialiter & nominatim in presenti contractu acto videlicet quod quociens reddetur de Capitali convertatur illud quod de dictis imprestitis reddetur per officiales imprestitorum & procuratorem S. Danielis predicti in imprestitis emendis quorum imprestitorum etiam prode & comodum semper consequatur & habeat Monasterium predictum & quando tempus advenerit quo commune hominibus sua imprestita satisfecerit debeat commune Venetiarum cum procuratore dicti loci de dictis dicti loci imprestitis emere posset omnes dicto Monasterio in Civitate Venetiarum quibus emptis commune Venetiarum sit liberum & exemptum, & non sit ipsi Monasterio occasione predicta amplius obligatum. Ita tamen quod possessiones predicte ex dictis imprestitis secundum predictam formam dicto Monasterio empte deinde nullo modo nullo ingenio nulloque quesito colore nunquam vendi obligari vel alio titulo alienari possint reservata ex nunc manus injectione communi Venetiarum in dictis possessionibus si secus contigeret attemptari. Hoc insuper nominatim acto quod sicut ipse Prior & locus S. Danielis censum unius metri olei Episcopis Castellanis predicto lacu prestabant & prestare tenebantur, sic deinceps quoque illum censum prestent & prestare debeant ita quod a dicto censu dictus lacus omnino immunis sit, nec ipse D. Dux & Commune Venetiarum prorsus aliquod de dicto censu vel pro ipso censu prestare teneantur. A prestatione vero quintelli ipse D. Dux & commune Venetiarum prefatos Priorem & Monasterium conservent liberos. Quam permutationem & omnia & singula dicta & dicenda in ea dicte partes sibi invicem sollempni stipulatione attendere & adimplere promiserunt renuntiantes per pactum exceptioni doli mali & in factum deceptioni & simulationi condictioni sine causa vel injusta causa beneficio restitutionis in integrum Supplicationi litteris impetratis & impetrandis de omni alio juri per quod dicta permutatio, vel quicquid dicte permutationis infringi posset vel aliquatenus impediri concessa licentia per dictum priorem ipsi Dom. Duci vel alii cuicunque pro communi Venetiarum ingrediendi tenutam & possessionem dicti lacus auctoritate propria sine requisitione alterius persone quam permutationem & res permutatas dicte partes invicem sollempniter promisserunt guarentare, & deffendere ab omni persona collegio & universitate tam in juditio, quam extra juditium suis propriis sumptibus & expensis promittentes invicem de evictione sub pena duppli dampni, interesse & expensis pro quibus omnibus & singulis attendendis, observandis, & adimplendis tam ipse prior omnia bona dicti Monasterii, quam ipse Dominus Dux omnia bona communis Venetiarum sibi invicem pignori obligaverunt que se unus pro altero constituerunt precario possidere usque ad satisfactionem plenariam omnium premissorum. Actum in ducali palacio in Camerino majori Domini Ducis presentibus Domino Nicolao dicto pistorino du-

ducatus Venec. Cancellario Domino Francisco polano Domini Ducis Socio Nicolao de Marsilio ducatus Venet. Scriba & presbyt. Bertuccio Sancti Angeli de Venet. & aliis.

Ego Nicolaus filius Dom. Johannis de Marchesino Imperiali auctoritate Not. & Ducatus Venet. Scriba hiis omnibus intersui & de mandato ipsius Domini Ducis scripsi complevi & roboravi.



Capitulum Canonicorum Castellanensium assentitur permutationi lacus de jure Monasterii Sancti Danielis factæ cum Duce & Commune Venetiarum.

M 1326. 18. Aprilis.

Ex Archivo Monasterii Sancti Danielis.

IN nomine Domini Amen Anno a Nativitate Christi millesimo trecentesimo vigesimo sexto Indictione nona tempore Sanctissimi Patris D. Joannis Pape vigesimi secundi die veneris decima octava mensis aprilis in Secretario (a) Ecclesie Castellane hora vesperarum. Presentibus Venerabilibus Viris DD. Acursio preposito pistoriensi, Andrea lippo thoringhelli de prato juris peritis, testibus rogatis. Petrus de la Tosa Mansionarius Castellane ecclesie supradicte & nuncius juratus episcopalis Curie Castellane suo juramento retulit Ven. Viro D. Medio Archidiacono Castellanensi, atque Capitulo infrascripto, De mandato dicti D. Archidiaconi majoris de capitulo antedicto, hodie ad Capitulum citasse, & convocasse ad presentem diem & horam omnes & singulos Canonicos Castellanenses ressidentes, & non ressidentes pro infrascriptis faciendis, & consequenter predictus Archidiaconus in Capitulo ipso, in quo interfuerunt & convenerunt ipse idem Archidiaconus, & D. Nicolaus fauro, Franciscus Michele, Bertuccius Quirino, Bertuccius Nani & Benetus Michele Canonici Castellanenses, reliquis Canonicis, usque ad horam debitam expectatis & non venientibus; Proposuit, quod D. Dux, & Commune Venetus, emptores lacus S. Danielis de Venetiis, in quo D. Episcopus Castellanus tanquam in re episcopatus in livelaria debet quovis anno habere quintellum, ut lacum ipsum liberum de cetero habeant, cupiunt pro ipso lacu substituere in communis ipsius imprestitis ..... ad grossos super quibus predictus D. Episcopus annuatim a dicta Ecclesia S. Danielis solitum censum habeat & livellum super quam substitutionem & permutationem eorumdem Canonicorum & Capituli consilium & consensum pro parte Ven. Patris Dom. Jacobi Dei gratia Episcopi Castellani, cujus erat Vicarius, postulavit, cui postulationi, atque dicte permutationi & substitutioni tanquam dicto Episcopatui & communi predicto utili predicti canonici & capitul. tractatu habito concorditer assenserunt.

Ego Philippus Plebanus S. Marie Formose de Venetiis publicus Imperiali auctoritate Not. predicta omnia quibus interfui subscripsi, & publicavi rogatus.

(a) Secretarium olim appellabatur, quod modo vocatur Sacrarium.

Carolus Abbas Monasterii S. Georgii Venetiarum de Mandato Urbani Papæ VI. Fr. Georgium de S. Georgio de Pedemontium Priorem S. Danielis Venetiarum Prioratu ejusdem S. Danielis privat, velut Schismaticum, & in eodem Prioratu instituit Fr. Joannem Gallina Monachum S. Georgii Majoris.

N 1389. 10. Martii.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.

IN Christi Nomine Amen. Presentatis jamdudum per religiosum virum Fratrem Antonium Gallina de Venetiis Monachum Monasterii S. Georgii Majoris de Venetiis Ordinis S. Benedicti Castellane Diecesis Nobis Karolo Dei, & apostolice sedis gracia abbati predicti Monasterii S. Georgii Majoris judici & executori ad infrascripta a Sede Apostolica prelibata specialiter deputato & per nos cum ea qua decuit reverentia receptis duabus litteris apostolicis Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri Domini Urbani divina providentia. Pape Sexti ejusdem Domini nostri Pape vera Bulla plumbea ad cordulam canapis more Romane Curie bullatis, non vitiatis, non cancellatis, nec in aliqua sui parte suspectis, sed omni prorsus vitio & suspicione carentibus quarum tenor per omnia talis est: Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio ..... Abbati Monasterii S. Georgii Majoris de Venetiis Castellane Diecesis salutem & Apostolicam Benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod Georgius de Sancto Georgio de Pedemontium, olim Prior Prioratus S. Danielis de Venetiis Ordinis S. Benedicti Castellane Diecesis perditionis alumno Roberto olim Basilice Duodecim Apostolorum Presbitero Cardinali, qui nunc antipapa qui se Clementem Septimum ausu sacrilego nominare presumit etiam post & contra processus per nos contra ipsum Robertum ejusque sequaces & fautores ac adherentes eidem factos & solemniter publicatos per quos eumdem Robertum velut schismaticum sententialiter condemnavimus puniendum notorie adherere & favere presumpsit. Nos igitur attendentes, quod veris existentibus supradictis prefatus Georgius de Prioratu ipso jure privatus existit discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis dicto Georgio, & aliis qui fuerint vocandi super premissis auctoritate nostra inquiras diligentius veritatem, & si per inquisitionem hujusmodi ita esse repereris eumdem Georgium Prioratu predicto sententialiter declares fuisse & esse privatum, ipsumque amoveas realiter ab eodem contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante si eidem Georgio & quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indulsum, quod interdici suspendi vel excommunicari, aut ad judicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Luce Idibus Junii Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Urba-

Urbanus VI. mandat Abbati S. Georgii Majoris, ut inquirat, an Georgius Prior S. Danielis Venetiarum adhæserit Clementi VII. Antipapæ, in quo casu illi adimat Prioratum, atque ipsum conferat ad Antonium Monachum S. Georgii Majoris Venetiarum.

1388. 26. Augusti.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.

URbanus Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio ... Abbati Monasterii S. Georgii Majoris de Venetiis Castellane Diocesis Salutem & Apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur & congruum ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Dudum siquidem ad audientiam nostram deducto, quod Georgius de S. Georgio de Pedemontium olim Prior prioratus S. Danielis de Venetiis ordinis S. Benedicti Castellan. Diocess. perditionis alumno Roberto olim Basilice duodecim Apostolorum Presbitero Cardinali nunc Antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominare presumit, etiam post & contra processus per nos contra eundem Robertum ejusque fautores & sequaces ac eidem adherentes factos & solemniter publicatos per quos ipsum Robertum velut hereticum & scismaticum sententialiter condemnavimus puniendum notorie adherere & favere presumpserit, Nos videl. Id. Junii Pontificatus nostri Anno decimo attendentes, quod veris existentibus supradictis prefatus Georgius dicto Prioratu ipso jure privatus extiterat tibi per nostras litteras dedimus in mandatis, ut vocatis dicto Georgio & aliis qui forent evocandi super premissis inquireres auctoritate nostra diligentius veritatem, & si per inquisitionem hujusmodi reperires, ita esse eundem Georgium ipso Prioratu declarares fuisse, & esse privatum, eumque amoveres realiter ab eodem ac etiam attendentes, quod si dictus Georgius prefato Roberto adheserat, ut prefertur predictus Prioratus propterea vacaverat, & vacabat nullusque de illo preter nos ea vice disponere potuerat sive poterat pro eo quod nos diu ante vacationem hujusmodi omnes Prioratus dignitates personatus & officia ceteraque beneficia ecclesiastica secularia & regularia cum cura & sine cura quorumcunque per hujusmodi adhesionem tunc vacantia & in antea vacatura collationi & dispositioni nostre reservantes decrevimus ex tunc irritum & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, tibi per alias nostras litteras mandavimus, ut si per te eundem Georgium Prioratu predicto privatum declarari contingeret eundem Prioratum, sic vacantem, dilecto filio Nicholao de Utino ordinis Fratrum Minorum professori tunc Monacho Monasterii Posacen. dicti ordinis Aquilegensis Diocesis familiari nostro predicta auctoritate conferres, prout in dictis litteris plenius continetur. Postmodum vero antequam ad executionem ipsarum litterarum procederetur nos eundem Nicolaum apud eandem Sedem constitutum, qui tunc dictum Prioratum de facto occupabat ex certis rationabilibus causis ad id nostrum inducentibus animum ad eundem fratrum minorum ordinem, cujus antequam dicti Monasterii Monachus esset, professus fuerat auctoritate apostolica duximus reducendum. Cum autem secundum premissa jus, quod dicto Nicholao ipsarum litterarum vigore in eodem Prioratu seu ad eum quomodolibet competebat aut competere poterat ipso jure vacaverit & vacet ad

pre-

presens. Nos volentes dilectum filium Antonium Gallina de Venetiis Monachum tui Monasterii, quod dicti ordinis extitit apud nos de religionis zelo, vite ac morum honestate, aliisque probitatis & virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis dicto Georgio & aliis qui fuerint evocandi tam super adhesione predicta quam etiam si dictus Georgius eidem Roberto non adhesisset & aliqua comisisset propter que ipso Prioratu merito privari deberet eadem auctoritate inquiras diligencius veritatem & si per inquisitionem hujusmodi eundem Georgium prefato Roberto adhesisse repereris ipsum Georgium Prioratu predicto sententialiter declares fuisse & esse privatum juxta earumdem priorum continentiam litterarum & si forsan per inquisitionem eandem dictum Georgium eidem Roberto non adhesisse sed alia comisisse inveneris propterque dicto Prioratu merito privari debeat ipsum Georgium predicto Prioratu sententialiter prives, & amoveas realiter ab eodem prout de jure fuerit faciendum & nihilominus sive per te declarationem, sive privationem hujusmodi fieri contigerit ut prefertur si Prioratus ipse curatus vel dignitas aut personatus existat & per diligentem examinationem dictum Antonium bene legere, bene construere, bene cantare & congrue loqui latinis verbis & alias idoneum ad ipsum Prioratum obtinendum esse repereris vel etiam si dictus Antonius non bene cantaret dummodo in tuis manibus juret ad sancta Dei Evangelia quod infra annum a tempore examinationis hujusmodi computandum bene cantare addiscet eumdem Prioratum etiam si curatus & conventualis ac dignitas, vel personatus aut perpetua administratio existat & ad eum consueverit quis per electionem assumi si vero ita esse non inveneris dictusque Prioratus curatus aut dignitas vel personatus non sit ipseque Antonius non bene cantet & non juraverit, ut prefertur dummodo ipsum alias post examinationem hujusmodi ad obtinendum ipsum Prioratum idoneum esse repereris super quibus tuam conscientiam oneramus, eundem Prioratum qui a Monasterio de Fructuaria dicti Ordinis S. Benedicti Iporiensis Diocesi. dependet & per ipsius Monasterii Monachos gubernari consuevit, cujusque fructus, redditus, & proventus Trecentorum ducatorum auri secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Antonius asserit, non excedunt, sive ut prefertur, sive alias quovis modo, vel ex alterius cujusque persona vacet etiam si dictus Prioratus perpetua administratio fuerit & ad eum quis per electionem assumatur dictusque Nicolaus alicujus ex Venerabilibus fratribus nostris Sancte Romane Ecclesie Cardinalibus familiaris fuerit dummodo ejusdem Prioratus dispositio ad nos dumtaxat hac vice pertineat cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Antonio auctoritate nostra conferre & assignare procures. Inducens per te vel alium seu alios eundem Antonium, vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem Prioratus juriumque & pertinentiarum predictorum eadem auctoritate & defendens inductum amoto exinde quolibet detentore, ac eundem Antonium quam primum ipse vigore presentium dicti Prioratus possessionem fuerit pacificam assecutus de dicto Monasterio tuo cujus Monachus etiam expresse professus existit ad ipsum Monasterium de fructuaria auctoritate predicta transferas facias ipsum inibi recipi in Monachum & in fratrem sibique juxta consuetudinem dicti Monasterii de fructuaria regularem habitum exhiberi ac cum sincera ibidem in Domino caritate tractari ipsumque Antonium vel dictum procuratorem pro eo ad hujusmodi Prioratum ut est moris admitti sibique de ipsius Prioratus fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integre responderi Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Pape VIII. predecessoris nostri

stri & aliis quibuscunque constitutionibus apostolicis ac statutis & consuetudinibus Monasteriorum tui & de fructuaria Prioratus & ordinis S. Benedicti predictorum contrariis juramento confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis. Aut si pro aliis in dicto Monasterio de fructuaria scripta forsan apostolica sint directa. Seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi Prioratibus dignitatibus personatibus perpetuis administrationibus vel officiis, aut aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus spetiales vel generales predicte sedis vel legatorum ejus litteras impetrarunt etiam si per eas ad inhibitionem reservationem, & decretum vel alias quomodolibet fit processum quibus omnibus in assecutione dicti Prioratus prefatum Antonium volumus anteferri sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem Prioratuum dignitatum personatuum perpetuarum administrationum vel officiorum aut beneficiorum aliorum prejudicium generari. Aut si dilectus filius... Abbas Monasterii de Fructuaria & ejusdem ac Prioratus predictorum Conventibus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata Sede indultum existat quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur & ad id compelli aut quod interdici suspendi, vel excommunicari non possint quodque de Prioratibus dignitatibus personatibus perpetuis administrationibus officiis aut aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem electionem seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem & qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscunque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel diferri & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio spetialis. Nos enim prout est irritum decernimus & inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attemptari. Datum Ferentini VII. Kal. Septembris Pontificatus nostri anno Undecimo. Nos Karolus Abbas judex & executor suprascriptus cupientes mandatum Apostolicum prelibatum nobis in hac parte directum exequi reverenter prefatum Georgium de Sancto Georgio de Pedemontium principalem in ipsis apostolicis litteris nominatum responsurum cuidam inquisitioni per nos contra eum formate auctoritate apostolica per edictum, seu nostras litteras patentes in valvis Ecclesie ipsius Prioratus affixas & in ipsa Ecclesia publicatas ad certum peremptorium terminum competentem & deinde ad omnes alios & singulos actus cause hujusmodi successive tam ipsum, quam omnes alios & singulos sua interesse putantes usque ad diffinitivam sententiam successive & inclusive processum visuros & audituros quicquid justicia suaderet citavimus ut coram nobis Venetiis in prefato nostro Monasterio legitime comparere curarent. Quo termino adveniente comparuit coram nobis in judicio in prefato nostro Monasterio pro tribunali sedentibus nobilis Vir D. Petrus Superancio de Venetiis asserens se procuratorem prefati Georgii, & fidem faciens de sue procurationis mandato produxit coram nobis quoddam sue procurationis publicum Instrumentum minus sufficiens ad predicta quem D. Petrum statuto eidem termino ad peremptoriam certam diem ad audiendum deliberacionem nostram super dicto mandato, ac termino adveniente predicto ad hujusmodi deliberacionem nostram audiendam comparentem nomine predicto in judicio coram nobis interloquendo pronunciavimus & dictum mandatum utpote minus legitimum per nos in hujusmodi causa non fore admittendum nec admisimus & per nos ex officio nostro circa factum inquisitionis predicte fore juris ordine servato procedendum prefati Georgii contuma-

tumacia non obstante & in hujusmodi causa procedentes quædam capitulo per nos ex officio nostro formavimus de quibus & contentis in eis dictus Georgius fuerat & erat apud nos a fide dignis testibus & personis publice diffamatus. Et primo quod dictus Georgius perdictionis allumpno Roberto olim Basilice duodecim apostolorum Presb. Card. nunc Antipape, qui se Clementem VII. ausu sacrilego nominare presumit, notorie adherere & favere presumpsit post & contra processus per prefatum Dom. Nostrum Papam contra eumdem Robertum ejusque fauctores & sequaces ac adherentes eidem factos & solemniter publicatos per quos eumdem Robertum velut hereticum & scismaticum idem Dominus noster Papa puniendum sententialiter condemnavit. Item etiam quod prefatus Georgius tempore quo ipse Georgius prefuit ipsi Prioratui dilapidavit & pessime dispensavit ac gubernavit & vendidit calices & alia jocalia argentea prioratus prelibati & pecunias inde receptas in suos usus convertit. Super quibus quidem capitulis quamplures fidedignos testes & omni exceptione majores per nos juridice citatos & juratos examinavimus diligenter, & demum ipsos ac eorum & cujuslibet ipsorum attestationes & dicta, ac totum processum super predictis per nos factum & habitum coram nobis in ipsius Georgii contumaciam publicavimus & aperuimus, & pro publicatis & apertis haberi voluimus & habuimus, & in causa predicta conclusimus & habere voluimus pro concluso prout de predictis omnibus in actis factis, & habitis coram nobis & per Angelum quondam luce de Eugubio clericum Tervisinum publicum apostolica & imperiali auctoritate notarium & hujusmodi cause scribam infrascriptum scriptis plenius continetur. Visis igitur dicto processu ac dictis & attestationibus testium predictorum ac actis omnibus & actitatis in causa hujusmodi per nos & coram nobis & super hiis omnibus cum quampluribus peritis habito consilio diligenti ac deliberatione matura Christi nomine invocato de cujus vultu recte procedunt judicia prefatum Georgium de Sancto Georgio de pedemontium ad presentes diem & horam per nos legitime & peremptorie citatum ad hanc nostram diffinitivam sententiam audiendam licet contumacem & absentem cujus absentia dei presentia supleatur auctoritate apostolica qua fungimur in hac parte in claustro & penes locum qui dicitur capitulum prefati nostri Monasterii pro tribunali sedentes in hiis scriptis per hanc nostram diffinitivam sententiam prioratu predicto S. Danielis privandum fore & esse decernimus & etiam declaramus ac privamus, & amovemus realiter ab eodem. Et predicta dicimus sententiamus, & declaramus omni jure via modo, & forma quibus melius possumus mandantes Angelo Notario publico supra & infrascripto, ut de predictis publicum conficiat instrumentum. Lata lecta & in scriptis publicata fuit suprascripta diffinitiva sententia per Rev. in Christo Patrem & Dom. D. Karolum Abbatem Judicem & executorem suprascriptum Venetiis in prefato Monasterio S. Georgii Majoris Castellane Diocesis in claustro & penes locum qui dicitur Capitulum dicti Monasterii pro tribunali sedentem in contumaciam dicti fratris Georgii de Sancto Georgio. Anno Dominice nativitatis Millesimo trecentesimo octuagesimo nono Indictione duodecima die sexta mensis Martii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri Domini Urbani divina providentia Pape VI. predicti Anno undecimo. Presentibus Ven. & sapiente Viro D. Bartholomeo de Mussolinis decretorum doctore, ac providis & religiosis Viris fratribus Henrico de Wremia ordinis Cisterciensis, Benedicto de Caronellis, Georgio de Venetiis & Mauro de Venetiis Monachis prefati Monasterii S. Georgii Majoris Testibus ad predicta vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego Angelus quondam luce de Eugubio publicus apostolica & Imperiali auctoritate Notarius suprascripte sententie prolationi, lectioni, publicatio-

tioni, & promulgationi & omnibus aliis & singulis suprascriptis dum sic ut premittitur per prefatum Dom. Abbatem Judicem & executorem agerentur & fierent una cum prenominatis testibus presens fui, eaque omnia & singula scripsi & in hanc publicam formam de mandato prefati D. Abbatis & Executoris redegi. Signoque consueto signavi in testimonium omnium premissorum.

In Christi nomine Anno ab ipsius nativitate millesimo trecentesimo octogesimo nono Indictione duodecima die Octava mensis Marcii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri D. Urbani divina providentia Pape VI. anno undecimo. Comparens coram Rev. in Christo Patre & Dom. D. Karolo Dei & apostolice Sedis gratia Abbate Monasterii S. Georgii Majoris de Venetiis Castell. Dioces. judice & Executore suprascripto & ad infrascripta Executore ad infrascripta a sede Apostolica specialiter deputato. Religiosus Vir D. Fr. Antonius Gallina Monachus Monasterii prelibati S. Georgii Majoris dixit & proposuit quod cum ad aures & noticiam ipsius D. Fr. Antonii provenerit quod ipse D. Abbas judex & Executor prefatum Fr. Georgium de Sancto Georgio de pedemontium olim Priorem Prioratus S. Danielis de Venetiis ordinis S. Benedicti Castellan. Dioc. suis exigentibus demeritis auctoritate apostolica ipso prioratu privaverit sententialiter ac ipsum amoverit realiter ab eodem. Ipseque D. Abbas Judex & Executor prefatus ab eadem Sede habeat in mandatis, ut casu occurrente privationis hujusmodi prefatum Prioratum cum omnibus juribus, & pertinentiis suis ipsi D. Fr. Antonio auctoritate apostolica conferat & provideat de eodem prefato D. Abbate Judice & Executore supplicavit humiliter & devote ac ipsum requisivit instanter ut contenta in suprascriptis litteris Apostolicis dignetur executioni debite demandare juxta ipsarum continentiam litterarum. Cui D. Abbas Judex & Executor prefatus ipsius D. Fr. Antonii supplicationibus & requisitioni annuens tanquam justus & volens ut dixit mandatum apostolicum supradictum ut tenetur & debet exequi reverenter ipsarumque apostolicarum litterarum suprascriptarum attento & inspecto tenore dictum Fratrem Antonium in prefati D. Abbatis presencia constitutum & per eumdem D. Abbatem in lectura constructione & cantu & congrua locutione latinorum verborum diligenter examinatum & per ipsum D. Executorem repertum bene legere, bene construere, bene cantare & congrue loqui latinis verbis idem D. Abbas & Executor auctoritate apostolica pronunciavit ydoneum ad ipsum prioratum obtinendum dictumque Prioratum S. Danielis qui a Monasterio de fructuaria ordinis S. Benedicti Iporiensis Diocesis dependet & per ipsius Monasterii Monachos gubernare consuevit cujusque fructus, redditus, & proventus Trecentorum Ducatorum auri secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt sive ut prefertur, sive alio quovis modo vel alterius cujuscunque persona vacet etiam si dictus Prioratus curatus, & conventualis ac dignitas vel personatus, ac perpetua administratio existat & ad eum quis consueverit per electionem assumi Nicolausque in suprascriptis apostolicis nominatus alicujus ex reverendissimis patribus & Dominis DD Sancte Romane Ecclesie Cardinalibus familiaris fuerit cum omnibus juribus & pertinentiis suis prefato D. Fratri Antonio ibidem presenti ac humiliter acceptanti auctoritate predicta contulit & providit de eodem ipsumque D. Fr. Antonium coram prefato D. Abbate & Executore flexis genibus constitutum de ipso Prioratu cum quodam annulo aureo quem idem D. Abbas tenebat in manibus actualiter investivit Offerens se paratum cetera contenta in ipsis Apostolicis litteris dum tempus aderit executioni debite demandare juxta ipsarum Apostolicarum continentiam litterarum. Requirensque me notarium publicum infrascriptum ut de predictis publicum conficerem instru-

mentum. Acta fuerunt predicta Venetiis in dicto Monasterio S. Georgii Majoris in claustro ante locum qui dicitur Capitulum dicti Monasterii. Presentibus Rev. in Christo Patre D. Fr. Francisco Dei gratia Abbate Monasterii S. Leonardi de Mathemauco Clugien. Dioc. & providis Viris Jacobo quondam Dom. Regolfi de Valencia Bartholomeo quondam Johannis de Mercatello & Nicolao quondam Johannis de Norembergo Familiaribus prefati D. Abbatis. Testibus ad predicta vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego Angelus quondam Luce de Eugubio Clericus Tervisinus publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius predictis omnibus & singulis una cum prenominatis testibus presens fui eaque omnia & singula scripsi & in hanc publicam formam redegi Signoque meo consueto signavi rogatus in testimonium omnium premissorum.

In Christi nomine amen. Anno ab ipsius nativitate millesimo trecentesimo octogesimo nono Indictione duodecima die decima mensis Marcii Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & Domini Nostri D. Urbani divina providentia Pape VI. anno Undecimo. In mei notarii publici & testium infrascriptorum ad hec vocatorum specialiter & rogatorum presentia. Suprascriptus Rev. in Christo pater & Dom. D. Karolus Abbas Monasterii S. Georgii Majoris de Venetiis & executor prefatus requisitus per suprascriptum D. Fr. Antonium Gallina Priorem predicti Prioratus S. Danielis accedens personaliter ad dictum Prioratum eumdem D. Fr. Antonium priorem auctoritate apostolica qua fungimur in hac parte in ejusdem prioratus juriumque & pertinentiarum ipsius possessionem corporalem per pannos majoris altaris ipsius prioratus eidem stallum in choro & locum in capitulo ac claves ejusdem prioratus campanas pulsando, & Te Deum laudamus decantando & alia ut moris est faciendo posuit & induxit. Mandans per hoc presens publicum instrumentum auctoritate apostolica supradicta de fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis dicti Prioratus eidem D. Fr. Antonio ut prefati prioratus vero priori, seu ejus procuratori ejus nomine integraliter responderi. Offerens se nihilominus omnia alia & singula in dictis apostolicis litteris contenta si & in quantum ac prout fuerit requisitus executioni debite demandare. Requirensque me notarium publicum infrascriptum ut de predictis publicum conficiam instrumentum.

Acta fuerunt predicta Venetiis in predicto prioratu, seu Ecclesia & Capitulo dicti Prioratus. Presentibus Reverendis in Christo patribus & Dominis DD. Giberto Dei & apostolice sedis gratia Episcopo Civitatis Nove & Fr. Francisco Abbate Monasterii S. Leonardi de Mathemauco Clugien. Dioc. nec non providis & discretis Viris Dominis presb. Donato S. Felicis & Antonio S. Leonardi Ecclesiarum de Venetiis Castell. Diocesi. plebanis ac Fr. Jacobello de Venetiis Monacho dicti Monasterii S. Georgii Majoris testibus ad predicta vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego Angelus quondam Luce de Eugubio clericus Tervisinus publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius predictis omnibus & singulis una cum prenominatis testibus presens fui eaque omnia & singula scripsi & in hanc publicam formam redegi signoque meo consueto signavi rogatus & requisitus in testimonium omnium premissorum.

Franciscus Bembo ex commissione Joannis Papæ XXIII. Fratrem Nicolaum de Rizardis Ordinis Heremitarum Sancti Augustini instituit Priorem Sancti Danielis Venetiarum Ordinis Sancti Benedicti.

O 1414. *6.* Octobris.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.

UNiversis & singulis presentes nostras litteras seu presentem nostrum processum inspecturis ad quos vel ad quem presens tangit negotium vel tangere poterit quomodolibet in futurum. Franciscus Bembo Dei & Apostolice Sedis gratia Episcopus Castellanus & executor ad infrascripta a Sede Apostolica specialiter deputatus salutem in Domino sempiternam. Cum Sanctissimi Domini nostri D. Johannis divina providentia sacrosancte ac universalis Ecclesie Pape vigesimitertii litteras accepissemus vera ipsius Domini nostri pape bulla plumbea canapino filo subspensa, ut romane curie moris est emanatas sanas & integras non vitiosas non suspectas non cancellatas, sed omni prorsus vitio suspicioneque carentes, nobis qua decuit reverentia per religiosum ac Ven. Virum Fratrem Nicolaum Rizardi de Verona ordinis heremitarum S. Augustini professorem & in eodem ordine existentem lectorem, his in litteris apostolicis nominatum, coram testibus & notario solempniter presentatas infrascriptis, quarum tenor talis est. Johannes Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri... Episcopo Castellano Salutem, & Apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur & congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Dudum siquidem per nos accepto quod prioratus S. Danielis de Venetiis ordinis S. Benedicti Castellane Diocesis quem quondam Jacobus Gallina ipsius prioratus prior dum viveret obtinebat per ejusdem Jacobi obitum qui extra romanam curiam diem clausit extremum vacaverat & vacabat tunc. Ac dilectus filius Tomas dilecti filii nobilis viri Michaelis salamon, domicelli, etiam de Venetiis natus ordinis fratrum predicatorum professor de eodem ordine fratrum predicatorum ad dictum ordinem S. Benedicti ad quem singularis devotionis affectum gerebat se transferri desiderabat ac ipsum ordinem Sancti Benedicti profiteri. Nos tunc per alias nostras litteras dilecto filio Archiprebitero Ecclesie S. Martini de plebe sacci paduan. Diocef. mandavimus ut si eumdem Prioratum ut prefertur vacare reperiret eumdem Tomam si alias esset ydoneus & aliud canonicum non obstaret de predicto ordine fratrum predicatorum ad eundem ordinem Sancti Benedicti auctoritate nostra transferret sibique regularem habitum dicti ordinis S. Benedicti exiberet nec non ab eodem Toma regularem profexionem per monacos dicti ordinis S. Benedicti emitti consuetam si eam in manibus predicti Archipresbiteri emittere vellet, reciperet & admitteret ipsique Tome, postquam eumdem ordinem S. Benedicti professus foret, ut prefertur si ipsum post diligentem examinationem ad hoc ydoneum esse inveniret, eumdem prioratum nunc vacantem dummodo tunc non esset in eo alicui specialiter jus quesitum eadem autoritate conferret, & de illo etiam provideret prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum autem sicut postea accepimus predictus Tomas ad eundem ordinem S. Benedicti transire, & illum profiteri non velit, & propterea predictus prioratus adhuc, ut premittitur, vacare noscatur ipseque Tomas omni juri, si quod in eo-

eodem prioratu, vel ad illum vigore dictarum litterarum quomodolibet competit, aut competere potest, sponte & libere cedere proponat, ac dilectus filius Nicolaus Rizardi de Verona ordinis Fratrum Heremitarum S. Augustini professor, ad eumdem ordinem S. Benedicti transire, illumque profiteri desideret. Nos votis ipsius Tome in hac parte favorabiliter annuentes, ac volentes eundem Nicolaum, qui ut asserit in eodem ordine suo lector existit aput nos de religionis zelo vite ac morum honestate aliisque probitatis & virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus cessionem predictam ab eodem Thoma vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto si eam sponte & libere facere voluerit, ut prefertur eadem auctoritate hac vice dumtaxat recipias & admittas, & si prioratum predictum qui conventualis non est & a nullo Monasterio, seu alio loco regulari dependet, adhuc vacare inveneris ut prefertur dictum Nicolaum si alias sit ydoneus & aliud canonicum non obsistat de dicto ordine fratrum Heremitarum ad ordinem S. Benedicti predictum auctoritate predicta transferas, sibique regularem habitum dicti ordinis S. Benedicti exibeas & nihilhominus ab eodem Nicolao regularem professionem per monacos dicti ordinis S. Benedicti emitti consuetam, si eam in tuis manibus emittere voluerit eadem autoritate recipias & admittas, & insuper eidem Nicolao postquam ordinem ipsum S. Benedicti professus fuerit, ut prefertur, si ipsum post diligentem examinationem ad hoc ydoneum esse inveneris super quo tuam conscientiam oneramus prioratum predictum sive ut premittitur, sive alio quovis modo aut ex alterius cujuscunque persona etiam si tanto tempore vacaverit quod ejus collatio juxta lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta vel prioratus ipse dispositioni apostolice specialiter reservatus aut curatus vel dignitas existat, & ad eum consueverit quis per electionem assumi; dummodo tempore date presentium non sit in eo alicui specialiter jus quesitum cum omnibus juribus & pertinentiis eidem Nicolao autoritate predicta conferas & assignes. Inducens per te, vel per alium seu alios eumdem Nicolaum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem prioratus juriumque & pertinentiarum predictorum, & defendens inductum amoto exinde quolibet illicito detentore. Ac faciens ipsum Nicolaum vel dictum procuratorem pro eo ad eumdem Prioratum ut est moris admitti, sibique de ipsius prioratus fructibus, reditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integre respondere contradictores autoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstantibus fel. rec. Clementis V. & Benedicti XII. Romanorum Pontificum predecessorum nostrorum, ac aliis quibuscunque constitutionibus apostolicis, nec non statutis & consuetudinibus ordinum predictorum contrariis juramento confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis. Aut si alicujus super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi prioratibus aut aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis, vel legatorum ejus litteras impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem reservationem & decretum vel alias quomodolibet sit processum quibus omnibus prefatum Nicolaum in assecutione dicti Prioratus volumus anteferri Set nullum per hoc eis quod ad executionem prioratuum, aut beneficiorum aliorum prejuditium generari. Seu si Episcopo Castellano pro tempore existenti vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sede indultum existat quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur & ad id compelli, aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint quodque de hujusmodi prioratibus vel aliis benefitiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separa-

para-

paratim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscunque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim cum eodem Nicolao ut prioratum predictum si vigore presentium & etiam quecunque alia benefitia ecclesiastica cum cura vel sine cura per monacos dicti ordinis S. Benedicti gubernari consueta etiam si dignitates personatus offitia aut dignitates ipse prioratus conventuales vel abbatiales existant, si canonice sibi conferantur recipere & retinere ac etiam locum in capitulo libere & licite habere valeat, constitutionibus ordinationibus ac statutis, & consuetudinibus supradictis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate predicta tenore presentium de uberioris dono gratie dispensamus. Et insuper si dictus Nicolaus ad hoc alias ydoneus repertus fuerit, ut prefertur ex nunc perinde irritum decernimus & inane si secus super his a quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari ac si die Date presentium eidem Nicolao ad hoc reperto ydoneo de predicto prioratu cum interpositione decreti provideri mandavissemus. Datum Bononie tertio Kal. Octob. Pontificatus nostri anno quinto. Post quarum quidem litterarum apostolicarum presentationem fuimus per prefatum fratrem Nicolaum debita cum instantia requisiti, ut ad executionem dictarum litterarum & contentorum in eis procedere dignaremur juxta ipsarum continentiam & tenorem. Nos igitur Franciscus Episcopus & executor prefatus volentes mandatum apostolicum nobis in hac parte directum diligenter exequi ut tenemur cessionem omni juri si quod dictus Frater Thomas in ipso prioratu S. Danielis habuisset vel ad eum vigore dictarum litterarum quomodolibet competere potuisset a Reverendo in Christo patre D. Fr. Gualterio Episcopo Bovensi (a) ab ipso Fr. Thoma ad hoc procuratore specialiter constituto, prout apparet publico instrumento manu ser Jacobello Girardo Notario publico confecto in nostris manibus libere & sponte factam auctoritate apostolica in primis recepimus & admisimus. Deinde cum prefatus Thomas mutato proposito ad prefatam regulam S. Benedicti transire prout supra supplicabat, eam ipsamque profiteri postea noluerit ipsum Prioratum adhuc proinde vacare comperientes prefatum Nicolaum quem ydoneum ad hoc reperimus, nec aliud sibi ad hujusmodi translationem obsistit canonicum, quin eque ea fieri possit de dicto ordine Fratrum Heremitarum ad ordinem S. Benedicti predictum coram nobis personaliter existentem apostolica transtulimus autoritate sibique regularem habitum dicti ordinis Sancti Benedicti exibuimus & nihilominus ab eodem Nicolao regularem professionem per monacos dicti ordinis S. Benedicti emitti consuetam in nostris manibus sponte emissam autoritate predicta recepimus & admissimus, & insuper eidem Nicolao postquam fuit eundem ordinem S. Benedicti ut prefertur rite solempniterque professus, quem ad hoc exquisito de ejus meritis, magnoque facto examine dignum in primis approbantes prioratum predictum S. Danielis ut supra vel quovis alio modo vacantem eadem contulimus autoritate, & assignavimus omni modo, via jure & forma quibus melius potuimus debuimusque eumque Nicolaum prefactum de dicto prioratu per nostrum

(a) Frater Gualterius Episcopus Bovensis prætermissus videtur ab Ughello inter Episcopos Bovæ, quæ Urbs est superioris Calabriæ, in Italia Sac. Tom. VIII. col. 340. Nec invenitur inter Episcopos Bovini, quæ Apuliæ Urbs est, neque in Episcopis Boviani in Samnitibus.

strum anulum presentialiter investivimus. Postremo eaque autoritate Ven. & egregio Viro D. Dominico de Esculo canonico esculano nostroque vicario generali, jurisque peritissimo viro commisimus & mandavimus, quatenus eum Nicolaum vel procuratorem suum ad hoc ab eo legitime constitutum in corporalem possessionem prioratus juriumque & pertinentiarum predictorum imponat atque inducat inductumque defendat, amoto exinde quolibet illicito detentore faciatque dictum Nicolaum admodo Priorem verum ad dictum ut est moris prioratum admitti sibique de ipsius prioratus fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integre responderi. Contradictores vero quoslibet & rebelles autoritate compescendo predicta omni postposita appellatione. In cujus rei testimonium presentes nostras litteras, seu publicum instrumentum hujusmodi processum nostrum in se continentes seu continens per Nicolaum de Grifonibus Plebanum S. Blaxii de Venetiis nostrum notarium publicum ascribi & publicari fecimus nostrique pontificalis sigilli jussimus appensione muniri. Datum & Actum Venetiis in nostro episcopali palatio Castellano. Sub Anno Domini millexImo quadringentesimo quartodecimo septim. Ind. & die sexto mensis octubr. Tempore Sanctissimi in Christo patris & Domini Nostri D. Johanis divina providentia Pape vigesimi tertii. Presentibus Ven. Viris Fr. Luca de Reate ordinis S. Benedicti Capellano Monasterii S. Marie de Virginibus Fr. Jacobo de Venetiis ejusdem ordinis Cappellano Monasterii S. Anne Presb. Johanne nust teothonico Capellano prefati D. Episcopi Castellani Presb. Dimitrio de Drivasto Custode majoris Eclesie Castellane & aliis quampluribus testibus ad hec habitis specialiter, & rogatis.

Et Ego Nicolaus de Grifonibus Plebanus Sancti Blaxii de Venetiis apostolica autoritate Notarius & nunc pretestati Domini Episcopi Castell. scriba, atque Notarius quia predictis omnibus & singulis dum sic ut premittitur agerentur & fierent una cum prenominatis testibus presens fui, rogatusque scribere de mandato ipsius Domini Episcopi Castellani scripsi & publicavi signumque meum in fidem, & testimonium omnium premissorum apposui consuetum.

Fr. Thomas Salamon Ord. Prædicatorum electus Prior Sancti Danielis Venetiarum sponte renuntiat eidem Prioratui in manus Francisci Bembi Episcopi Castellani.

1414. 6. Octobris.

Ex Autographo in Archivo Monasterii S. Danielis.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Anno Domini millesimo quadringentesimo quartodecimo, septima Indictione & die sexto mensis Octub. Tempore Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri D. Johannis divina providentia Pape XXIII. In presentia mei notarii & testium infrascriptorum. Reverendus in Christo Pater Dom. Fr. Gualterius Dei & apostolice Sedis gratia Episcopus Bovensis & ad infrascriptam renuntiationem procurator Ven. ac religioso Viro Fr. Thoma Salamon ordinis Fratrum Predicatorum professore S. Danielis de Venetiis nuncupato Priore ad hoc legitime constitutus prout publico ex instrumento manu s. Jacobelli Girardo Not. publici Veneciarum confecto plane constat viso & a me lecto. Cum coram Rev. in Christo Patre

tre & Domino D. Episcopo Dei gratia Castellano D. Francisco Bembo nuncupato hujusmodi renunciationem recipiendi per apostolicas litteras potestatem habente una cum infrascriptis testibus & me notario solempniter convenisset. Volens commissionem sibi factam juxta votum adimplere constituentis absentis per procuratorem suum supplentis tamen ejus absentia ipsa in celebranda renunciatione. Sponte & libere ac ex certa scientia pretio amore prece vi omnique dolo pravitateque remotis non violentatus neque choactus, vel invictus omni juri si quod protestatus frater Thomas Prior nuncupatus in prioratu ipso S. Danielis habuisset vel ad eum vigore litterarum apostolicarum quomodolibet competere potuisset in manibus prefati D. Episcopi Castellani coram adsistens cessit, & omnimode renunciavit. Quam quidem cessionem, renunciationemque idem Dominus Episcopus rite canoniceque (ut supra) factam, in optimam partem in primis accomodans, auctoritate apostolica admisit, atque recepit omni modo via jure, & forma quibus melius potuit ac debuit. Rogans me notarium ut de prefatis cessione & renunciatione hoc unum ac plura si opus fuerit instrumenta retexam publicam in formam. Que namque omnia Venetiis in episcopali palatio Castellano in capella S. Justi eo in palatio sita acta ut supra fuerunt. Presentibus Ven. & egregiis viris D. Dominico de Esculo Canonico esculano prenominati Domini Episcopi Castellani Vicario generali jurisque perito viro Patre Luca de Reate ordinis S. Benedicti Monaco professo Capellano Monasterii de Virginibus de Venetiis Presbiteris Dimitrio de Drinasto custode majoris Ecclesie Castellane & Johanne Nust Teothonico Capellano ipsius Dom. Episcopi testibus ad hec habitis rogatis specialiter, & vocatis.

Et Ego Nicolaus de Grifonibus Plebanus S. Blaxii apostolica autoritate Notarius & nunc scriba atque prefati Domini Episcopi Castellani Notarius, quia predictis omnibus & singulis dum sic ut premittitur agerentur & fierent una cum prenominatis testibus presens fui, & rogatus scribere scripsi & publicavi signumque meum ad fidem & testimonium omnium premissorum apposui consuetum.



Michael de Sibinicho Prior S. Danielis Venetiarum concedit certis statutis conditionibus Monasterium ipsum Claræ Sustano ejusque sociis pro ædificando Monasterio Monialium.

P 1437. 6. Septembris.

Ex Archivo Monasterii Sancti Danielis.

IN Jesu Christi Salvatoris nomine Amen. Cum Monasterium S. Danielis Civitatis Venetiarum Regule Beati Benedicti & Dyocesis Castellane ob diuturnitatem temporis retroacti propter priorum dicti Monasterii antecessorum negligentiam adeo ad extremum pervenisse dignoscitur. Quod ni provideatur eidem in dessolationem precipitii ac ruine prorsus deveniet. Cum impossibilis sit ipsius reparatio Monasterii Venerabili Viro D. Michaeli moderno Priori ejusdem propter ipsius paupertatem opus prefatum non modicum sumptibus pluribus indigens opus non solum reficere verum etiam substinere ne cadat. Idcirco Dom. Michael Prior ipse affectans summopere quantum in Domi-

Domino Jesu possibile sibi sit aliqualem viam ydoneam pa.iter & honestam invenire qua mediante Monasterium ipsum reficiatur in bonum & gratia divina suffragante concrescat ut quanto amenius tanto devotius degentes in eo divino famulentur auctori una pro parte Venerabilisque ac commendabilis vite Dom. Clara Sustan de Venetiis cum certis aliis sororibus Spiritu divini numinis qui ubi vult spirat frugem melioris vite locumque decentem reperire desiderans ubi sanctimoniis ac opibus fructiferis degere & vivere valeret ipsi divine bonitati famulando ipsius nomine ac nominibus ceterarum sororum suarum nec non successorum suarum Ad infrascriptas compositiones conventiones transactiones promissiones obligationes & pacta insimul devenerunt que quidem compositiones conventiones transactiones promissiones obligationes & pacta D. Michel Prior prefatus & D. Clara nominibus quibus supra ita demum effectum & executionem plenariam sortiri voluerunt si per Sanctissimum D. N. Papam fuerint approbate & approbata, & non aliter nec alio ullo modo de quo solemniter fuerunt protestati in presentia mei notarii infrascripti ac testium infrascriptotum rogatorum & primo idem Dom. Michael prior conveniendo firmavit quod ipsa D. Clara cum sororibus prellibatis & earum successoribus Monasterium prefactum S. Danielis cum Ecclesia & continentibus hedifficiis orto & vinea habeat pro sua habitatione & habere debeat ac habeant ac habere debeant perpetualiter possintque & possit hedifficare, & hedifficari facere aptare in aconcio tenere & de novo ac in perpetuum reficere Suis tamen propriis laboribus sumptibus & expensis dictum Monasterium & locum cum aliis suis hedifficiis prout & sicut placuerit & sibi melius ac utilius videbitur absque aliqua contradictione Ecclesiam quoque dicti Monasterii offitiari facere ab uno pluribusve Sacerdotibus prout erit & apparebit eisdem expediens & suis expensis. Obligationes insuper omnes & generis cujuscunque que dicto Monasterio vel Ecclesie offerentur, sint & esse debeant sue libere. Et idem D. Michael prior titulum prioratus sicut tenet teneat omnium & singularum possessionum & bonorum dicto Monasterio spectantium & pertinentium liberam & expeditam possessionem habeat teneat ac habere tenere & possidere debeat prout & sicut habet ac tenet ad presens & fructus redditus ac proventus universos earumdem possessionum ac bonorum habeat percipiat & de eis & eorum singulis libere & expedite pro sua voluntate disponat & disponere valeat absque contradictione aliqua. Non possit quoque dicta D. Clara sororesve ejus presentes & future nec aliquis ejus vel earum nomine prelibatum D. Michaelem priorem occasione expensarum fiendarum seu factarum pro reparatione seu constructione dicti Monasterii & Ecclesie molestare nec inquietare seu impedire, aut aliquod aliud ab eo petere prout & sicut premissum est aut de fiendo temptatum possit valeatque ipse D. Michael Prior easdem D. Claram & Sorores ac successores expellere & expulse eo casu omnia perdidisse intelligantur & pro perditis habeantur, & intelligantur que exposuissent in dicto Monasterio occasionibus antedictis. Nec possit sepedictus D. Michael Prior eandem D. Claram sororesve ejus presentes & futuras postquam dictum Monasterium intraverint expellere aliquo modo via astutia aut forma per se vel alium aliquo quesito colore nisi ut supra tactum est contravenerint sub pena & in penam omnium & singulorum bonorum dicti Monasterii & ipsius D. Michaelis prioris ipsis Dominabus applicandorum & insuper reffectionis eorum que ipse exposuissent pro fabrica & officiando Ecclesiam. Que omnia & singula suprascripta premisse partes vid. D. Michael Prior Monasterii Sancti Danielis sepemissus & Dom. Clara Sustan cum sororibus pretactis pro se, & earum successoribus perpetuo rata firma ac grata habere tenere attendere observare & non contravenire per

se,

ſe, vel interpoſitam perſonam ſolemniter promiſerunt bona fide & ſine fraude ſibi invicem nec non promiſerunt omnia ea adimplere & contra ipſa vel aliquod eorum non contrafacere nec ſe ad invicem deffraudare ullo ingenio ſive modo ſub penis premiſſis. Si approbata fuerint & non aliter nec alio modo ut ſupra dictum eſt, Rogaverunt me Franciſcum de nigris Notarium infraſcriptum ut de premiſſis omnibus unum & plura conficerem inſtrumenta conſoni tenoris.

Actum Venetiis in quodam hoſpitio domus habitationis antedicte Dom. Clare Suſtan poſite in contrata S. Baxilii Preſentibus Ven. & egregio decretorum doctore D. Leonardo q. ſ. Marci de Venetiis decano Civitatis ac diſcretis viris ſ. Nicolao de ripa ſcriba ad officium ternarie Civitatis Venetiarum ſ. Dominico Zigoto q. ſ. Donati Varotario & Johanne allegreti de Cataro omnibus Venetiarum habitatoribus Teſtibus idoneis notis ad infraſcripta convocatis ſpetialiter & rogatis ac aliis. Anno a nativitate Domini noſtri Jesu Chriſti currente milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo. Indictione vero quintadecima & die veneris ſexto menſis Septembris.

Ego Franciſcus de Nigris filius ſ. Simonis de Canalimajori nunc Venetiis in contrata S. Samuelis habitans Publicus Imperiali auctoritate Notarius nec non judex ordinarius premiſſis omnibus & ſingulis dum ſic agerentur interſui & rogatus ea fideliter ſcripſi & in hanc publicam formam redegi ſigno & nomine conſuetis appoſitis.

Divus Laurentius Juſtinianus Epiſcopus Caſtellanus ex commiſſione Eugenii Papæ IV. Claram Omnebonum inducit in poſſeſſionem Monaſterii S. Danielis Venetiarum, ut ibi conſtruat Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini, cui poſſeſſioni contradixit, & ad Sedem Apoſtolicam appellavit Michael de Sebenicho Prior ejuſdem Monaſterii.

Q 1437. 18. Decembris.

Ex Archivo Monaſterii S. Danielis.

IN Chriſti nomine amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo Inditione xv. die decimo octavo menſis Decembris. Pateat evidenter omnibus & ſingulis preſens publicum inſtrumentum inſpecturis qualiter Coram Reverendiſſimo in Chriſto patre & Domino Dom. Laurentio Juſtiniano Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopo Caſtellano Comparuit egregius & nobilis vir D. Petrus Valerio de contrata S. Baſilii Caſtellane Dioceſis tamquam procurator & procuratorio nomine Ven. D. Clare Ognibenis de Venetiis ut de ipſius procurationis mandato conſtat publico mandato ſtipulato manu.... publici imperiali auctoritate Notarii in milleſimo quadringenteſimo XXXVII. Indictione xv. die.... menſis.... a me notario infraſcripto viſo & lecto & in preſentia notarii publici ac teſtium infraſcriptorum ad hoc ſpecialiter rogatorum exhibuit ac preſentavit litteras Sanctiſſimi in Chriſto patris & Domini D. Noſtri Eugenii divina providentia Pape quarti ſanas quidem & integras non vitiatas non maculatas non abraſas non ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpitione carentes bulla quidem plumbea ad cordulam canapis more Romane Curie impendenti munitas ſanas quidem & in-

& integras quarum quidem litterarum tenor qui sequitur de verbo ad verbum est talis.

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri.... Episcopo Castellano Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex injuncto nobis desuper servitutis officio ad ea libenter intendimus per que Monasteria & alia religiosorum loca deformationis opprobrio specialiter subjacentia per nostre operationis ministerium debite reformationis beneficio gratulentur grataque in illis deo plantaria ad laudem & gloriam divini nominis subrogentur. Cum itaque sicut accepimus Prioratus S. Danielis de Venetiis ordinis S. Benedicti tue Dioces. in suis structuris & edificiis plurimum ruinosus existat etiam dilectus filius Michael de Sibinicho ipsius Prioratus Prior jam senio confractus ad hujusmodi Prioratus structurarum & edificiorum reparationem & conservationem curam non ponit condecentem, ac etiam ad regimen dicti Prioratus intendere congrue non potest propter quod nisi oportune provideatur ipsi Prioratui brevi temporis cursu non modica damna timentur verisimiliter proventura. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecte in Christo filie Clare Ognibenis mulieris etiam de Venetiis dicte Dioc. petitio continebat ipsa & quedam alie illarum partium mulieres ob frugem melioris vite mundanis abjectis illecebris in prefato Prioratu qui de jure patronatus quorumdam Nobilium Venetorum prefate Dioc. existit ac Conventualis vel curatus non est sub regulari habitu per Moniales Monasterii S. Andree de Girada similiter de Venetiis ordinis S. Augustini prefate Diocesis gestari solito altissimo famulari structurasque & edificia Prioratus hujusmodi debite resarcire desiderent & proponant si eis super hoc apostolica suffragetur auctoritas pro parte Clare & aliarum mulierum predictarum nobis fuit humiliter supplicatum ut desiderio hujusmodi annuere & alias super hoc eis ad dicti Prioratus statum oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos propositum mulierum hujusmodi condignis in domino laudibus commendantes eisque super hoc consulere volentes fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus de premissis per te diligenter informatione recepta si ita esse repereris & ad id prefatorum Nobilium expressus accedat assensus illam de predictis mulieribus quam eedem Priorissam constituerint in possessionem inducas, ipsumque Prioratum per easdem & alias Sorores dicti ordinis que inibi juxta ejus mores consuetudines & instituta prefati Monasterii S. Andree ac illius Priorisse & Monialium vivere debeant regendum & gubernandum fore sub perpetue administrationis titulo dicta auctoritate decernas statuas ordines & declares. Memorato vero Priori titulum Prioratus ejusdem quod vixerit cum reservatione illius annue portionis pensionis de fructibus, redditibus, & proventibus dicti Prioratus reservando quam ad sustentationem dicti Prioris quoad vixerit sufficientem & ydoneam fore perspexeris ipso autem Priore cedente vel decedente in Prioratu predicto cujus fructus, redditus, & proventus ducentorum florenorum auri secundum communem extimationem valorem annuum ut dicte mulieres asserunt non excedunt, ordinem S. Benedicti supprimas & extinguas, nec non S. Augustini ordinem instituas ipsumque Prioratum in Conventualem erigas, ac sic erectum uni ex Clara & aliis mulieribus prefatis, quam ipse postquam professe extiterint duxerint eligendam sive per cessum vel decessum hujusmodi, sive alias quovis modo vacet dummodo tempore date presentium non sit in eo alicui alteri specialiter jus quesitum cum omnibus juribus & pertinentiis suis dicta auctoritate conferas & assignes inducens per te vel alium seu alios prefatam Electam vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem Prioratus juriumque & pertinentiarum predictorum, & defendens inductam amoto exinde quolibet illicito detentore ac faciens sibi de ipsius Prioratus fructibus,

bus,

bus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis integre responderi. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis nec non statutis & consuetudinibus Prioratus & ordinis predictorum juramento confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscunque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de Prioratibus hujusmodi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel Legatorum ejus litteras impetrarint etiam si per eas ad inhibitionem reservationem & decretum vel alias quomodolibet sit processum quas quidem litteras & processus habitos per easdem ad Prioratum hujusmodi volumus non extendi sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Prioratuum aut beneficiorum aliorum prejudicium generari & quibuslibet aliis privilegiis & indulgentiis ac litteris apostolicis specialibus vel generalibus quorumcunque tenorum existant per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim si suppressionem institutionem & alia supradicta feceris ut prefertur Priorisse & Monialibus dicti Prioratus pro tempore existentibus quemcunque ydoneum ac vite laudabilis secularem dumtaxat sacerdotem qui quociens oportunum fuerit eorum confessiones audire & pro commissis debitam absolutionem impendere & salutarem penitentiam injungere nec non ipsis eucaristie & alia sacramenta ministrare ac eidem Sacerdoti ut illa facere possit & valeat eligendi plenam & liberam facultatem auctoritate predicta tenore presentium de speciali gratia concedimus & etiam indulgemus. Datum Bononie Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo tricesimo septimo quinto Idus Octobr. Pontificatus nostri anno septimo. Post quarum quidem litterarum presentationem & receptionem cum ipse Reverendissimus D. Episcopus ea qua decuit reverentia acceptaverit fuit debita cum instantia requisitus prefatus D. executor & commissarius apostolicus per prefatum D. Petrum debita cum instantia requisitus quatenus ad ipsarum litterarum apostolicarum executionem procedere dignaremur juxta traditam seu directam sibi a Sede apostolica formam & juxta ipsarum litterarum apostolicarum seriem formam & tenorem, & si ipsum dicto nomine in tenutam & corporalem possessionem dicti Prioratus S. Danielis juriumque & pertinentiarum ipsius induceret inductumque deffendere qui Reverendiss. D. Episcopus Castellanus prefatus attendens commissionem Sanctissimi Domini nostri Pape superius sibi factam & volens ac intendens mandatis apostolicis sibi in hac parte factis tanquam filius obedientie parere ad prefatum Monasterium Sancti Danielis una cum nobili & egregio Viro D. Andrea bragadeno q. D...... asserto habere juspatronatus in dicto Monasterio ad ipsum Monasterium personaliter accessit & quia vidit dictum Monasterium totum ruinosum esse & dictum D. Michaelem Priorem impotentem esse ad ipsius Monasterii reparationem & vidit ac habuit consensum & voluntatem dicti D. Andree bragadeno asserti jus patronatus habere in dicto Monasterio & firmiter scit ac sibi legitime constiterit D. Claram predictam Ognibenis & illas alias mulieres quas secum habere in dicto Monasterio & secum ducere pretendit ad ipsum Monasterium media divina clementia recuperandum & conservandum potentes esse & fore dictum Monasterium & animadvertens omnia & singula in predicta bulla apostolica contenta veritate fulciri omnibus modo via jure forma & causa quibus magis & melius auctoritate apostolica sibi in hac parte tradita & concessa potuit atque potest declaravit & ordinavit dictum Monasterium S. Danielis assignandum esse & assignari debere dicte Domine Clare & aliis mulieribus sub institutis S. An-

Andree de la Girada Castellane Dioc. predicti ordinis S. Augustini vivere volentibus sive illi que priorissa instituerit per ipsas Moniales, sive ipsarum legitimo procuratori postquam professe fuerint. Nec non auctoritate apostolica predicta declaravit & ordinavit ordinem S. Benedicti cedente vel decedente dicto Priore supprimendum esse & supprimi debere & ex nunc prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc suppressit & oppressit dictum ordinem S. Benedicti in dicto Monasterio S. Danielis per dictam Claram Ognibenis & alias secum socias mulieres & ex nunc prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc modo predicto instituit & institutum esse auctoritate apostolica predicta decrevit & in Conventualem & regularem erexit ordinem sub regula & ordine Beati Augustini & erectum esse voluit ac auctoritate apostolica mandavit & in signum vere assignationis terminationis declarationis suppressionis & institutionis ac erectionis de predicto Monasterio per ipsum Reverendiss. Dom. Episcopum commissarium & executorem apostolicum factarum de voluntate & consensu dicti D. Andree bragadeno asserti habere juspatronatus in dicto Monasterio posuit & induxit in tenutam & corporalem possessionem auctoritate apostolica predicta dictum D. Petrum Valerio tanquam procuratorem dictarum dominarum Clare & Sociarum per tactum cornuum majoris altaris nec non per stallum in choro Ecclesie dicti Monasterii S. Danielis & per vocem in capitulo nec non per sonum campanelle & per assignationem clavium Ecclesie & Monasterii predicti ac etiam per aperturam & clausuram portarum tam Monasterii, quam ipsius Ecclesie signa vere possessionis & tenute. Mandans dictus D. Commissarius & exequutor apostolicus predictus dicto D. Petro debere nomine & vice dicte D. Clare & sociarum ac priorisse pro tempore in dicto Monasterio instituende dictam possessionem libenti & grato animo acceptare. Qui D. Petrus procuratorio nomine predicto dictam possessionem libenti & grato acceptavit animo. Attamen dictus Reverendissimus Dom. Episcopus Exequutor & commissarius Apostolicus prefatus non intendens commissionem sibi superius factam in aliquo preterire & nollens ipsum Dominum Michaelem de Sibinicho Priorem presentem necessariis ad vitam suam carere substantialibus auctoritate predicta reservavit sibi auctoritatem libertatem & potestatem taxandi & assignandi sibi dicto D. Michaeli Priori illam condecentem congruam & convenientem annuam pensionem que merito sibi videbitur de fructibus & redditibus dicti Monasterii S. Danielis assignandam juxta commissionem apostolicam sibi in hac parte factam quandocunque dicto D. Priori videbitur & placuerit. Presente dicto D. Michaele priore Sancti Danielis predicti & non consentiente dicte possessioni & ceteris actis supra gestis quinimmo contradicente & sentiente se gravatum appellante viva voce ad Sanctam Sedem apostolicam & protestante de injuriis de tribus millibus duc. in bonis propriis dicti Dom. Episcopi asserti exequtoris apostolici de quibus mille ad cameram apostolicam aplicandis & mille ad Illustriss. Dominium Venetiar. & mille ipsi priori dandi pro damnis expensis & interesse & injuriis suis, & protestante de appellando in scriptis si sibi videbitur infra terminum juris. Quibus quidem appellationi & protestationi dictus Dominus Episcopus Exequutor prefatus non consensit nec detulit tanquam frivolis & ineptis quinimo ipsas rejecit & reicit. Acta predicta omnia fuerunt in Monasterio & Ecclesia S. Danielis de Venetiis predictis presentibus prudentibus & providis viris f. Nicolao Careto Priore loci & hospitalis Sanctorum Petri, & Pauli & f. Barthelomeo benedicto priore loci & hospitalis S. Bartholomei de Castello Testibus ad premissa omnia & singula habitis vocatis & rogatis, & aliis quam pluribus.

Ego Joannes Franciscus Zentilinus D. Laurentii publicus Imperiali auctoritate Not. Curieque Patriarchalis Venet. Not.

Not. quia suprascriptum exemplum processus vigore suprascriptarum litterarum apostolicarum habiti & facti per q. bo. me. D. Laurentium Justinianum olim Episcopum Castellanum ex quodam libro veteri bullarum apostolicarum dispensationum sententiarum & processuum actorum & factorum per prefatum bo. me. D. Episcopum ejusque Rev. D. D. Vicarios anni 1437. in Cancellaria Curie patriarchalis in archivis dicte cancellarie existenti ad petitionem & instantiam D. Priorisse Conventus & Monialium S. Danielis Venet. scripsi & manu propria exemplavi nihil addendo vel minuendo quod variet intellectum vel mutet sensum, sed de verbo ad verbum prout in dicto loco descriptum est ideo ad ejusdem exempli fidem me subscripsi signumque meum solitum apposui & consuetum.



Eugenius IV. Thomæ Thomasini Episcopo Rechanatensi committit, ut nisi Michael de Sebenicho infra certum dierum spacium Prioratum suum Sancti Danielis reficiat, ipse Prioratus Claræ Omnibono assignetur pro construendo Monasterio Ordinis Sancti Augustini.

R 1438. 6. Martii.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis.

EUgenius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri Thome Episcopo Rechanatensi in Diocesi Castellana residenti & dilecto filio Magistro Fantino Clerico dicte Diocesis Notario nostro Salutem, & Apostolicam benedictionem. Humilibus supplicum votis libenter annuimus eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecte in Christo filie Clare Ognibenis mulieris Castellane Diocesis petitio continebat quod alias pro parte sua nobis exposito quod Prioratus S. Danielis de Venetiis ordinis S. Benedicti ejusdem Diocesis in suis structuris & edificiis plurimum ruinosus existit, ac ipsa & quedam alie illarum partium mulieres ob frugem melioris vite mundanis abjectis illecebris in eodem Prioratu quidem jurepatronatus quorumdam Nobilium Venetorum prefate Diocesis est ac conventualis vel curatus non existit sub regulari habitu per Moniales Monasterii S. Andree de Girada de Venetiis ordinis S. Augustini prefate Diocesis gestari solito altissimo famulari structurasque & edificia Prioratus hujusmodi debite restaurare desiderabant nos per alias nostras litteras venerabili Fratri nostro.... Episcopo Castellano ejus proprio nomine non expresso dedimus in mandatis ut de premissis per eum diligenti informatione recepta si ita esse reperiret & ad id prefatorum Nobilium expressus accederet assensus, illam ex dictis mulieribus quam Priorissa dicti Monasterii Sancti Andree constitueret in ejusdem Prioratus possessionem induceret ipsumque Prioratum per eam ac alias sorores dicti ordinis que inibi juxta ritus mores consuetudines & instituta prefati Monasterii S. Andree ac illius Priorisse & Monialium vivere deberent regendum & gubernandum fore sub perpetue administrationis titulo decerneret statueret ordinaret & declararet nec non dilecto filio Michaeli de Sibinicho ipsius Prioratus Priori titulum Prioratus hujusmodi quoad viveret cum reservatione annue pensionis de fructibus, redditibus, & proventibus dicti Prioratus facienda quam

quam ad sustentationem ipsius Prioris sufficientem fore prospiceret concederet ac eo cedente vel decedente in dicto Prioratu ordinem S. Benedicti prefatum supprimeret & extingueret, ac eundem ordinem S. Augustini hujusmodi institueret ipsumque Prioratum in Conventualem erigeret ac sic erectum uni ex Clara & aliis mulieribus prefatis quam ipse postquam professe existerent duceret eligendam sive per cessum vel decessum hujusmodi, sive alias quovis modo vacaret cum omnibus juribus & pertinentiis suis conferret & assignaret ac certa, alia faceret tunc expressa. Postmodum vero dicta Clara eundem Michaelem super hoc petendo decretum statutum ordinationem declationem reservationem collationem & assignationem predictas fieri coram Venerabili Fratre nostro Laurentio Episcopo Castellano ipsarum litterarum vigore fecit ad judicium evocari & deinde dictus Michael a quodam insufficienti confecto sibi ab eodem Episcopo postquam in causa hujusmodi ad nonnullos actus inter partes ipsas processerat ut minus veraciter pretendebat illato gravamine ad sedem apostolicam appellavit. Nos causam appellationis hujusmodi & negotii principalis dilecto filio magistro Petro Martini de Caveisrubeis Capellano nostro & Auditori causarum palatii apostolici audiendam commisimus & fine debito terminandam qui in ea ad nonnullos actus inter partes ipsas dicitur processisse. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat prefatus Michael se non solum ad reparationem structurarum & edificiorum hujusmodi sed etiam ad illorum conservationem se impotentem fore asseruerit & de assertione hujusmodi in publico conventionis super premissis inter partes ipsas inite confecto instrumento constat ipseque mulieres ad reparationem hujusmodi parate & ydonee existant pro parte dicte Clare nobis fuit humiliter supplicatum ut causam ipsam ad nos advocare, & litem hujusmodi extinguere ac alias ipsius & dictarum eligendarum mulierum statui nec non ejusdem Prioratus indemnitati super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque statum cause hujusmodi presentis pro expresso habentes illamque ad nos presentium serie advocantes hujusmodi quoque supplicationibus inclinati discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus vos vel alter vestrum votatis dicta Michaele nec non aliis qui fuerint evocandi super premissis omnibus & singulis eorumque circumstantiis universis summarie simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura judicii sola facti veritate inspecta auctoritate nostra vos diligenter informetis & si per informationem hujusmodi vobis de assertione consensu patronorum hujusmodi si quod jus patronatus in dicto Prioratu haberent & aliis premissis legitime constiterit nisi dictus Michael infra unius mensis spacium tantam pecunie quantitatem de qua hujusmodi reparatio congrue fieri possit penes aliquem fidum Mercatorem realiter deposuerit litem hujusmodi penitus extinguatis & super premissis eidem Michaeli perpetuum silentium imponatis, reservata sibi pensione annua Octuaginta Florenorum vel ultra prout vobis visum fuerit, non tamen ultra centum Florenorum auri de Camera hujusmodi quoad vixerit super fructibus, redditibus, & proventibus dicti Prioratus ei annis singulis persolvenda ita tamen quod dicto Michaele cedente vel decedente prefatus Prioratus ab onere pensionis hujusmodi omnino liber & absolutus existat & perpetuo remaneat nec non ad omnimodam ipsarum aliarum litterarum juxta earum formam & continentiam perinde ac si ille vobis directe fuissent nec non prefatas alias litteras ac quecunque inde secuta eadem auctoritate confirmetis & approbetis supplendo omnes deffectus si qui forsan intervenerint in eisdem etiam si dictus Michael senio constrictus non existat & ad regimen dicti prioratus commode intendere possit & alias faciatis disponatis ordinetis & exequamini cujusvis appellationis, sublato diffugio

gio omnia & singula que in premissis & circa ea necessaria fuerint seu etiam quomodolibet opportuna super quibus nobis tenore presentium plenam & liberam concedimus facultatem. Non obstantibus premissis ac Constitutionibus & ordinationibus apostolicis nec non Prioratus Monasterii & ordinis predictorum juramento confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus contrariis quibuscunque. Aut si dicto Michaeli vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Ferrarie Anno Incarnationis Dominice Millesimo quadringentesimo tricesimo septimo Pridie Nonas Martii Pontificatus Nostri anno septimo.

Ja. de Viterbio.



Michael de Sibinicho Prior Monasterii Sancti Danielis Venetiarum acquiescit sententiæ Sancti Laurentii Justiniani, & Claræ de Omnibonis ejusque Sociis cedit Monasterium S. Danielis reservata sibi pensione Ducatorum centum Venetorum.

S 1438. 12. Martii.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis.

IN nomine Domini Amen Anno a Nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo tricesimo octavo Indictione Prima die vero veneris duodecima mensis Martii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri Dom. Eugenii Divina providentia Pape Quarti Anno Octavo. Cum Venerab. Vir D. Michael de Sibinico Prior Prioratus S. Danielis de Venetiis Ordinis S. Benedicti Castellanæ Diocesis ut asseruit certa pacta & conventiones fecisset cum Vener. D. Clara Ognibenis dicte Diocesis suo & quarumdam aliarum mulierum illarum partium ob frugem melioris vite in eodem Prioratu cupientium Dom. famulari nominibus promittente cum conditione si pacta & conventiones illa prefato Domino nostro Pape placuissent & demum idem Dominus noster Papa pacta prefata & conventiones minime approbasset sed alio modo fieri per litteras apostolicas D. Episcopo Castellano directas fieri mandasset prout seriosius in dictis litteris continetur a quo quidem Episcopo & per eum a certo illato gravamine ut prefatus D. Michael asseruit ad Sedem apostolicam appellasset causamque appellationis una cum toto negotio principali Venerabili Viro D. Petro Martini de Caveiarubeis sacri palatii apostolici causarum auditori committi obtinuisset & demum ad prefatarum dominarum instantiam causa hujusmodi a prefato D. Petro Auditore per dictum Dominum nostrum Papam advocata fuisset & in partibus commissa modo & forma prout in litteris apostolicis continetur quarum tenorem se scire asseruit ac earum continentiam modum & formam & volens a litigiis cessare & indempnitati dicti Prioratus ac sui & dictarum dominarum providere. Idcirco cum Ven. Viro D. Petro vallerio de Contrata Sancti Basilii de Venetiis procuratore & procuratorio nomine dictarum religiosarum dominarum de cujus procurationis mandato mihi Not. publico infrascripto legitimo extitit fa-

cta

cta fides. Promisit etiam de rato quod omnia infrascripta presate domine acceptabunt emologabunt ac grata & rata habebunt ad hanc conventionem devenit Quod primo & ante omnia & ex nunc prefatus D. Michael consensit & approbavit prefatum advocatorem a presato D. Petro Auditore factam & promisit per Commissarios apostolicos in partibus deputatos assentire omnia mandari & exequi prout in bulla continetur & promisit dictas dominas & in earum locum succedentes non inquietare nec molestare in juditio vel extra sub penis Camere apostolice sed in omnibus assentire prout in presata bulla continetur. Salvis sibi semper infradicendis & promissionibus nomine earum dominarum sibi factis & in hoc instrumento fiendis & promisit statim & incontinenti solutis sibi vigintiquinque Florenis de Camera pro parte prime solucionis annue sibi faciende ut infra dicetur vacuam liberam & expeditam possessionem dicti Prioratus & bonorum ejusdem ac omnia & singula ornamenta ecclesiastica ac jura munimenta & privilegia ad dictum Prioratum spectantia dictis dominabus libere consignare quatenus apud eum & in sui posse & facultate sunt & erunt & econtra prefatus D. Petrus procurator nominibus quibus supra qui obligavit omnia & singula bona tam dicti Prioratus, quam presatarum dominarum ac personas earumdem pro observantia dicendorum. Promisit prefato D. Michaeli Priori presenti recipienti & legitime stipulanti quod idem D. Michael Prior in titulo dicti Prioratus per dictas dominas aut per alias in locum earum succedentes non inquietabitur quousque per ejus cessum vel decessum dictus titulus vacaret & quod singulis sex mensibus incipientibus a die date presentium D. Michael Prior prefatus a dictis dominabus Quinquaginta ducatos boni & justi ponderis recipiet. Ita quod singulis annis centum ducatos habebit & realiter recipiet a dictis Monialibus absque aliqua contradictione & onere re temporali vel spirituali & quod dicte domine earum sumptibus & expensis dictum prioratum in divinis deserviri facient ac reparaciones omnes & singulas necessarias. Ita quod prefatus D. Prior dictos centum ducatos annuos absque aliquo onere spirituali vel temporali modo & forma premissis habebit & voluit dictus Petrus procurator nomine quo supra quod si prefate domine deficerent in aliqua solucione earum tam ipse, quam locus prius Camere apostolice subjaceant & quod auditor camere pro tempore existens possit in eas excommunicationis & interdicti ferre & pronunciare sententias. Insuper pro tutiori cautella dicti Prioris fuit conventum quod si aliqua solucione cessatum esset liceat dicto D. Priori propria auctoritate requirere omnes & singulos colonos fictuarios & personas & Communitates dicto Prioratui aliqua respondere debentes ut eidem D. Michaeli respondeant usque ad satisfactionem pactorum ut premittitur promissorum in quem casum ad exigendum & recipiendum & qui.... dictum Dom. Michaelem constituerunt procuratorem irrevocabilem & promiserunt pro solucione primorum sex mensium nunc dare ducatos viginti quinque quibus habitis teneatur dictus D. Prior possessionem prioratus bonorum ornamentorum emolumentorum & Jurium dimittere ut superius expressum est voluerunt etiam quod fructus ex dicto Prioratu nondum recepti dividantur pro medietate inter dictum D. Priorem & dictas dominas redimendis tamen sumptibus & expensis cura & solicitudine prefatarum dominarum & predicta omnia & singula nominibus quibus supra promiserunt observare & in nullo contrafacere vel venire sub pena Quingentorum Florenorum boni auri & justi ponderis pro una Camere apostolice & pro reliqua medietatibus parti pacta & convenciones servanti applicandorum promiserunt insuper ac jurarunt & quilibet eorum quibus supra nominibus juravit & promisit ad Sancta Dei Evangelia solempni etiam stipulatione interveniente mihi Notario publico infrascripto ac omnibus

bus quorum intereſt ſeu intereſſe poterit quomodolibet in futurum totiens quotiens contra premiſſa vel eorum aliquid fecerint ſeu alter eorum fecerit parti ſervanti & Camere Apoſtolice modis & formis quibuscunque infra & ſupra conſcriptis & annotatis pro ſe ipſis ac pro illi vel illis quorum intereſt ſeu intereſſe poterit quomodolibet in futurum dare tradere ſolvere ac realiter & cum effectu conſignare ad omnem ſupplicem partis ſervantis heredum ſucceſſorum vel procuratorum ac Camere Apoſtolice ac eorum quorum intereſt ſeu intereſſe poterit peticionem requiſitionem & mandatum una cum expenſis dampnis & intereſſe per dictam partem non ſervantem incurrentem aut quomodolibet occaſione dicte pene & debiti ſupra & infraſcriptorum. Super quibus quidem pena commiſſa predicta ac dampnis expenſis & intereſse predictis eedem partes non ſervantes modis & formis quibus ſupra pro ſe ac pro illi vel illis quorum intereſt vel intereſse poterit & quelibet ipſarum promiſit ſtare & credere ſolo & ſimplici verbo dicte partis ſervántis ſine dictis teſtium ſacramento aut quacunque alia probacione pro quibus omnibus & ſingulis ſic attendendis complendis & inviolabiliter obſervandis predictis promittentes antedicti quibus ſupra nominibus omnibus modis & formis ac ſub pena antedicta debitores principales in ſtrictiori obligacione & forma conſtituunt Camere apoſtolice & parti ſervanti pro ſe ſuiſque heredibus & ſucceſsoribus quibuscunque ſtipulantibus & recipientibus ſe ipſos & quilibet nominibus antedictis ſuosque heredes & ſucceſsores nec non omnia & ſingula bona mobilia & immobilia eccleſiaſtica & mundana preſentia & futura ubicunque exiſtentia modis & formis ſupra & infraſcriptis obligarunt & ypothecarunt & obligavit & ypothecavit ſeque heredes & ſucceſsores ac bona predicta jurisdictioni compulſioni viribus, & carceribus ac mero examini dicti Domini Noſtri Pape ejusque Curie cauſarum Camere apoſtolice & camerarum Vicecamerarum auditoris viceauditoris locumtenentium & commiſsam & per pactum expreſsum ſolempni ſtipulacione vallatum ac omnium aliarum Curiarum eccleſiaſticarum & ſecularium ubilibet conſtitutarum modis & formis ac cautela de quibus ſupra & infra ſupposuerunt & ſubmiſerunt ac quilibet eorum ſupposuit & ſubmiſit per quas quidem curias prefati compromittentes nominibus quibus ſupra & ipſarum quamlibet voluerunt poſse cogi compelli conſ.... & cohartari nec non realiter & perſonaliter poſse conveniri uſque ad integram obſervacionem & ſatisfactionem premiſsorum in preſenti publico Inſtrumento contentorum. Renunciantes inſuper inpremiſſis omnibus & ſingulis nominibus antedictis modo & forma ac cautela pro ſe ipſis ac pro illi vel illis quorum intereſt intererit aut intereſse poterit quomodolibet in futurum exceptioni doli mali vis metus fraudis in fact.... ſine cauſa & ex cauſa vel ob turpem & injuſtam cauſam rei non ſit geſte non ſit celebrati contractus aliter aut alias fuiſse dictum factum quam ſcriptum ſive ſtipulatum & econtra penam ſupraſcriptam & debitum cum intereſse non fuiſse commiſſum non recipi debere non numerari ac peticiones oblaciones libelli & ſimplicis peticionis provocationis & appellationis remedio copie preſentis inſtrumenti ſive note ejusdem per modum actorum feriis meſſium & vindemiarum omni tempore feriato & non feriato beneficio ceſſionis bonorum Epiſtole D. Adriani juris & facti ignorantie privilegio fori omnibusque aliis privilegiis & indultis papalibus Imperialibus & regalibus a jure vel ab homine editis vel edendis conceſſis & concedendis & demum omni alio juri Canonico & Civili omnibusque aliis defenſionibus exceptionibus.... & cautelis ac quibuscunque aliis de quibus non eſset veriſimiliter cogitatum vel cogitandum quacunque auctoritate ſeu .... intervenientibus quibus mediantibus contra premiſsa vel premiſsorum aliquid dicere facere vel venire poſsent aut in aliquo ſe defendere vel tueri quas clauſulas

sulas immediate suprascriptas omnes & singulas pro omnium & singulorum ut prefertur uberiori & effectuali observatione ad omnia & singula ..... referre per inde ac per omnia & si semper specialiter omnibus & singulis orationibus & capitulis & clausulis quibuscunque in presenti publico Instrumento insertis & contentis fuissent. Et ibidem incontinenti ad majorem dicti D. Prioris ac omnium premissorum cautelam dictus D. Petrus Valerio procurator nomine dictarum dominarum omnibus melioribus modo via jure causa & forma quibus melius & efficacius fieri potuit & debuit fecit constituit creavit & solempniter ordinavit dicto nomine suos veros certos legitimos & indubitatos procuratores actores factores negotiorum infrascriptorum gestores ac nuntios speciales & generales. Ita tamen quod specialitas generalitati non deroget nec econtra videlicet providos & discretos viros Magistros Johannem.... Alfonsum Alvari Johannem Toluer Johannem de Prato & Johannem Magen in Romana Curia causarum procuratores, nec non Johannem Goruerii Johannem Baliar Gerardum de Vulterris Franciscum de Piscia & Petrum de Sancto Geminiano dicte Curie causarum Camere apostolice notarios omnesque alios & singulos procuratores & Notarios tam predictarum, quam aliarum quarumcunque Curiarum Ecclesiasticarum & secularium ubilibet constitutarum presentes & futuros absentes tanquam presentes & quemlibet eorum in solidum. Ita quod non sit melior conditio occupanti nec deterior subsequenti, sed quod unus eorum inceperit alter eorumdem id prosequi valeat.......diare & fruire. Ad comparendum pro ipsis dominabus coram dictis judicibus auditore viceauditore locumtenente & commissariis penasque suprascriptas ac debitum cum omnibus & singulis dampnis & interesse ...... & recognoscendum & ad petendum & audiendum ipsarum dominarum nominibus amovend .... sententiam condempnatoriam & mandatum quod seu quam prefati Domini judices auditor viceauditor locumtenens & commissarius contra ipsas Dominas facere & ferre voluerint eis sponte acquiescendum. Nec non ad submittendum prefatas Dominas pro prefatis omnibus & singulis observandum Jurisdictioni cujuslibet Curiarum predictarum & ad volendum & consentiendum expresse quod dicti Domini Judices auditor viceauditor locumtenens & commissarius in ipsam partem non servantem occasione premissorum excommunicationis sententiam ferant & promulgent aliosque processus decernant quos voluerint. Nec non ultra omnia & singula predicta idem D. Prior & Petrus procurator & eo nomine omnibus modis & formis quibus supra ac aliis quibuscunque strictioribus cautelis mihique Notario infrascripto tanquam publice & autentice persone solempniter stipulanti & recipienti vice & nomine omnium & singulorum quorum interest aut interesse poterit quomodolibet in futurum sub pena antedicta promiserunt ac quilibet eorum promisit ac in manibus meis tactis per eos & eorum nominibus corporaliter scripturis sacrosanctis ad Sancta Dei Evangelia jurarunt & quilibet eorum juravit premissa omnia & singula rata atque grata habere ac firma perpetuo tenere eaque adimplere observare nec contrafacere vel venire, neque quicquam circa ea attemptare vel innovare in futurum. De & super quibus omnibus & singulis prefatus D. Prior ac Petrus procurator & eo nomine sibi a me Notario publico infrascripto unum vel plura publicum seu publica fieri petierunt & quilibet eorum petiit instrumentum seu instrumenta. Acta fuerunt Ferrarie in domo habitacionis Ven. & Egregii Viri Dom. Andree de Sancta Cruce utriusque juris doctoris Advocati consistorialis sub Anno Ind. die mense & Pontificatu quibus supra. Presentibus ibidem prefato D. Andrea de Sancta Cruce Advocato & discreto Viro Jacobo de Cotrono clerico Massinensi Testibus ad premissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego Henricus Biasche de Stendal...

dal ..... Diocef. publicus apoftolica & Imperiali auctoritate Not. Quia premiffis omnibus & fingulis dum fic ut premittitur fierent & allegarentur una cum teftibus pronominatis prefens interfui eaque fic fieri vidi & audivi. Ideoque prefens publicum Inftrumentum manu alterius me aliis occupato negotiis fideliter fcriptum exinde confeci fubfcripfi publicavi & in hanc publicam formam redegi. Signoque & nomine meis folitis & confuetis fignavi rogatus & requifitus in fidem & teftimonium premifforum.



Innocentius VIII. Monialibus Sancti Danielis Venetiarum eadem privilegia concedit, quibus gaudebant Moniales Sancti Andree Venetiarum.

T 1482. 12. Julii.

Ex Archivo Monafterii Sancti Danielis.

INnocentius Epifcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Chrifto filiabus Priorifse & Conventui Prioratus S. Danielis Venetiarum Ordinis S. Auguftini Salutem, & Apoftolicam benedictionem. Sacre religionis fub qua mundanis abjectis illecebris prudentum virginum more accenfis lampadibus cum odore bone fame ei qui fpeciofus eft pre filiis hominum devotum & fedulum exhibere ftudetis in humilitatis fpiritu famulatum promeretur honeftas ut in hiis que vobis profperi ftatus incrementum & animi quietem afferre valeant gratiofum Apoftolici favoris prefidium liberaliter impendamus. Hinc eft quod nos volentes vos que ut afferitis poftquam olim fel. rec. Eugenius Papa IV. predeceffor nofter Prioratum S. Danielis de Venetiis Ordinis S. Benedicti qui curatus aut Conventualis non erat & in fuis ftructuris ruinofus plurimum exiftebat fuppreflerat & extinxerat, ac in Prioratum Conventualem Ordinis S. Auguftini qui per Priorifsam per certas mulieres Venetiarum que fub regulari habitu Monialium Monafterii Sancti Andree de Girada etiam de Venetiis dicti Ordinis S. Auguftini vivere deberent eligendam gubernaretur erexerat & Ordinem prefatum S. Auguftini in eo inftituerat Priorifsa & alie Moniales dicti Prioratus edificia & ftructuras Prioratus hujusmodi reftaurarunt ac juxta mores & conftitutiones dicti Monafterii S. Andree hactenus cum odore bone fame vixerunt favore profequi gratiofo ac vos & veftrarum quamlibet a quibufcunque excommunicationis fufpenfionis & interdicti aliisque ecclefiafticis fententiis cenfuris & penis a jure vel ab homine quavis occafione vel caufa latis fi quibus quomodolibet innodate exiftitis ad effectum prefentium dumtaxat confequendum harum ferie abfolventes & abfolutas fore cenfentes veftris in hac parte fupplicationibus inclinati vobis & Prioratui veftro ut omnibus & fingulis exemptionibus conceffionibus favoribus privilegiis gratiis & indultis Monafterio Priorifse & Conventui S. Andree hujusmodi per Sedem Apoftolicam vel alias quomodolibet quatenus in ufu & non alias licita & honefta fint a facris canonibus & regularibus inftitutis Ord. predicti S. Auguftini ... ftatui contraria non exiftant conceffis & quibus Priorifsa & Moniales dicti Monafterii S. Andree utuntur potiuntur & gaudent feu uti potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti potiri & gaudere libere & licite valeatis in omnibus & per omnia perinde ac fi vobis & prioratui veftro expreffe conceffa fuiffent Conftitutionibus & ordinationibus apoftolicis nec non Mona-

ſterii Prioratus & ordinis predicti Sancti Auguſtini juramento confirmatione apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus auctoritate apoſtolica tenore preſentium de ſpetialis dono gratie indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre abſolutionis & conceſſionis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominice milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſeptimo quarto Idus Julii Pontificatus noſtri anno tertio.



Alexander VI. qui Prioriſſas triennales ab Innocentio VIII. ſtatutas in perpetuas olim mutaverat, novo Diplomate, ut triennales tantum ſint in Monaſterio S. Danielis, decernit.

V

1501. 4. Decembris.

Ex Archivo Monaſterii S. Danielis Venetiarum.

IN Nomine Sancte & Individue Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Noverint univerſi & ſinguli hoc preſens publicum tranſumpti inſtrumentum inſpecturi viſuri lecturi pariter & audituri. Quod Nos Petrus de Vincentia Dei & Apoſtolice Sedis gratia Epiſcopus Ceſenatenſis Sanctiſſimi Domini noſtri Pape ejusque Camerarii, nec non Curie cauſarum Camere apoſtolice generalis Auditor Romaneque Curie Judex ordinarius. Ad Venerabilium & Religioſarum Dominarum Abbatiſſe & Monialium Monaſterii Sancti Danielis de Caſtello Venetiarum Ordinis S. Auguſtini Principalium inſtantiam & requiſitionem omnes & ſingulos ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes Eorumque procuratores ſi qui tunc erant in Romana Curia pro eisdem ad videndum & audiendum quoddam ſumptu de regeſtro bullarum apoſtolicarum Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri Dom. Alexandri divina providentia Pape Sexti extractum certo ſigneto clauſum ac nonnullos teſtes ydoneos ad jurandum de & ſuper recognitione ſigneti hujusmodi ſumpto appoſiti coram nobis produci & per nos eosdem teſtes admitti interrogari & examinari dictumque ſumptum poſtquam ſignetum hujusmodi recognitum fuerit aperiri tranſumi auſcultari collationari & in publicam tranſumpti formam redigi mandari auctoritatemque dicte Curie cauſarum Camere apoſtolice atque noſtram judiciariam pariter & decretum interponi per nos vel dicendum & cauſam ſi quam haberent rationabilem quare premiſſa fieri non deberent allegandum per audientiam publicam litterarum contradictarum prefati D. Pape ut moris eſt citari fecimus & mandavimus ad certum peremptorium terminum competentem ad diem videlicet & horam infraſcriptas, quibus quidem die & hora advenientibus comparuit in judicio legitime coram nobis diſcretus vir Dom. Julianus de rinola in Romana Curia cauſarum & prefatarum religioſarum Abbatiſſe & Monialium procurator aſſertus pro quibus de rato promiſit & ipſam a nobis emanatam de veſtriſque voluntate & mandato in audientia publica litterarum contradictarum prefata poſitam lectam & ſigillatam aliasque inibi debite executioni demandata, Citatorumque

que in eadem contentorum non comparentium neque hujusmodi diei termino in aliquo satisfacere curantium contumaciam accusavit ipsosque contumaces reputari & in eorum contumaciam dictum sumptum ut premittitur clausum ac nonnullos testes ydoneos ad jurandum de & super recognitione antedicta exhibuit atque produxit quos quidem testes admitti ac diligenter examinari & interrogari dictumque sumptum postquam signetum hujusmodi ei appositum recognitum fuerit apperiri transumi exemplari ausculari collationari & in publicam transumpti formam redigi mandari nostramque & dicte Curie causarum Camere apostolice auctoritatem judiciariam & ordinariam pariter & decretum per nos interponi debita cum instantia postulavit Nos tunc Petrus Episcopus & Auditor prefatus attendentes requisitionem hujusmodi fore justam & rationi consonam dictos citatos non comparentes neque hujusmodi diei termino in aliquo satisfacere curantes reputavimus merito prout erant id exigente justicia contumaces & in eorum contumaciam dictum sumptum ac signetum & appositum ad manus nostras recepimus dictosque testes ad jurandum admisimus eisque & eorum cuilibet signetum hujusmodi sumpto appositum ostendimus qui super recognitione antedicta diligenter per nos examinati & interrogati visoque & diligenter inspecto per eos. & eorum quemlibet signeto hujusmodi sumpto apposito dixerunt & quilibet eorum medio ejus juramento in manibus nostris tactis scripturis sacrosanctis ad sancta Dei Evangelia corporaliter prestito dixit se bene cognoscere ac fore & esse Signetum sumptis de regestro prefati Domini nostri Pape extractis apponi consuetum. Quare ex tunc Signetum hujusmodi pro sufficienter recognito habentes & merito haberi volentes Sumptum hujusmodi apperiri ac per providum virum magistrum Berandum de Molario clericum Lugdiniensis Diocesis publicum & dicte Curie causarum Camere apostolice Notarium coram nobis Scribam infrascriptum transumi exemplari ausculari collationari & in publicam transumpti formam redigi fecimus & mandavimus. Volentes ut dicta auctoritate decernentes quod eidem publico Transumpti instrumento ausculato ac de verbo ad verbum collationato detur & adhibeatur in judicio & extra talis & tanta fides qualis & quanta ipsi originali sumpto daretur & adhiberetur si in medium produceretur. Tenor vero sumpti hujusmodi de verbo ad verbum sequitur & est talis. Alexander Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In Apostolice dignitatis specula divina disponente clementia constituti ad ea que pro statu prospero Monachorum & aliorum piorum locorum ac in illis presertim sub regularis observancie disciplina mundanis abjectis illecebris studio pie vite vacantum personarum etiam pro divini cultus perseverantia opportuna fore prospicimus operosis studiis intendentes & que in illis cum earum jactura observari videmus per appositionem congrue moderationis in melius reformamus & hiis que propterea auctoritate apostolica facta sunt licet plenam obtineant firmitatem nihilominus cum a nobis petitur ut firma perpetuo & illibata persistant nostri adjicimus firmitatem. Dudum siquidem postquam fel. rec. Innocentio Pape VIII. predecessori nostro pro parte tunc Priorisse & Dilectarum in Christo filiarum Conventus Monasterii S. Danielis de Castello Venetiarum ordinis S. Augustini per Priorissam soliti gubernari exposito quod dictum Monasterium in quo illius Moniales sub regulari observantia & perpetua clausura Domino famulantur per Priorissam perpetuam per ejusdem Monasterii Moniales pro tempore electam nulla alia ejusdem electionis confirmatione subsecuta diu gubernatum extiterat & quod cum illius tunc Priorissa decessisset Moniales prefate provide considerantes quod ex hujusmodi perpetuatione Priorissatus contingere potuisset aliquam in Priorissam ejusdem Monasterii eligi que male Monasterium ipsum gu-

gubernasset exinde materia dissensionis & discordie inter prefati Monasterii Moniales exoriri potuisset tempore procedente & propterea Moniales ipse volentes hiis scandalis occurrere & obviare statuerant & ordinaverant quod ex tunc de cetero dictum Monasterium per Priorissam triennalem dumtaxat regeretur & gubernaretur & hujusmodi triennio finito ipse Moniales Capitulum inter se celebrare & diligenter examinata administratione illius quæ per hujusmodi triennium Priorissa fuerat si eis videretur illam ad aliud Triennium confirmarent, alioquin aliam ejusdem Monasterii Monialem in Priorissam Triennalem dumtaxat eligere deberent: idem Innocentius predecessor predictarum Priorisse & Monialium supplicationibus inclinatus statutum & ordinationem hujusmodi confirmaverat & approbaverat suppleveratque omnes & singulos defectus si qui forsan intervenissent in eisdem ac pro potiori cautela quod Monasterium ipsum per Priorissam triennalem dumtaxat modo predicto regeretur & gubernaretur per quasdam suas de novo statuerat & ordinaverat pro parte olim Constantie tunc dicti Monasterii Priorisse & Conventus predictorum nobis exposito quod ipse Moniales que in dicto Monasterio sub regulari observantia & perpetua clausura ut prefertur ac absque rissis ac pravis cogitationibus Altissimo famulabantur & quod ratione statuti ac mutationis & nove electionis seu confirmationis hujusmodi non modicum perplexe rederentur quod pro quiete eorum Monasterium ipsum tunc de cetero per Priorissam perpetuam ut prius regeretur & gubernaretur per nos statueretur & ordinaretur supplicarunt. Nos tunc in ea parte supplicationibus inclinati quod cedente vel decedente dicta Constantia Priorissa ipsum Monasterium per Priorissam perpetuam prout ante statutum & ordinationem dictarum Priorisse & Monialium ac statuti & ordinationis hujusmodi confirmationem ac novum prefati Innocentii predecessoris statutum regebatur & gubernabatur regi & gubernari deberet statuimus & ordinavimus ac statutum & ordinationem Priorisse & Conventus nec non Innocentii predecessoris hujusmodi per alias nostras litteras revocavimus cassavimus & annullavimus prout in dicti Innocentii predecessoris ac nostris litteris predictis plenius continetur. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecte in Christo filie moderne Priorisse & Monialium predictarum petitio continebat premissa nobis ut prefertur exposita in litteris nostris a veritate fuerunt penitus aliena immo ex statuto per nos in dicto Monasterio edito inter easdem Moniales risse & discordie quamplurime exorte fuerunt immo sic per nos conditum statutum ad totalem ejusdem Monasterii tendit ruinam damnum & jacturam quodque Moniales predicte statutum nostrum hujusmodi acceptare noluerunt & occurrente vacatione dicti Monasterii per cessionem ipsius Constantie juxta earum & dicti Innocentii predecessoris ordinationem hujusmodi Priorissam Triennalem in dicto Monasterio eligerunt prout eligunt de presenti. Quare pro parte Priorisse moderne & Monialium predictarum nobis fuit humiliter supplicatum ut pro earum quiete & dicti Monasterii pacifico statu litteris Innocentii predecessoris apostolice approbationis robur adjicere aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui Monasteriorum presertim feminei sexus & aliorum piorum locorum quorumlibet commodum & utilitatem ac personarum in illis sub sua contemplatione jugo Altissimo famulantium pacem & quietem sinceris desideriis exoptamus Monasterii hujusmodi commodo & utilitati nec non Priorisse & Conventui earumdem quieti & tranquilitati paterna caritate consulere cupientes litteras Innocentii predecessoris predicti approbamus confirmamus ac perpetue firmitatis robur obtinere decernimus Non obstantibus litteris nostris predictis ac aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis Nec non Monasterii & Ordinis predictorum juramento

to confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo &c. nostre approbationis confirmationis & decreti infringere &c. Si quis &c. Datum Rome apud S. Petrum Anno millesimo quingentesimoprimo nono Kal. Julii Pontificatus nostri anno nono. Sumptum ex regestro litterarum apostolicarum collationatum per me B. Bolis ejusdem Regestri Magistrum & concordat. Quibus quidem omnibus & singulis premissis tanquam rite & legitime factis nostram & dicte Curie causarum Camere Apostolice auctoritatem judiciariam & ordinariam pariter & decretum interposuimus & interponimus per presentes. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium premissorum presentes litteras sive presens publicum transumpti instrumentum exinde fieri, & per prefatum magistrum Berandum de Moliario dicte Curie Notarium atque coram nobis scribam infrascriptum subscribi & publicari mandavimus Sigillique dicte Curie quo in talibus utimur jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum Rome in domo habitationis nostre sub anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo primo Indictione quarta die vero Sabbati Quarta mensis Decembris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri D. Alexandri divina providentia Pape Sexti Anno Decimo. Presentibus ibidem discretis viris Magistris Johanne Baptista de Ecclesia & Andrea Portio Clerico Roman. & Novarien. Dioces. dicte Curie causarum Camere apostolice Notario Testibus ad premissa habitis specialiter & rogatis.

Et Ego Berandus de Moliario Clericus Lugdnen. Dioc. publicus apostolica & Imperiali auctoritatibus Notarius nec non dicte Curie Causarum Camere apostolice Notarius quia dicti Sumpti preinserti exhibitioni productioni ipsiusque recognitioni & appritioni ac Transumptationi & transcriptioni ac authoritatis & decreti interpositioni omnibusque aliis & singulis dum sicut premittitur per Rev. in Christo Patrem & Dominum Dom. Petrum de Vincentia Dei & apostolice Sedis gratia Episcopum Cesenat. Curieque predicte causarumque Camere apostolice generalem Auditorem Judicem ordinarium & coram eo agerentur dicerentur & fierent una cum prenominatis testibus presens interfui Eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi & hoc presens publicum transumpti instrumentum manus alterius fideliter sumptum exinde confeci subscripsi & publicavi ac in hanc publicam formam redegi signoque & nomine meis solitis & consuetis una cum sepedicte Curie causarum Camere apostolice qua in talibus utitur sigilli appensione signavi in fidem & testimonium omnium premissorum rogatus & requisitus.



Julius

Julius Papa II. Monialibus Sancti Danielis Venetiarum sub regimine Canonicorum Lateranensium degentibus concedit ut pro grisea lanea veste albam lineam deferant ad instar aliarum Canonissarum Regularium Lateranensium.

X 1503. 31. Augusti.

Ex Autographo in Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.

IN Christi nomine amen. Hoc est exemplum sive transumptum quarumdam litterarum Apostolicarum in forma brevis sub anulo Piscatoris quarum tenor sequitur de verbo ad verbum ut infra vid. Dilectis in Christo filiabus Abbatisse & Monialibus Monasterii S. Danielis Venetiarum Ordinis S. Augustini de observantia & hec scripta erant a tergo; ab intus vero in margine superiori; Julius Papa II. deinde sequitur: Dilecte in Christo filie salutem & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecistis quod alias felicis recordationis Alexander Papa VI. predecessor noster dilecti filii nobilis viri Leonardi Lauredani Ducis Venetiarum & vestris que tunc presbiteros seculares in vestros confessores habebatis, & sub quodam habitu griseo seu beretino degebatis supplicationibus inclinatus, ut sub regulari observantia melius perseverare & salubria monita pro istius Monasterii conservatione & animarum vestrarum salute suscipere possetis vos sub totali cura regimine visitatione ac correctione Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini regularis observantie congregationis Lateranensis per suas in forma brevis litteras supposuerat & submiserat ac vobis concessum fuerat, ut in omnibus preterquam in electione Abbatisse ad instar aliorum Monasteriorum Monialium dicte congregationi submissarum vos conformare possetis. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, quia vos diversi habitus ab habitu aliarum Monialium eidem Congregationi submissarum estis & ut in omnibus aliis moribus vita & habitu uniformitas appareat desideratis cum aliis Monialibus hujusmodi vos conformare. Quare tam pro parte vestra quam Rectoris generalis dicte Congregationis nobis fuit humiliter supplicatum ut vobis in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos qui singularum religiosarum pacem & quietem singularibus affectibus exoptamus hujusmodi supplicationibus inclinati vobis que eumdem habitum quem cetere Moniales dicte congregationi submisse deferunt suscipere & in eo perpetuo degere quodque vos & alie dicte congregationi submisse & submittende Moniales omnibus privilegiis gratiis immunitatibus indulgentiis & indultis prefate congregationi Lateranensi in genere per nos & sedem apostolicam hactenus concessis aut in posterum concedendis uti potiri & gaudere quemadmodum ipsi canonici regulares ac tota eorum congregatio utuntur potiuntur & gaudent libere & licite valeatis auctoritate apostolica tenore presentium concedimus pariter & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis statutis quoque & consuetudinibus congregationis & ordinis hujusmodi juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub anulo piscatoris die undecimo Decembris millesimo quingentesimo quarto Pontificatus nostri anno primo. A. Agiensis. B. Raparius. Anno Nativitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo nono indictione duodecima die vero Veneris ultimo

timo

timo mensis Augusti Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri D. Julii divina providentia Papę Secundi anno sexto. Suprascriptum exemplum sive transumptum litterarum apostolicarum per me Bonifacium Solianum notarium infrascriptum fideliter transumptum & transumptatum ad instantiam Ven. Dominarum Priorisse & Conventus Monialium Monasterii Sancti Danielis de Venetiis fuit insinuatum Rev. & eximio juris utriusque Doctori D. Joanni Francisco Zuchoniano Plebano Ecclesie S. Thome Venetiarum & Reverendiss. in Christo Patris & Dom. D. Antonii Contareno miseratione divina Patriache Venetiarum Dalmatieque Primatis Vicario in spiritualibus generali & coram ipso & testibus infrascriptis diligenter ausculatum cum suis originalibus litteris apostolicis in forma Brevis sanis quidem & integris non vitiatis nec maculatis aut in aliqua sui parte suspectis, sed omni prorsus vitio & suspicione carentibus & concordari reperi nil addito vel diminuto quod sensum mutet aut variet intellectum. Quare prefatus D. Vicarius ut hujusmodi exemplo sive transumpto ubique plenaria fides adhibeatur suam in premissis interposuit ordinariam auctoritatem pariter & judiciale decretum Committens mihi & aliis infrascriptis notariis quatenus ad ipsius exempli sive transumpti robur & testimonium nos cum signis nostris consuetis subscribere deberemus. Actum Venetiis in Sacristia suprascripte Ecclesie S. Thome presentibus Honorandis Viris Presb. Nicolao de cicliis & presb. Thoma Solario beneficiato & Capellano ejusdem Ecclesie Testibus ad premissa vocatis habitis & rogatis.

Ego Presb. Jacobus Fasolo q. f. Nicolai de Venetiis publicus Imperiali auctoritate Not. quia suprascripti trasumpti ausculationi coram prefato Rev. D. Vicario ut supra facte presens intersui & ipsum transumptum cum suprascriptis originalibus litteris apostolicis ut supra concordare inveni, ideo mandato D. Vicarii ad ipsius transumpti fidem, & robur me subscripsi signo apposito consueto mei tabellionatus.

Ego Bartholomeus de Raspis D. Joannis publicus Imperiali auctoritate Not. Quia suprascripti transumpti ausculationi coram prefato Rev. D. Vicario, ut premittitur facte intersui & ipsum cum prescriptis originalibus litteris apostolicis ac prefato presb. Jacobo & infrascripto f. Bonifacio Not. concordare audivi ideo in fidem ejusdem transumpti de mandato prefati Rev. D. Vicarii me cum signo meo subscripsi.

Ego Bonifacius Solianus Venetus q. f. Matthei publicus imperiali auctoritate Not. quia suprascriptum exemplum sive transumptum ut supra transumptavi & coram prefato Rev. D. Vicario ausculavi cum suprascriptis exemplaribus litteris apostolicis & concordare inveni, ideo ad ipsius transumpti fidem & robur de mandato prefati D. Vicarii me subscripsi signo apposito consueto mei tabellionatus.

Alexander VII. concedit, ut Priorissæ Monasterii S. Danielis Venetiarum deinde nuncupentur, & sint Abbatissæ.

Y 1659. 18. Februarii.

Ex Archivo Monasterii S. Danielis Venetiarum.

ALEXANDER PAPA VII.

AD futuram rei memoriam. Romanus Pontifex supremus gratiarum dispensator in terris divina dispositione constitutus personas ecclesiasticas digniori-

ribus appellationum titulis nonnunquam exornat, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Cum itaque sicut dilectæ in Christo filiæ Moniales Monasterii S. Danielis Venetiarum Nobis nuper exponi fecerunt, dictum Monasterium alias sub obedientia Abbatis Monasterii de Charitate nuncupati Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini institutum fuerit, ipsiusque exponentium Monasterii Superiorissa proinde etsi proprio Abbati subordinata, non Abbatissæ sed Priorissæ denominationem acceperit; postmodum vero idem exponentium Monasterium ordinariæ Ven. Fr. Patriarchæ Venetiarum jurisdictioni suppositum fuerit, atque ita causa propter quam Superiorissæ Monasterii hujusmodi a titulo Abbatissæ abstinere debebant, cessaverit: Cumque dictum exponentium Monasterium aliis Monialium Monasteriis, quorum Superiorissæ Abbatissarum titulis gaudent nihilo inferius existat & propterea eædem exponentes Abbatissæ titulum existentibus pro tempore earum Monasterii hujusmodi Superiorissis a Nobis concedi summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris & pænis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis & consultationibus Episcoporum & Regularium Præpositorum consilio, attentis narratis, auctoritate Apostolica tenore præsentium benigne indulgemus, & prædicti Monasterii Superiorissa, quæ huc usque Priorissæ denominationem obtinuit, deinceps Abbatissæ nomine & titulo potiatur, salva semper in premissis auctoritate congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes ipsas presentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore ac illis ad quos spectat & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus & ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, Ordinis, ac Congregationis, & Monasteriorum hujusmodi etiam juramento confirmatione apostolica vel alia quavis firmitate roboratis statutis & consuetudinibus privilegiis quoque indultis & litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores presentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad premissorum effectum specialiter & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die XVIII. Februarii MDCLIX. Pontificatus nostri anno quarto.

VITA

VITA
MARIÆ ARCHANGELÆ SALVATORIÆ
SANCTIMONIALIS
In Monasterio S. Danielis Venetiarum.

ADMIRABILI vitæ austeritate & morum sanctimonia in S. Danielis Cœnobio floruit Virgo Sanctimonialis, Maria Archangela nomine, quæ piis, honestisque parentibus ex gente *Salvadori* Venetiis anno circiter MCCCCLX. orta, & in baptismate Andrianæ nomen sortita, ab ipsa infantia quam mirabiliter in sortem Domini fuerit evocata non obscuris prænuntiavit inditiis; cum enim infans in ipsis incunabulis linguam nondum in verba solveret, se Monialium Monasterii S. Danielis (cujùs nedum nomen audierat) institutum amplexuram fore prædixit. Pueritiam ingressa cum se totam pœnitentiæ & Christianæ virtutis exercitiis mancipasset, quadam die cum ad Crucifixi effigiem in sacra Divorum Joannis & Pauli æde ferventius oraret, eum secum colloquentem audire meruit, quo mirabili prodigio per tres horas in extasim rapta virginitatem se Deo servaturam, eique in Monasterio famulaturam interposita voti religione promisit; in quo servandæ virginitatis proposito dum XV. ætatis annum ageret in Ecclesia Seraphici Divi Francisci iterum Christi Domini voce roborata fuit. Ab eo autem tempore, quo se Deo obtulit, vitam in dies magis duxit sanctiorem; quod cum advertissent domestici eam a proposito tum minis, tum blanditiis deterrere irrito tamen conatu non destiterunt, donec XXII. suæ ætatis anno Divino impulsu e paternis ædibus fugiens dilapsa, ut Deo unice adhæreret, ad Monasterium S. Danielis evolavit, ubi ab iis Sanctimonialibus eximia ejus virtute captis habitum religionis sub Mariæ Archangelæ nomine suscepit.

Ejus rei nuntium tanto totius familiæ mœrore exceptum est, ut jam nihil præter fletus & gemitus ea in domo audiretur, mater vero præ cæteris adeo gravi animi dolore correpta fuit, ut repente vocis usum amiserit, quam eo tantummodo mo-

mento recepit, quo in hæc verba; *Ecce quomodo filiæ meæ causa morior*, animam Deo reddidit. Defunctæ corpus, ut ejus intuitu constans Mariæ Archangelæ spiritus flecteretur, filiorum jussu ad Divi Danielis Templum deductum fuit, atque ibidem tumulatum. Invicta tamen in sancto proposito Virgo stetit, a quo nec frequentibus consanguineorum funeribus, nec fratrum pollicitationibus unquam potuit dimoveri.

Hanc in tenera Virgine virilem fortitudinem ægre ferens Satanas, Dei Sponsam insidiis primum, & tentationibus, mox terroribus, & aperta vi aggressus est, quæ tamen omnia non interrupta oratione, & austera carnis maceratione elusit & superavit.

Annus ei erat a religiosa probatione decimus, cum valido numinis impulsu se se ad secretam atque semotam solitudinem evocari sensit, in qua ab omni creaturarum consortio segregata uni Deo in tranquillitate vacaret. Consilii itaque sui rationem omnem cum Monasterii Antistitæ aperuisset, ab ea cellulam, seu potius angustum latibulum obtinuit, in quo (numquam nisi ad Ecclesiam frequentandam discedens) inter assidua precum, & austeritatum exercitia integrum anni spatium insumpsit. Eo in loco quantis se exercuerit afflictationibus, quantisque a Deo meruerit recreari deliciis, testes fuerunt continuata suspiria altique gemitus, quibus internos animi motus, & repentinos cordis subsultus utcunque temperabat. Verum cum ex violento gemituum strepitu se se sororibus molestam fore suspicaretur, Angeli monitu accepto, atque Abbatissæ, cui cælestia jussa patefecerat, cum facultate Angelico pane roborata inter arctos Campanilis parietes se abdidit, ubi exigua panis & aquæ portione victitans, atque super nudas asseres, si quando ex lassitudine somnus obreperet, moleste cubans angelicæ vitæ genus in terris agere instituit. Ibi quasi in arenam descendens acre bellum a principe tenebrarum sustinuit, a quo ut ab instituta vivendi ratione recederet, diu & pervicaciter agitata minis etiam & verberibus aliquando vexata, istos tamen invidi hostis impetus patientia, & oratione devicit. Eo itaque victrix certamine, dum susceptæ austeritatis exercitia impavide prosequitur, novum sibi bellum eo gravius, quo occultius a Dæmone moveri sensit; Dei enim sponsam inedia frigore & ciliciis maceratam adeo cælestis iræ

metu

metu servili commovit, ut ea qua fruebatur animi tranquillitate & lætitia penitus detrusa & sublata, inde cæperit vanis agitata terroribus dies noctesque in fletus insumere. Internas animi procellas Sacerdoti sibi a confessionibus destinato diligenter exposuit, qui cum iisdem ferme fluctibus ageretur minus prudenti colloquio id præstitit, ut vulnus quod mitigandum erat, exasperaret. Itaque omni hominum spe destituta se se ad orationis subsidium convertit, Deumque assidua ferventique prece oravit, ut si ipsius afflatu horridum vitæ genus suscepisset, eas mentis tenebras sua benignitate discuteret, ne tentationis impetu defatigata ab incæpto desisteret. Nutanti itaque Virgini, & de abjiciendo severiore instituto jam cogitanti peropportune radius Divinæ bonitatis affulsit, cujus beneficio non solum in proposito confirmata fuit, sed & in cælesti doctrina mirabiliter adeo illustrata; ut jam Divina mysteria ex infusa sibi scientia non minus quam ex fide agnosceret, & fateretur. Virginis victoria & profectu in rabiem actus Satanas sub horrenda specie teterrimi monstri fumum ignemque ex oculis & ore vomentis specie ei apparuit, eo inani consilio, ut subiti terroris metu perculsa e turri se præcipitem daret; verum unico Crucis signo, quo se se Archangela in fronte signaverat turpiter victus aufugit. Hisce igitur tentationum periculis Dei ope emersa Archangela majores quotidie efficiebat in religiosa perfectione progressus; ne autem partæ victoriæ merito vel superbire, vel otio torpere posset, Divinæ voluntatis nutu factum est, ut Virgo, quæ dudum in summa vitæ austeritate perpetua lætitia, & animi tranquillitate fruebatur, tam rigidæ solitudinis tædio adeo afficeretur, ut jam de voluntario carcere deserendo, deque repetendis vitæ commodis magna animi turbatione cæperit cogitare. In novas itaque adducta tenebras dum anxia in dubiis hæret, vocem ad cordis interiora clamantem sensit, sibi ingratitudinis, & inertiæ suæ crimen exprobrantem; cujus oportunam Divinæ miserationis opem sibi in extremo discrimine laboranti latam fuisse cognovit Archangela, subitosque in fletus effusa, ut sibi inconstantiæ suæ reatus a Domino ignosceretur, humili & ferventi prece exoravit. Ancillæ suæ humilitatem respexit Deus, tantoque fortitudinis spiritu animam ipsius roboravit, ut ex ea die nullam unquam trepida-

pidationem, nullum tædium passa fuerit, quinimmo in solitudinis & orationis studio vividior, & in austeræ vitæ exercitio vegetior se se ad nova miserentis Dei charismata capienda magis idoneam effecerit. Inter ea autem divinæ prædilectionis munera fuit illud eximium, quod Divino pane inter suaves lacrymarum imbres satiata ab omni terreno cibo per biduum subinde triduumve abhorreret, vultusque ipsius cælesti luce radiaret, qua adstantes in admirationem & devotionem raperet.

Neque tamen tot, ut diximus, victoriis turpiter fractus acquievit Dæmon, sed ut constantem Virginem, qua posset ratione, e suo carcere invitam abduceret, Sacerdoti, qui obsessum Ecclesiæ exorcismis Patavii urgebat, respondit, se nunquam ex eo corpore discessurum, nisi prius Maria Archangela Monasterii S. Danielis Venetiarum Sanctimonialis ex dilecto Campanilis angulo recessisset. Mendacio facilis acquievit Sacerdos, cujus imprudentia usus callidus hostis insidias undequaque struxit, atque Sanctimonialium animos in eam vexati viri misericordiam adduxit, ut nullam aliam ad liberationem ipsius posse rationem dari arbitratæ sint, & omnium hortatu severoque Antistitis jussu coacta fuerit Archangela a campanili discedere. Novæ exinde pugnæ atque eo acriores, quo magis domesticæ, & continuatæ. Moniales etenim, quæ Archangelæ sanctimoniam dum in Campanili degeret, summis laudibus extulerant, adeo gravate ejus conversationem ferre cœperunt, ut ipsam vel insanientem, vel a Dæmone illusam putantes non modo a communi consortio prohiberent, sed & innocentem Virginem jurgiis & probris certatim affligerent. Nullum tamen ex eo certamine triumphum Satanas retulit, ita ut insuperabilis Virginis patientia devictus jam doleret quod ex antiquo carcere per insidias eduxisset novis coronis augendam. Ad eas animi angustias corporis quoque cruciatus suavissimos tamen addidit Sponsi Jesu clementia; nocte enim Dominicæ Resurrectionis triumpho sacra, dum Matutinas horas in preces effusa prævenit, Christus Jesus ei adstitit, gravique inflicto ictu veluti *sponsus sanguinum* latus ejus ad sinistram partem transfixit, & quamvis præ doloris magnitudine pene confici videretur, nocturnis tamen horis imperterrita adfuit, Divinamque psalmodiam cum cæterarum Virginum choro persol-

solvit. Eo ex vulnere (quo ad reliquum vitæ suæ cursum sauciata permansit) singulis quintis sextisque feriis, vivus sanguis, cæteris vero diebus limpida aqua manabant, quorum guttulas jugiter fluentes humillima Virgo Divini Sacramentum Regis abscondens pannis lineis excipiebat, ut sibi collatum munus ab omni hominum notitia subtraheret. Tantis itaque charismatibus aucta, & assiduo virtutum omnium exercitio ornatissima cum jam cælo matura esset, gravi dolorum morbo corripitur, cujus vi ad extremam adeo maciem redacta esset, ut pellem præter & ossa (ut de Divo Basilio Magno asseritur) corpus illius nulla re alia constare videretur, tanta membrorum lassitudine correpta fuit, ut nec caput quidem nisi funis e trabe pendentis adjumento in diversa deducere valeret. Gravissimæ itaque infirmitatis cruciatibus per annum circiter ad patientiæ miraculum toleratis, atque Ecclesiæ sacramentis rite susceptis in cilicio decumbens ad Sponsi amplexus evolavit die xx. Januar. anno Domini MDXXI.

Heroicam sponsæ suæ patientiam magna retributionis gloria coronatam fuisse in Cœlo præclaris prodigiis testatus est Deus; etenim ea ipsa die, qua ex hac luce migravit cuidam Carthusiano Monacho se se mira luce fulgentem conspicuam dedit, eumque Sororibus nunciare jussit, pretiosam ejus mortem questubus lacrymosis gemitibusque celebrandam non esse, quæ gloriosum ad æternam vitam aditum patefecerat. Nec dissimili fere modo una ex Sanctimonialibus in igneo globo Cœlos ascendentem aspexit; paresque splendoris radios non semel e sepultæ Virginis tumulo exeuntes videre meruit altera ex Sororibus nomine Apollonia, dum ante ipsum posita in oratione perseverabat. Biennio ab ejus obitu nondum expleto Virgo quædam Sanctimonialis, quam ex ulcere pessimo Maria Archangela adhuc vivens sanaverat, gravissimis doloribus patientissime toleratis juxta Archangelæ prædictionem sibi factam placidissime in Domino obdormivit.


Defunctæ corpus in Altaris pariete tumulatum, in ejusdem altaris nobiliori structura repertum anno MDCLXVII. in Oratorio interiori Monasterii jussu Joannis Francisci Mauroceni Patriarchæ Venetiarum terræ demandatum fuit hoc elogio apposito.

„ Ar-

„ Archangelæ Salvatoriæ Canonicæ Regularis in Monasterio Sancti Danielis vita functæ Anno MDXXI. Die XX. Januarii. Hic ossa quæ diu in pariete Altaris abscondita, tandem in ejusdem nobiliori structura reperta jussu Illustrissimi ac Reverendissimi D. D. Joannis Francisci Mauroceni Patriarchæ hoc loco posita Anno MDCLXVII. mense Julii Fuscarena Diedo Abbatissa.



DE



DE
HOSPITALI
SS. PETRI, & PAULI APOST.

OMNIBUS, quæ in Urbe Veneta extant Xenodochiis antiquitate originis præstat illud, cui a Principum Apostolorum patrocinio nomen inditum fuit *Hospitale de' Santi Pietro e Paolo*. A suæ institutionis initio, quod Sæculum XI. attingit, ut ex vetustis documentis patet, Collegium seu *Schola* fuisse traditur piorum hominum, quibus hoc præcipuum charitatis officium in primis fuit peregrinos ad Terræ sanctæ loca properantes hospitio excipere, tum ardentiori effusiorique charitatis affectu egenos quoscunque, vel febri correptos, vel vulneribus sauciatos invenissent in valetudinarium ad hæc statutum devehere, ubi artis medicæ studio curarentur. Hæc dum Christi amore diligenter agunt pii viri magnam præclaro operi civium benevolentiam conciliarunt, unde & multi liberales eleemosynas pro ædificio construendo erogarunt, alii vero ad redditus comparandos ingentem pecuniæ vim ex testamento legarunt.

Temporis fluxu cum ad regimen Xenodochii a supralaudata piorum societate delecti fuissent Prior, atque Procuratores

paullatim ad eos totius rei administratio pertransiit eo laudabili modo, quo ad nostra usque tempora utilissime perseverat. Firmiorem tamen eximium hoc Christianæ pietatis institutum anno MCCCXL. soliditatem suscepit, quando ex corrogatis undique fidelium eleemosynis ampliori situ comparato laxiores ædes ædificantur, atque Priori, ut præsens omnia prospiceret, apta domus extruitur.

Hisce rebus optime peractis Marcus Bonacursius eximiæ diligentiæ & probitatis vir, qui anno MCCCIIL. Prioris munere fungebatur, cum Hospitalis redditus ad meliorem statum deduxisset, sancte anxius, ne beneficia egenis parata ad alienas manus, ut aliquando transactis temporibus acciderat, devenirent, pro bene institutæ rei perseverantia, supremam Principis authoritatem obtestatus est, ut Hospitale ejusque redditus, & persona pro loci religione sub publica protectione reciperentur. Hoc sub Jurispatronatus titulo actum fuisse testatur amplissimum Ducale Diploma die XXX. Julii Anno MCCCLXVIII. latum, (A) quo statutum est, ut sub Regia Dominii tutela Xenodochium susciperetur, cujus gubernio Prior & quinque Procuratores præessent; horum vero tres ex Patritiorum ordine, reliqui vero duo ex Civium numero assumerentur.

Eadem quoque lege provisum est, ut in institutione Prioris atque Procuratorum suffragia ferrent Rector quoque, & duo ex confratribus prælaudatæ Scholæ ad hoc specialiter destinati, verum hoc deficiente paullatim Confratrum numero omnino absolevit, inque solos Procuratores jus omne institutionis redactum est, reservata ex Jurepatronatus Principi ejusque Consiliariis electorum confirmatione.

Neque tamen post hæc ad majus loci subsidium negotium defuit, siquidem cum ad administranda ægrotis Sacramenta nullo in loco Sacerdos degeret, Marinus Michael loci Prior anno 1441. sollicitus, ut ægrotis, si quando noctu animam quispiam ageret, propitior esset sacrorum minister, qui eis in extremo vitæ discrimine positis præsto esset, Apostolicam Eugenii IV. clementiam obtestatus est, ut sibi suisque successoribus facultas esset *unum idoneum Presbyterum sæcularem in Capellanum* loci habere, qui *in Oratorio ipsius Hospitalis Missas & alia Divina Officia celebrare, ac tam Rectorum quam Pauperum, & infirmorum eisque servientium atque aliarum in eo degen-*

degentium pro tempore personarum confessiones audire, eisque pœnitentiam salutarem injungere, Eucharistiam ibidem honore debito conservare, illamque, & alia Sacramenta ecclesiastica illis, quoties opus fuerit, ministrare, & apud ipsum Hospitale decedentium corpora in Cimiterio inibi erigendo sepelire libere & licite valeat. Divo Laurentio Justiniano tunc temporis Castellano Episcopo totum negotium delegavit Eugenius, ut ea ageret, quæ ipsius prudentiæ visa fuissent opportuna; Apostolica itaque mandata cum recepisset sanctus Episcopus, re diligentius examinata concessit, ut Rectores loci unum Sacerdotem idoneum in Capellanum statuerent, qui & sacra celebrare, & confessiones Pauperum excipere valeret; Eucharistiam vero, & alia Sacramenta ab Ecclesia Cathedrali acciperet pauperibus ministranda, infirmorum autem & pauperum, qui in ipso hospitali decessissent, in ejus Cæmeterio tumulari corpora concessit; Rectorem vero loci, ejusque familiam, a Parochiali Ecclesia Castellana Sacramenta recipere debere declaravit lato decreto ad diem XIX. Januar. anno MCCCCXLV. (B)

Eugenii privilegium liberaliter auxit Pius Pontifex hujus nominis IV. dato enim die IX. Maii anni MDXC. amplissimo Diplomate Ecclesiam Hospitalis, *ut dignis frequentaretur honoribus* perpetuis decoravit indulgentiis, ipsum vero Hospitale ejusque administratores, officiales, & pauperes iisdem & omnibus privilegiis, exemptionibus, & indultis frui voluit, quibus ipse Romanique Pontifices præcessores Hospitalia S. Spiritus in Saxia, S. Jacobi in Augusta, S. Joannis Lateranensis aliaque cumulatissime decoraverant. (C)

Ecclesia tribus marmoreis aris instructa nonnullis ditatur Sanctorum Reliquiis, quas inter præcipua veneratione coluntur sacra Apostolorum Titularium fragmenta Petri Garzonii Senatoris amplissimi olim Xenodochii Procuratoris pium munus.

Ex S. C. decreto epigraphes marmorea olim in obscuro Xenodochii angulo latens januæ Prioratus conspicuo loco apposita fuit.

„ Ædem hanc sub Ducis Serenissimi Patronatu Apostolorum
„ Principibus dicatum vetustate jam fatiscentem ac pene au-
„ tantem Paulus Venetus Prior non tam œconomiæ admini-
„ strandæ quam pietati ac religioni excolendæ noviter addi-

„ ctus ampliori cultu reformandam Anno Christi curavit
„ MDCIIL. Duce Francisco Molino III. atque Ecc. Aloysio
„ Mocenico, & Andrea Delphino hujus Noxocomii tutoribus.

Antiquæ inscriptioni hæc addi curavit Joannes Baptista Alberghini Prior.

„ Æde rursus reparata vetus Epigraphe restituta est Anno
„ MDCCXXXVI. Duce Aloysio Pisano. Curatoribus ex Ordine
„ Patrit. Jo. Petro Pasqualico. Jo. Antonio Ruzino II. Geor-
„ gio Contareno Eq. Com. Joppe. Ex Ord. Civ. Francisco
„ Cavallii. Josepho Agazzi. Jo. Baptista Alberghini Præside.

Adiectæ sunt Hospitali Ædes, quas octo pauperibus colligendis, ædificaverat olim Franciscus de Avantio & Hospitali SS. Petri & Pauli subjecerat, atque postmodum ex testamento redditibus instruxerat, ut recepti inopes congrue in iisdem ædibus alerentur.

Ex Testamento Francisci de Avantio rogato die XXX. Julii anno MCCCL.

„ Item cum laborare fecerim, & fabricare quoddam Mona-
„ sterium hospitale in Territorio & domo Hospitalis Sancto-
„ rum Petri, & Pauli de Castello, habens intentionem quod
„ perpetuis temporibus in ipso Hospitale stare, & commora-
„ ri debeant octo pauperes homines Veneti antiqui, & im-
„ potentes, bonæ famæ, & conditionis.


Cum vero temporum vicibus redditus defecissent, atque ædes ipsæ in ruinas prolapsæ essent, anno MDCCL. quarto ab institutione loci sæculo desinente in pristinam formam reædificari jusserunt Hospitalis Procuratores, cujus rei testimonium affert adjecta marmorea epigraphe.

„ Ædes hasce, Pio Francisci Avantii Testamento, paupe-
„ ribus excipiendis legatas M.C.C.C.L. Temporum injuria
„ delapsas, pristinæ formæ restituendas mandarunt Curatores
„ Loci ex Ordine Patritio f. Jo. Petrus Paschalico, f. Geor-
„ gius Contareno Eq. Com. Joppe, f. Flaminius Cornelio.
„ Joseph Agazzi, Franciscus de Nigris Cives. Rectore An-
„ drea Spinelli opus urgente. Anno Salutis M.D.C.C.L.

Aliud quoque hospitium egenis feminis pie statuerunt Nicolaus

colaus & Magdalena conjuges Caretti in ipsa Divi Petri Castellanensis Parœcia, utque rite perpetuis futuris temporibus administraretur, Hospitali Sanctorum Petri, & Pauli subjectum esse mandarunt. Benemeritam fundatorum memoriam, ut perennis extaret, marmori commendarunt Procuratores Hospitalis eo supradicto anno MDCCL.

„ Pietatem Nicolai, ac Magdalenæ Jugalium Caretto, qui
„ Ædes has pro Feminarum Domicilio erexerunt, marmore
„ æternari mandarunt Curatores Loci ex Ordine Patritio f. Jo.
„ Petrus Paschalico, f. Georgius Contareno Eq. Com. Joppe
„ f. Flaminius Cornelio. Joseph Agazzi, Franciscus de Nigris
„ Cives. Andrea Spinelli Præside. Anno Salutis M.D.C.C.L.



Dominium Venetiarum recipit Hospitale SS. Petri, & Pauli sub publica protectione, certasque statuit leges pro bono ipsius regimine.

A 1368. 30. Julii.

Ex Archivo Hospitali SS. Petri, & Pauli.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ac reverentia Beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli.

Nos Andreas Contareno Dei Gratia Dux Venetiarum &c. Ad perpetuam hujus Patronatus nostri, & omnium infrascriptorum memoriam. Universis, & singulis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem & omne bonum. Licet cunctis justa petentibus nostrum benigne prebeamus assensum, supplicationes tamen pietatis, & misericordiæ opera concernentes, eo ampliori affectu prosequimur, quo acceptabile Deo obsequium redditur, & fidelium mentes ad ulterioris charitatis zelum merito disponuntur. Conspicientes eorum eleemosynas in substentationem pauperum infirmorum miserabiliumque personarum sub bono regimine fideliter, & debite dispensari. Cum igitur nobis nostroque Consilio exhibita fuisset petitio infrascripti tenoris; Videlicet: Ducali benignitati reverenter exponit humilis Civis, & fidelis noster Marcus de Bonacursis Prior Hospitalis Sanctorum Petri & Pauli, quod jam annis viginti elapsis ipse servivit pauperibus dicti Hospitalis, & per Dei gratiam, & intercessionem Beatorum Apostolorum cum charitatibus, dimissoriis, & eleemosynis bonarum personarum de Venetiis, ipse & procuratores ipsius loci multiplicarunt, & augumentaverunt in tantum locum predictum, quod quasi de nihilo presentialiter habet omni anno frumenti staria ducenta, vel circa vini amphoras viginti, & prode imprestitorum fictibus domorum, & aliis rebus firmis circa libras septuaginta grossorum in anno, cum Hospitaleto de Cha de Vantio, & dummodo opera pietatis non cessent, dictus locus est amplius pro multiplicando de nonnullis aliis bonis proventuris in brevi tempore ad illum,

de

de quo humiles gratias refert Deo Omnipotenti, a quo cuncta bona procedunt. Cum autem scriptum sit: Non minus est virtus quam querere parta tuari, & ipse Prior sit ad præsens gravissime infirmus, affectat sentire locum & pauperes in tali ordine, & stabilitate quod mori, concedente Domino valeat consolatus. Quare humiliter supplicat, quatenus Ducalis benignitas, considerans quam grata sunt Deo opera pietatis, dignetur suprascriptum locum sub protectione vestra recipere, & de gubernatione disponere temporibus in futuris. Ne id quod in Dei reverentiam deputatum est, tam mirabiliter ad pauperum substentationem, perveniat ad manus alicujus Episcopi vel personæ ecclesiasticæ seu aliorum dissipantium, sicut plura alia loca, quæ sanctum habuerunt initium, pervenerunt. Ordinando si placet vestro Dominio, dicta domus, & pauperes regantur, quod per Priorem, & Procuratores presentialiter existentes, seu alios qui placebunt vestro Dominio, dicta domus, & pauperes regantur, & gubernentur, sicut hactenus factum est; cum conditione quod Prior & Procuratores, qui erunt per tempora, teneantur singulis annis rationem ostendere de introitibus, & expensis per illum modum quo ostendi poterit, & illis personis, quæ vobis videbuntur, & quando Dominus vocaverit ad se Priorem, & Procuratores, eligant alium, dato eis primo juramento per Dominium de eligendo meliorem, & sufficientiorem de Venetiis Laicum qui non sit firmus, nisi per Dominium fuerit confirmatus. Similiter quando aliquis Procurator defecerit, Prior cum reliquis Procuratoribus eligant illum confirmandum simili modo per Dominium, nam per istum modum suprascriptus locus sub protectione, & dominio vestri gratiosi Dominii permanebit; Pauperes infirmi, & peregrini, qui sunt ultra centum in die, cum lectis centum quadraginta, & mundis substentabuntur ad laudem Divini nominis, & suorum Appostolorum, & magnum honorem, & meritum vestri pii, & excelsi Dominii. Nos autem volentes super predictis deliberare consultius, una cum nostro consilio commisimus Nobilibus Viris Advocatoribus nostri Communis, ut petitionem prædictam diligenter examinarent, & vocatis partibus, & illis de schola prefati Hospitalis, & aliis qui sibi viderunt, & auditis his qui dicere & proponere vellent nobis superinde respondere curarent; qui nostri mandati formam prudenter, & fideliter exequentes, responsionem suam nobis exhibuerunt in scriptis sub hac forma videlicet: Huic petitioni respondent Nobiles Viri ser Pangratius Georgio, ser Nicolaus Barbadico, & ser Lodovicus Dalmario Advocatores Communis visa & examinata præsenti petitione & omnibus in ea contentis, & auditis partibus, & quidquid ipsæ partes dicere voluerunt, & aliis pluribus bonis hominibus qui pro bono & conservatione dicti Hospitalis videretur eis fore bonum quod Hospitale Sanctorum Petri, & Pauli in petitione nominatum recipiatur in protectione Dominii Jurepatronatus, & gratia speciali, consideratis bonis operibus Prioris presentis dicti Hospitalis, per quem predictum Hospitale multum crevit, & quod postquam fuerunt ista quæstiones inter Priorem, & Procuratores dicti Hospitalis & illos de schola illud in nihilo crevit, nec multiplicatum est, quod pro dando operam ut ipsum Hospitale augumentetur, & multiplicetur, & quod aliquod pati non valeat detrimentum, amodo in antea dictum Hospitale regatur & gubernetur per Priorem & quinque Procuratores quemadmodum usque nunc rectum est, qui Prior, & Procuratores sint ad vitam; cum hac tamen conditione, quod in fine quorumlibet duorum annorum debeant approbari inter Dom. Ducem & suos consiliarios & habendo majorem partem ipsorum sint firmi, & in casu quo aliquis caderet ad probam fiat electio de uno alio loco illius per modum inferius specificatum super modo electionis predictorum fiendæ, quando aliquis deficiet,

qui

qui Prior & Procuratores teneantur omni anno in festo S. Petri, vel per octo dies post dictum festum ad minus assignare rationes tam introituum, quam exituum dicti Hospitalis Gastaldioni, & duobus bonis hominibus dictæ Scholæ Sanctorum Petri, & Pauli electis per ipsos de Schola, & omni anno mutare debeant, & facere quaternos novos in quibus scribant rationes tam introituum, quam exituum dicti Hospitalis singulariter, & hoc quando ostendent, & assignabunt rationes predictas & nihilominus teneantur prædicti Prior & Procuratores ostendere ad omne beneplacitum Dominationis quibuscunque ultra predictos Dominatio mandaverit rationes predictas feriatim; & quando dictus Prior, & Procuratores, vel aliquis ipsorum decesserint, vel vacaverint modo aliquo, fiat electio per hunc modum de uno alio loco illius qui decesserit, vel vacaverit, ut est dictum, videlicet quod congregatis, & convocatis insimul illis Priore, & Procuratoribus, qui supervixerint vel superfint, ac predicto Gastaldione, & duobus hominibus dictæ Scholæ electis per illos de Schola, ut dictum est, electio fieri debeat per majorem partem ipsorum de uno loco illius qui decesserit, vel vacaverit, ut dictum est, qui electus postea debeat confirmari per Dom. Ducem & Consiliarios suos, & si habuerit majorem partem ipsorum sit firmus, & in casu quo non habuerit majorem partem predictorum Domini Ducis & predictorum suorum Consiliariorum, tunc electio facta de ipso sit nulla, nec valeat, sed debeant predicti Prior, & Procuratores qui supervixerint vel supererint, & predicti Gastaldio, & duo homines Scholæ predicte procedere ad novam electionem de uno alio, loco illius quem Dominatio non confirmaverit, non possendo eligere de illis quem Dominatio confirmare noluisset usque ad unum annum, & debeant dicti electores presentavisse Dominationi electionem factam per ipsos infra octo dies postquam fecerint electionem predictam factam per ipsos Dominationi, & petendum confirmationem ipsorum infra terminum supradictum, & tunc electio facta per ipsos ipso facto sit nulla, & procedere debeant ad aliam novam electionem de aliis loco illorum quos elegissent; Non possendo eligere de illis quos primitus elegissent usque unum annum, & nihilominus dicta electione non facta loco illorum qui vacassent vel decessissent, seu non confirmata ut dictum est, administratio dicti Hospitalis, bonorum ejus possit fieri per illos priorem & Procuratores qui remanserint donec electio predicta facta fuerit, & confirmata, & quia dicitur quod aliqui ex dictis Procuratoribus renuntiaverunt, ordinetur, ut intentio predicta melius servetur; quod pro nunc illi qui remansissent debeant esse simul cum aliis Priore & Procuratoribus, & Gastaldione, & duobus bonis hominibus dictæ Scholæ electis, per modum supradictum ad eligendum alios Procuratores loco sui cum conditionibus supradictis. Remanente modo & forma electionis fiendæ quandocunque loco illorum qui decessissent, vel vacaverint, ut est dictum, per modum superius specificatum. Hoc addito & expresse declarato, quod nunquam ipse Prior, nec Procuratores in dicto Hospitali possint esse nisi personæ laicæ & supositæ Jurisdictioni Ducalis Dominii Venetiarum. Qua quidem responsione predictorum Advocatorum nostri Communis cum omnibus, & singulis in ipsa contentis, diligenter cum nostris Consiliis Minori & Majori intellectis, & examinatis matura deliberatione habita superinde cognoscentes ipsam clementia nostra continere dignam justitiam & æquitatem, & utilem immo necessariam fore ad perpetuam conservationem, & augmentum suprascripti nostri Hospitalis & ad pauperum infirmorum, miserabilium personarum substentationem: Christi nomine, cujus res in hac parte agitur, invocato decrevimus firmavimus & ordinavimus, ac decernimus firmamus & ordinamus cum nostris minori & majori Consiliis, quod fiat & observetur perpetuo in totum secundum formam & tenorem respon-

ponsionis predictorum Advocatorum nostri Communis, in præmissorum autem fidem, & evidentiam pleniorem jussimus &c. & per Cancellarium nostrum, & bulla nostra aurea pendente muniri. Datum in nostro Ducali Palatio Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo sexagesimo octavo indictione sexta die penultimo mensis Julii.

Ego Raphaynus de Caresinis Venetiarum Cancellarius & Not. de mandato prefati Domini Ducis, suique Consilii complevi & roboravi.

1396. *Mensis Februarii die* VIII. *Indictione* VI.

Cum MCCCLXVIII. Indictione VI. die penultimo mensis Julii capta fuerit pars in Majori Consilio, per quam Hospitale SS. Petri, & Pauli receptum fuit in protectionem nostri Dominii jure Patronatus cum gratia speciali, cum certis modis, & conditionibus in ea contentis, & per Procuratores ejusdem Hospitalis, qui sunt Nobiles Viri f. Paulus Mauroceno, f. Petrus Bollani, & f. Zacharias Gabriel, ac providi viri Nicolaus dalle Lune, & Petrus de Regla Cives nostri, nuper fuerit expositum nostro Dominio, quod videretur eis bonum, & ita consulunt pro utilitate dicti loci, quod Prior ejusdem Hospitalis, qui de cetero eligetur, non possit facere de mercationibus, & si esset homo, qui sciret aliquam artem, vel mixterium, illam operari, vel exercere non possit, nec debeat ullo modo; quod prohibendo sibi prædicta duo melius, & diligentius attendet ad gubernationem, & utilitatem Hospitalis quod redundabit in magnum commodum, & bonum pauperum infirmorum, & peregrinorum, qui receptantur ibidem, Insuper quod dictus Prior qui de cetero eligetur debeat se vestire, & ire vestitus semper de beretino. Determinatum fuit per Illust. Dom. Ducem, & infrascriptos D. D. Consiliarios, ut fiat, sicut consulunt dicti ipsi Procuratores; & sic debeat observari pro bono, & utilitate dicti Hospitalis.

CONSILIARII fuerunt.

Daniel Bragadino.	Franciscus Valerio.	Joannes Capello.
Maffeus Aymo.	Franciscus Maripetro.	Franciscus Cornario.

Divus Laurentius Justinianus Episcopus Castellanus Delegatus Apostolicus concedit facultatem Rectori Hospitalis SS. Petri, & Pauli tenendi Capellanum pro infirmis dicti Hospitalis.

B

1444. 19. Januarii.

Ex Autographo in Archivo Hospitalis.

LAurentius Justinianus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Castellanus, Commissarius, & executor universalis delegatus a Sede Apostolica ad instantiam specialiter deputatus Circunspecto Viro f. Marino Michaeli Veneto Priori Hospitalis Sanctorum Petri, & Pauli de Venetiis nostræ Castellanæ Diæcesis, ac universis, & singulis futuris Prioribus dicti Hospitalis, aliisve, quos præsens tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, salutem in Domino sempiternam. Litteras Sanctissimi Domini nostri Domini Eugenii Divina providentia Papæ Quarti, sanas, integras, & illæsas, non cancella-

cellatas, non abrasas, non maculatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspitione carentes, vera ipsius Domini nostri Bulla plumbea more Romanæ Curiæ impendenti munitas, præsentatas nobis per f. Marinum Priorem præfatum noveritis vos omnes... nos eaque decet reverentia recepisse, & obtulisse nos promptos, & paratos, ut tenemur mandatis Apostolicis obedire, quarum litterarum tenor sequitur, & est talis:

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei Ven. Fratri Laurentio Episcopo Castellano Salutem, & Apostolicam benedictionem. Gregi Dominico, quamquam immeriti disponente Domino præsidentes propositas nobis piorum negotiorum causas, illas præsertim quæ Christi pauperibus, & aliis miserabilibus, earumque servitiis militantibus personis, conservationem, pacem, & animarum salutem afferre valeant, libenter audimus, & quantum cum Deo fieri potest præcipimus exaudiri. Sane pro parte dilecti filii Marini Michaelis Rectoris, Prioris nuncupati, hospitalis pauperum Sanctorum Petri & Pauli loci de Venetiis tuæ Diæcesis, asserentis, quod ad dictum Hospitale, quod in præfato loco satis famosum existit, magna pauperum, & infirmorum multitudo confluit, & conversatur etiam in eodem, nobis fuit supplicatum, ut sibi & successoribus suis Rectoribus dicti Hospitalis, qui pro tempore fuerint, quod unum idoneum Presbyterum sæcularem in eorum Capellanum, qui in oratorio, sive capella ipsius Hospitalis Missas & alia divina officia diebus singulis celebrare, ac tam Rectorum, quam pauperum, & infirmorum, eisque servientium, atque aliarum in eo degentium pro tempore personarum, Confessiones audire, & eis pro commissis, nisi forsan talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset merito consulenda, pœnitentiam salutarem injungere, Eucharistiam ibidem honore debito conservare, illamque, & alia Sacramenta Ecclesiastica ipsis quoties opus fuerit, ministrare, & apud ipsum Hospitale decedentium corpora in cimiterio inibi erigendo sepelire valeat, eorum sumptibus habere, & tenere possit libere, & licite, Jure tamen Parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo, licentiam & facultatem concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus diligenter per te de præmissis informatione recepta in illis omnibus, facias prout circumspectioni tuæ melius videbitur faciendum; non obstantibus contrariis quibuscumque. Datum Romæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo, quadragesimo primo, quarto nonas Decembris, Pontificatus nostri anno decimo.

Post quarum quidem litterarum Apostolicarum presentationem & receptionem per ipsum f. Marinum hora debita fuimus cum instantia requisiti, quatenus ad executionem ipsarum litterarum procedere curaremus. Nos igitur Laurentius Episcopus, Commissarius Apostolicus antedictus, volentes, ut tenemur, mandata Apostolica exequi reverenter, habita super præmissis omnibus, & singulis matura & diligenti per nos informatione, & consideratione, considerantesque opportunitatibus, & casibus pauperum, infirmorum ad id Hospitale confluentium, & in eodem degentium circa spiritualia requisitis, auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, decernimus, declaramus, & terminamus, quod præfatus Dom. Marinus Prior nuncupatus ad præsens, & qui pro tempore fuerint Rectores dicti Hospitalis, Priores nuncupati, possint libere habere & tenere in dicto Hospitali unum idoneum Presbyterum sæcularem in Capellanum, qui in oratorio, sive capella ipsius Hospitalis Missas & alia Divina officia diebus singulis celebrare valeat pro devotione Pauperum, & aliorum in dicto commorantium Hospitali, & Confessiones ipsorum Pauperum,

rum, Infirmorum, qui in ipso Hospitali pro subventione sua recepti fuerint, & stabunt, audire possit, & eis pro commissis, nisi forsan talia forent, per quæ Sedes Apostolica esset merito consulenda, pœnitentiam salutarem injungere possit; Eucharistiam vero cum non deceat in locis sæcularium, nec sub eorum potestate locari, & alia cætera Sacramenta, quotiescumque opus fuerit pro prædictis pauperibus, infirmis, volumus & decernimus eadem auctoritate, ut prædictus Capellanus habere & recipere debeat semper a Cathedrali Ecclesia Parochiali, & petere prout debet, & ipsis pauperibus ministrare. Et eorum corpora pauperum infirmorum Hospitalis in cimiterio dicti Hospitalis valeat sepelire. Declarantes insuper, quod personæ dicti Prioris, Rectoris, Consortis, & omnium aliorum, qui pro tempore fuerint, & earum uxorum, atque affinium ipsorum utriusque sexus, qui in dicto Hospitali aliqua causa penes eos commorarent, atque tota familia dicti Prioris, Rectoris, qui pro tempore fuerint, recipere debeant cætera Sacramenta a Parochiali Ecclesia Cathedrali consueta. Reputantes in cæteris illæsa omnia, & singula jura dictæ Parochialis Ecclesiæ Cathedralis. In quorum omnium testimonium, & fidem præsentes litteras nostras fieri jussimus, & Pontificalis sigilli nostri Bullæ appensione muniri.

Actum & datum in Episcopali Palatio Castellano Venet. Præsentibus Ven. Dominis Presbytero Gregorio Polo Canonico Castellano, Domino Presbytero Rocco Archipresbytero Castellano, & Dominico Rosso clerico ipsius Reverendissimi Domini Episcopi testibus vocatis & rogatis, die decima nona mensis Januarii. Anno Nativitatis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto. Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Eugenii Divina providentia Papæ Quarti Anno tertiodecimo.



Pius IV. privilegia & indulta concessa Hospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe concedit etiam Hospitali Sanctorum Petri, & Pauli Venetiarum.

C 1560. 9. Maii.

Ex Autographo in Archivo Hospitalis.

PIus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam memoriam. Pastoris Æterni, qui non vult mortem, sed conversionem peccatoris, vices licet immeriti gerentes in terris gregem Dominicum nostræ curæ Divinitus commissum ad vitam lucis æternæ quantum possumus perducere studemus, & juxta creditum nobis Apostolicæ servitutis officium Fideles singulos quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia ad pia, & meritoria opera erga Hospitalia, & alia pia loca exercenda spiritualibus muneribus Indulgentiis videlicet, & peccatorum remissionibus invitamus, ut per eorumdem operum exercitium suorum abolita macula delictorum ad æternæ Beatitudinis gaudia feliciter pervenire mereantur, ac honestis administratorum Hospitalium eorumdem circa Fidelium in illis morientium funera votis libenter annuimus, aliasque in hiis providemus pro ut in Domino salubriter conspicimus expedire.

Cupientes igitur, ut Hospitale Sanctorum Petri, & Pauli Venetiarum & ejus Ecclesia congruis frequententur honoribus, & in debita veneratione habeantur, ac ipsum Hospitale, & pau-

peres

peres infirmi nunc, & pro tempore in eo existentes aliquod suscipiant sublevamine, ipsique Christi Fideles ad Hospitale, & Ecclesiam præfata visitanda eo libentius incitentur quo exinde majoribus Spiritualibus Donis, & gratiis conspexerint se refectos; de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus, & singulis utriusque sexus Christi Fidelibus vere penitentibus, & confessis, seu statutis ab Ecclesia temporibus confitendi propositum habentibus, qui Hospitale, & Ecclesiam prædictam singulis Festivitatibus Resurrectionis D. N. J. C. & Quadragesimæ, nec non Hebdomadæ Sanctæ diebus devote visitaverint, & inibi pro salubri statu, & conservatione Militantis Ecclesiæ, suorumque peccatorum venia consequenda, & alias juxta eorum Devotionem præces aliquas Deo effunderint, quoties id fecerint plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem Apostolica auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino relaxamus; nec non Hospitali prædicto ac dilectis filiis modernis, ac pro tempore existentibus administratoribus, & officialibus, ac pauperibus, & aliis personis illius omnia & singula Indulgentias, exemptiones, immunitates, prerogativas, Privilegia, Indulta, & alias gratias Sancti Spiritus in Saxia Ordinis S. Augustini, & S. Jacobi in Augusta, ac S. Joannis Lateranensis, aliisque Hospitalibus, ac Capellæ Campi Sancti Almæ Urbis, illorumque personis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per nos & Sedem Apostolicam, ac alias quomodolibet hactenus concessa, ac quibus illa ad præsens, utuntur, potiuntur & gaudent, & deinceps utentur, potientur & gaudebunt, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum in omnibus, & per omnia ad eorum instar, & æque pariformiter absque ulla penitus differentia perinde ac si illis originaliter, & a principio concessa essent, uti, potiri & gaudere possint, auctoritate & tenore præmissis communicamus, & concedimus, ac ad ipsum Hospitale Venetiarum extendimus. Et insuper administratoribus, & officialibus præfatis Fidelium in dicto Hospitali Venetiarum pro tempore morientium Cadavera in quibuscumque Ecclesiis per ipsos inibi morituros eligendis, absque aliqua pro tempore existentium Rectorum Ecclesiarum & locorum hujusmodi, in quibus ipsi sepeliri voluerint, licentia, juribus tamen singularum Ecclesiarum semper salvis, sepeliri facere libere, & licite possint, & valeant similiter concedimus & indulgemus; Nec non administratores & officiales præfatos super præmissis molestari non posse, & ita per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari debere, ac quidquid secus a quocumque quamvis auctoritate scienter, vel ignoranter attemptari contigerit, irritum & inane decernimus. Non obstantibus constitutionibus Apostolicis, ac Hospitalium Almæ Urbis hominum Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo, nona Maii, Pontificatus nostri anno primo.



DE
MONASTERIO
SANCTÆ ANNÆ.

ANtiquos Eremitas, qui per deserta Italiæ loca hac illac dispersi Ascetarum vitam ducebant, ab iis monachis asserunt Augustiniani Scriptores originem duxisse, quos Gensericus aliique Vandalorum Reges Arriana hæresi infecti ob catholicæ fidei confessionem ex Africa expulerunt. Sæculo XIII. ineunte nonnulli ex iis, qui nemora, & solitudines Fanensis agri in Marchia Anconitana incolebant, ad Cœnobiticam vivendi formam se colligere exoptantes, apud Brittinum parvum Fanensis Diœcesis oppidum convenerunt, ibique angustum Monasterium, & Ecclesiam sub S. Blasii Episcopi & Martyris invocatione erexerunt, ex cujus loci nomine statuta inde societas agnomen accepit Congregatio Brittinorum, seu de Brittinis Ord. S. Augustini. Cum vero ad id usque tempus annum nempe 1228. sine certis ac propriis legibus ac magistratibus vixissent, visum est, ut Congregatio ex liberis hominibus Dei beneficio coacta ad firmioris concordiæ, atque unitatis bonum sub uno rectore in religioso instituto solidaretur. Itaque Divi Augusti-

ni

ni regulam ex Summi Pontificis Gregorii IX. concessione sibi in societatem redactis observandam statuentes, severas adeo constitutiones illi addiderunt, ut in ipsarum observantia humanæ naturæ vires superare viderentur, nam interdicto sibi carnium esu, longis iisque rigidissimis jejuniis se se macerantes vix tribus in hebdomada diebus caseo & ovis utebantur. Miro sanctitatis odore allecti ad recens institutum plurimi aggregabantur, quapropter ut exposcentium votis satis fieret, nova alibi Monasteria condere cogitaverunt, ex quibus supralaudata Brittinorum Congregatio prodiit, a Summorum Pontificum liberalitate plurimis ornata privilegiis. Huic Priorem Generalem præfuisse asserunt Annales Augustiniani, quo munere ad annum 1240. fungebatur illustris pietate Vir Andreas nomine, qui ut novam suo cætui in amplissima Urbe sedem acquireret, Fratrem Jacobum Fanensem Venetias direxit, ut ibidem Augustiniani Cœnobii fundamenta disponeret. Venetias inde appulsus brevi temporis spatio, ea quæ sibi demandata fuerant, fœliciter, & quidem sollicite Deo adjuvante complevit. Locum enim cum elegisset in extrema Urbis parte situm excipiendis Eremiticis Viris opportunum, ibidem *unam petiam de terra vacuam positam in confinio S. Petri de Castello nomine Ord. sui a Miliana relicta Petri de Putheo de confinio S. Martini, olim Gemini* pro se suisque successoribus Anno MCCXLII. præsenti pecunia comparavit, in cujus possessione *per legem Judicum Examinatorum* investitus fuit primum *sine proprio* die XI. Junii supradicto anno MCCXLII. deinde legalibus prælationum ordinibus rite completis iterum (juxta Forensem illius ævi morem) investitus fuit *ad proprium* die XXIV. Augusti anno sequenti (A). Iisdem anno & die de altera quoque *petia de terra vacua posita in confinio jamdicto S. Petri de Castello* investitus fuit Fr. Jacobus *ad proprium* pro eo quod ipsam terram Resmunda relicta Marci Bembo habitans in confinio S. Trinitatis ei, & suis successoribus pridem vendiderat, & transfactaverat (B).

His igitur in locis impetrata prius a Petro Pino Episcopo Castellano facultate Fratres Eremitani *Monasterium, Ecclesiam & Cimiterium* construxerunt sub vocabulo Beatarum Annæ & Catharinæ, in quo sancte & religiose vitam agentes universæ Urbis sibi demeruerunt amorem. Præclara publicæ dilectionis

extant

extant testimonia, tum piorum beneficia ex testamento legata, tum lex in Majori Consilio die XIV. Martii anno MCCLXXXIV. statuta, qua auctoritate suprema decretum est, ut *Fratres Eremitanorum de S. Anna de Castello* iisdem exemptionibus & eleemosynis fruerentur, quas publica pietas sacris Minorum & Prædicatorum Ordinibus pridem concesserat.

„ Exemplum Partis captæ in Majori Consilio Venetiarum
„ de anno 1284. die 14. Martii, prout in Libro-Luna-
„ Capta fuit Pars, quod Fratres Heremitanorum de S. Anna
„ de Castello habere debeant omni anno tantum, quantum
„ consuevit dari, & datur Fratribus Minoribus & Prædicato-
„ ribus, scilicet solidos XX. grossorum. Et solvant pro Dacio
„ tantum, sicut dicti Fratres Minores & Prædicatores, scilicet
„ medium dacium.

Ad spiritualis vitæ subsidia in proximos conferenda, id quod enixe expetebant, ex remotioris loci difficultate propemodum præpediri cum cognovissent, de aptiori domicilio in frequenti Urbis situ sibi comparando consilium inierunt. Quapropter cum in Divi Angeli Parœcia opportunum ædificando Cœnobio locum invenissent, remotas Divæ Annæ ædes alienare cogitarunt, atque ut sibi agere rite liceret Episcopalem Bartholomæi Quirini Episcopi Castellani hujus nominis secundi facultatem impetrarunt, (C) iis tamen conditionibus adjectis, ut eæ dumtaxat *honestæ & bonæ conversationis* personæ, ad quas Monasterium deveniret, *pleno jure subjacerent Episcopo, & Ecclesiæ Castellanensi, sicut alia Monasteria, sive loca sita in Diœcesi Castellanensi, quæ nullo privilegio sunt exempta*, nec usque ad alienationem ejus loci perficiendam *possint habitare in dicto loco ultra quatuor Fratres cum servientibus sibi necessariis, ut celebrent Divinum Officium, & sint de Conventu loci Sancti Stephani memorati*.

Occasionem itaque nacti, quod aliquæ religiosæ feminæ se in abditiorem locum collocare quærebant, ut a sæculi consortio, quo meliori modo poterant, separatæ quietius Deo famularentur, in ipsas (quarum regimini sub Abbatissæ titulo præerat Maria Zotto) jus Monasterii deduxerunt, ut ibi regularem vitam, & Divina Officia sub instituto, & ritu Benedictini Ord. instituerent, & celebrarent. Translationem hujusmodi factam fuisse anno 1297. die IV. Augusti ex notula ad-

disci-

discimus ad calcem apposita publici instrumenti, quo Sanctimoniales Sanctæ Annæ anno 1305. cesserunt *Fratribus Conventus S. Stephani Eremitarum de Venetiis quascunque dimissorias quocunque modo dimissas Monasterio S. Annæ usque ad diem transmutationis, & transmigrationis ejusdem Monasterii S. Annæ*. Annotationes hæc sunt:

„ Translatio dicti loci facta fuit in Moniales in MCCLXXXXVII. „ Indictione X. die Dominico IV. intrante mense Augusti, ut „ ex instrumento translationis.

Hoc vero traslationis instrumentum deperiit.

Non tamen dicendum est eo ipso anno Sanctimoniales possessionem Monasterii iniisse, siquidem ut ex autenticis documentis adhuc extantibus aperte patet, anno MCCCIV. Monasterium S. Annæ adhuc in potestate Ord. Eremitarum perseverabat.

„ In Christi nomine Amen. Anno Domini millesimo tre- „ centesimo quarto, Indictione secunda, die Mercurii quarto- „ decimo intrante Octobris. Presentibus Zilio de Fossa de „ Scorzedis, Florentio de dicto loco, Antonio de dicto loco, „ Alberto de dicto loco, Bartholomeo de dicto loco, & aliis, „ Salatinus Præco Communis Tarvisii ex vigore litterarum „ Domini Potestatis scriptarum per Bonfantum de Vitale No- „ tarium ipsius Dom. Potestatis, induxit, & posuit Dom. Fr. „ Nicolaum de Ca Zani Ord. Eremitarum, nomine & vice „ ac procuratorio & syndicario nomine Conventus & Domi- „ norum de S. Anna de Venetiis, & de S. Stephano de uno „ sedimine jacente in Villa de Scorzedis.

„ Ego Petrus Martini de Plombino Sacri Palatii Notar. „ interfui, & scripsi.

„ In Christi nomine Amen. Anno Domini millesimo tre- „ centesimo quarto, Indictione secunda, die Mercurii quartode- „ cimo intrante Octobris. Præsentibus Alberto de Scorzedis, „ Bartholomeo de dicto loco, Zilio de dicto loco, & aliis, „ Salatinus Præco Communis Tarvisii ex vigore litterarum „ Dom. Petri de Benz. Potestatis Tarvisii scriptarum per Bon- „ fantum de Vitale Notarium intromisit & sequestravit totum „ redditum unius mansi cum sedimine anni præsentis jacentis

„ in

" in Fossa de Scorzedis &c. & hoc dictum petitur Dom. Fr.
" Nicolai de Ca Zani Ord. Heremitarum, nomine & vice,
" ac procuratorio nomine Conventus & Dominorum de S.
" Anna de Venetiis & de S. Stephano, & precepit.

" Ego Petrus Martini de Plombino Sacri Palatii Notar.
" interfui, & scripsi.

Anno itaque MCCCIV. ad finem vergente, vel anno sequente ineunte Sanctimoniales Ord. S. Benedicti Monasterium Castellanense Divæ Annæ introgressas fuisse ex superius enuntiato instrumento deducimus, die enim XXVIII. Junii anno jamdicto 1305. Maria Zoto Abbatissa, aliæque quatuor Sanctimoniales *totum ipsius Monasterii Capitulum* efformantes *congregatæ, & constitutæ coram Ven. Fratre Ramberto* Polo *Episcopo Castellano* presente etiam *Fr. Joanne de Ascolis Priore Fratrum Conventus Monasterii S. Stephani Eremitarum de Venetiis* solemni modo significarunt, *quod volebant, & expresse consentiebant, quod omnes dimissoriæ quocunque modo dimissæ eidem Monasterio Sanctæ Annæ usque ad diem trasmutationis & translationis ejusdem Monasterii S. Annæ per antecessorem ejusdem Prioris eisdem Monialibus canonice factæ esse debeant Prioris, & Conventus Monasterii S. Stephani, qui quondam in dicto Monasterio S. Annæ pacifice, & regulariter inhabitarunt;* Ad hanc autem ultroneæ cessionis confessionem se devenisse dixerunt, *quod in ipsis dimissoriis nullum jus habebant, nec habere volebant propter quamdam conventionem inter supradictum Priorem, & suum Conventum ex una parte, & ipsas Abbatissam & Moniales ex altera olim factam, & habitam*. Justos cessionis hujusce sensus ratificavit Rambertus Episcopus, *& auctoritatem suam, quantum in eo fuit actu continuato interposuit* (D). Solemnis instrumenti patrocinio protecti Cœnobitæ S. Stephani se in pacifica eorum bonorum fruitione perseverare posse putabant, quæ Monasterio S. Annæ, dum in ipso degebant, ex oblationibus, seu ex legatis devenerant. Res secus accidit, siquidem Sanctimoniales Legatorum intuitu coram Accursio Præposito Pistoriensi Decretorum Doctore Jacobi de Albertinis Episcopi Castellani Vicario Generali quæstionem proposuerunt, cui finem imposuit ejusdem Vicarii sententia, quæ *imposito* Monialibus super hac re *silentio* legata ipsa ad Mo-

Monasterium S. Stephani pleno jure pertinere decrevit. Solemne Vicarii judicium in publicas tabulas redegit Bonifacius de Mercatonovo Episcopalis Curiæ Scriba die XIV. Junii anno MCCCXVI. Spe tamen sua Fratres Eremitæ S. Stephani ex temporum illorum calamitate frustrati sunt, siquidem haud multo post Jacobus Episcopus, qui ut Ludovici Bavari partibus faveret, Petro Corbaro adversum Joannem XXII. pertinaciter adhæserat, alternante deinde rerum vicissitudine a Romano Pontifice Episcopatu spoliatus in Germania se abdidit, in cujus locum ab ipso Joanne XXII. evehitur Angelus Delphinus. Ad hujus itaque fidem opemque confugere Augustiniani Cœnobitæ dolentes justam Vicarii sententiam tam longo annorum spatio irritam successu caruisse, rogare perinde, & orare, ne gravaretur ea, quæ pridem statuta fuerant sua authoritate perficere. Quæstio ad Vicarii judicium iterato producta non eodem modo soluta fuit, siquidem judicium iterato opportunis documentis adversa sorte deperditis Nicolaus de Matasariis, qui Accursio in Vicariatu suffectus fuerat, præcessoris sententiam *non debere executioni mandari*, pronunciavit lato decreto ad diem XXX. Octobris anno MCCCXXXI. a quo tamen decreto ad Sedem Apostolicam Frater Marcus Conventus prædicti Sindicus illico provocavit, (E.) an in ecclesiastico foro diutius perseverarit exorta quæstio, an vero ad sæculare judicium traducta fuerit, ex documentorum inopia ignoratur; unum tantummodo superest sententiæ monumentum, qua Judices Curiæ Procuratorum nonnulla bona Monasterio S. Annæ, dum in eo degerent Fratres Eremitani, legata ex Testamentis Dominici, & Nataliæ conjugum Traynanti æquis portionibus inter utrumque Monasterium dividenda esse judicarunt die VI. Maii anno MCCCXLIII. (F)

His itaque dissidiis ex Judicum dispositione compositis Sanctimoniales tractu temporis ab antiquo solitudinis, & austeritatis instituto sensim declinantes sub specie salutis conservandæ, cui (ut ipsæ afferebant) *propter debilem earum complexionem* aeris intemperies *nimium inimica* erat, ut ad parentum, seu conjunctorum domos aliquando divertere possent ecclesiasticæ facultatis suffragia obtinuerunt. Extat adhuc Petri Cardinalis Riarii diploma, quo nonnullis Cœnobii hujus Monialibus *authoritate Apostolica, cujus legationis fungebatur offi-*

cio nimia benignitate indulsit, ut *tum una, duabus vel pluribus Monialibus ad domum parentum, vel conjunctorum suorum se conferre valerent semel, aut bis, vel pluries in anno* absque eo quod a quoquam Superiore impediri possent vel retardari, de cujus facultatis validitate cum in Curia Patriarchali Venetiarum ambigeretur, Moniales de concessa vagandi libertate anxiæ Apostolicas Sixti IV. litteras per Joannem Aloysium de Tuscanis Papæ Cancellarium transsumi, & exemplari obtinuerunt, quibus quidem epistolis Pontifex Legato suo hoc inter cætera ei demandata concesserat, ut Sanctimonialibus liberam extra claustra exeundi facultatem concedere suæ Legationis officio valeret (G). Eo aberrandi studio, & faciliori cum sæcularibus licet honestis personis commercio, regularis observantia adeo in dies laxabatur, ut tandem de religioso instituto nihil in ipsis præter nomen, & habitum residuum esset. Tanto religionis detrimento, cum nullum aliud remedium opportunius occurreret, Antonius Contarenus Patriarcha Venetiarum consilium cæpit alias ex aliis Monasterii Sanctimoniales educere, quæ splendido virtutum exercitio male moratas feminas ad bonam frugem reducerent. Assumptas itaque ex Ascetrio S. Joannis Lateranensis observantes Moniales ad S. Annæ Monasterium adduxit, atque in illius parte separata *introduci* fecit. Ea quæ prudenter egerat Patriarcha, approbavit Apostolicis litteris Leo Papa X. ac deinde ut *ad instar dicti Monasterii S. Annæ omnia Monasteria Monialium Conventualia ad debitam regularem observantiam reduceret* dato diplomate die XII. Octobris ejusdem anni MDXIX. apostolica authoritate mandavit. (H) Res cessit e voto, disciplina enim regularis, quæ ex sæculi commercio pene defecerat, ita restituta est, ut etiam Monialibus S. Joannis Lateranensis ad propria Claustra regressis, in constanti religionis officio perduraverit. Ut iis, quas in sancto recte agendi proposito firmaverant, religiosis feminis perenne relinqueret virtutis incitamentum, corpus Venerabilis Virginis Nicolosæ, quod secum in Monasterium S. Annæ detulerant, ibidem reliquerunt in eodem tumulo conditum, in quo Patriarchæ Quirini jussu depositum pridem fuerat, cujus meritorum suffragia valida fuisse apud Deum testantur vetustæ tabellæ votivæ eidem sepulcro affixæ.

In eo quod alte eminebat a terra parieti affixum quievit usque

usque ad annum 1689. cujus nivosa hyems cum aquas usque ad interiora ejusdem tumuli deduxisset, illud inde educere necesse fuit, ne ex nimia humiditate loci mirabilis ejus integritas læderetur. Igitur Joanne Baduario Patriarcha Venetiarum permittente apertum est tumulum, in quo venerandum corpus repertum est adhuc incorruptum, laneis obductum vestibus, quæ ex virgineæ carnis contactu miræ integritatis privilegium attraxerant. Gratias itaque de prodigii constantia Domino agentes eodem reparato sepulcro reposuerunt. Anno vero sæculari MDCC. cum quædam mira circa tumulum accidisse testarentur, ex eo iterum Virgineum corpus educitur, atque supralaudato Patriarcha mandante per triduum maximæ populi invisentis frequentiæ exponitur, tum ligneæ arcæ includitur, pannoque obductum in remota interioris chori parte collocatur.

Antiquum Templum olim ab Eremitanis viris ædificatum & excultum temporis diuturnitate ruinæ proximum erat, quapropter de eo renovando sollicitæ Sanctimoniales primum lapidem anno 1634. die IV. Octobris in fundamentis reponi curarunt, cui insculpta fuit hæc Epigraphes.

D. O. M.

„ Urbano VIII. Francisco Ericio, Federico S. R. E. Card.
„ Cornelio. Gabriella Marcello. P. P. P. P. (*quæ litteræ interpretantur Papa Principe Patriarcha Præfecta*) piorum eleemosinis Gloriam Dei Monialium Beneficium ostentans D.
„ Annæ Monasterio Præsidentes P. P. MDCXXXIV. IV. Non.
„ Octobris.

Argenteum quoque numisma ipsis fundamentis injectum fuit ex una parte effigiem referens puerum Jesum inter Deiparæ ulnas amplexantem his verbis circumductis. *T. Monialium D. Annæ eleemos. a fundam. erectum G. M. P.* ex altera vero parte Divum Marcum Evangelistam & reædificationis tempora exibens: *Franc. Ericio D.* IV. *Non. Octob.* 1636.

Absolutum Templi opus consecravit deinde anno MDCLVIIII. Joannes Franciscus Maurocenus Patriarcha die IV. Julii, ejusque Dedicationis festum quotannis Dominica I. Julii celebrandum fore decrevit, quod marmorea epigraphe significat parieti Ecclesiæ affixa.

„ Joan. Franc. Mauroc. Patr. Ven. Dalmaciæq. Prim. Tem-
„ plum hoc Beatæ Annæ Matri Deiparæ Virginis, & Sancto
„ Benedicto Abb. dicatum solemni ritu consecravit. Anno Salut.
„ MDCLVIIII. Die VI. Julii. Alex. VII. Pont. Max. Joann. Pi-
„ sauro Duc. Venet. Helena Dominici Abbatissa procurante.
„ Festum Dedicationis erit semper Dominica I. ejusdem Mensis.


Marmorea Ecclesiæ altaria præclaris ditantur Sanctorum lipsanis, Sanctorum videlicet Innocentium Bethleemitarum ossibus, atque S. Annæ titularis, S. Mariæ Salome, aliorumque plurium Divorum reliquiis.

Haud longe a Monasterio S. Annæ situm est Asceterium, in quo sub invocatione S. Joachim Patriarchæ degunt devotæ quædam mulieres tertiam Seraphici Ord. regulam profitentes. Hæ ad annum MCCCCXVIII. originem suam referunt, quo anno Elena de Marchis suum condidit Testamentum per Nicolaum Bono Archidiaconum Castellanum, & Notarium die XXVIII. Octob. in publica acta redactum. Eo itaque pia mulier mandavit, ut domus, quæ in Parœcia Cathedralis Ecclesiæ sui juris erant, quatuor Sororibus ex Tertio Ordine Sancti Francisci assumptis cederent in habitationem, quibus etiam ut congrue alerentur, quosdam redditus sibi ex publico officio *Camera degl' imprestiti* debitos statuit esse assignandos; ea conditione adjecta, ut duæ ex ipsarum numero redditus ipsos veluti Commissariæ ex Testamento statutæ perpetuo administrarent. Qua ratione usque ad sæculum XVII. res processerit, ignoratur, anno enim MDCXXX. cum omnes (una tantummodo excepta) sorores eo in loco degentes ex pestifero morbo occubuissent, documenta quoque perierunt. Sola itaque ex violenta morbi sævitie incolumis remansit Dominica de Rubeis, quæ in administrationis consortium sibi sociam assumpsit Andrianam Bullanti, cujus studio, & ope cum nonnullæ aliæ mulieres Religionis habitum assumpsissent extinctum ferme Collegium Deo protegente restituitur.

Perfectiorem inde vivendi regulam anno MDCCXXVII. sibi observandam statuerunt, siquidem cum usque ad ea tempora nullis certis legibus obstrictæ pro suo quæque libito religiose viveret, eo anno in Communitatis unionem se se redegerunt, & suave obedientiæ jugum sponte subeundum sibi decreverunt.

Iis

Iis itaque firmata præsidiis religiosa societas prosperum Deo miserante cursum tenere videbatur, cum novæ tempestates ad eam perdendam repente excitantur. Mulier quædam religiosa ejusdem instituti, cujus nomen dedita libens opera supprimo, cum se ad novum asceterium fundandum vocatam vel crederet, vel sentiret, ut aliquas ad statuti operis communionem aggregaret, cæpit ad hoc Collegium frequens accedere, atque in sororum amicitias opportune insinuare se se, earumque simplicitatem tum obsequiis, tum rei novitate captivare. Ubi vero se suaque consilia in ipsarum mentes irrepsisse cognovit, ipsas hortata est, ut vetustas ædes & ad ruinam vergentes desererent, atque opportuniorem sibi locum deligerent, in quo ipsa Fundatrice & Magistra Domino famularentur. Comuni itaque consilio cum fere omnes assensum rei propositæ præbuissent, una restitit sanctimonialis Maria Rosa Morelli prudentia quidem senior licet junior ætate, quæ mirabili constantia nullis neque minis, neque promissis, nec suasionibus de sententia deduci se passa est, tantumque laudabili animi fortitudine profecit, ut reliquas etiam Domino adjuvante ad sanum ibidem remanendi consilium revocaverit. Hoc autem Divini dispositione consilii factum fuisse dicendum est, siquidem ex periculo eo graviore, quo in speciem blandiore societas emersa multiplicato etiam sororum numero majori in dies sanctimoniæ splendore refulget.



Fr. Jacobus de Fano Ordinis Heremitarum investitur sine proprio *de terra posita in Castello per ipsum empta a Miliana de Puteo.*

A 1242. 11. Junii.

Ex Archivo Monasterii S. Stephani Venetiarum.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo mense Junii Indictione quintadecima Rivoalti. Testificor Ego idem Johannes Pistor Ministerialis Curiæ Palatii, quod die undecima exeunte suprascripti mensis propter preceptum Domini Johannis Teupuli Comitis, absentis tunc & vicem gerentis Dom. Jacobi Teupuli Venetiarum Ducis & per legem Judicum Examinatorum, investivi sine proprio ad nomen Fratris Jacobi de Fano de ordine Heremitarum de Bra-

Bramis (a) nomine Ordinis sui cunctam & super totam unam petiam de terra vacua, positam in confinio Sancti Petri de Castello, quæ firmat ab uno suo capite in rivo de Castello, unde habet introitum & exitum, junctorium & jaglaciones; & ab alio suo capite firmat in palude unde habet similiter introitus & exitus junctorium & jaglaciones; ab alio suo latere firmat in canali de Castello unde habet introitum & exitum, junctorium & jaglaciones, & ab alio suo latere firmat in una petia de terra vacua, quæ est Rismondæ relictæ Marci Bembo, matris Presbyteri Pascalis de confinio S. Trinitatis propter unam venditionem suprascriptæ terræ factam anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, mense Junii die undecima intrante indictione quintadecima Rivoalti, quam fecerat Miliana relicta Petri de Puteo de confinio S. Martini, olim Gemini, cum suis successoribus, quia in Dei & Christi nomine dedit, vendidit, atque transactavit suprascripto Fr. Jacobo de Fano de Ordine Heremitarum de Bramis, & ejus successoribus nomine Ordinis sui & in perpetuum possidendam cunctam & super totam supradictam, & predesignatam petiam de terra vacua positam in confinio Sancti Petri de Castello pro libris denariorum Venetorum viginti sex, quas ab eo recepit, & cætera ut in ea legitur, ad quorum justificationem nos quoque Venerius Cauco & Constantius Basilius ambo de confinio S. Basilii quod nos tunc ad Curiam fuimus, quando suprascriptus Dom. Johannes Teupulus Comes Jacobi Teupoli filius & vicem gerens suprascripti Dom. Ducis per legem suprascriptorum Judicum Examinatorum suprascriptam investitionem sine proprio poni precepit, & cum eodem ministeriali ibi fuimus, quando ipse precepit preceptum suprascripti Dom. Johannis Teupuli Comitis Jacobi Teupuli filii, & vicem gerentis suprascripti Dom. Ducis, & per legem dictorum Judicum Examinatorum posuit suprascriptam investitionem sine proprio ad nomen suprascripti Fratris Jacobi de Fano de Ordine Heremitarum de Bramis nomine Ordinis sui super cuncta & super tota supradicta & predesignata proprietate terræ, & casæ coopertæ & discoopertæ propter suprascriptam venditionis & securitatis cartam, & hoc per testimonium dicimus. Signum suprascriptorum Johannis Pistoris Ministerialis, & Venerii Cauco, & Constantis Basilii Testium, qui hoc rogaverunt fieri.

Ego Jacobus Barozi Judex Examinatorum Juratus.
Ego Petrus de Bonovicino Presb. & Not. complevi, & roboravi.

(a) Fortasse scribendum erat *de Brittinis*, nam nulla inter Augustiniani Ordinis Congregationes apparet tali nuncupatione *de Bramis* appellata.



Fr. Ja-

Fr. Jacobus de Fano Ordinis Heremitarum investitur ad proprium de terra posita in Castello per ipsum empta a Miliana de Puteo.

1243. 24. Augusti.

Ex Archivo Monasterii S. Stephani Venetiarum.

IN nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quadragesimo tertio Mense Augusti, die octava exeunte Indictione prima Rivoalti. Testificor Ego Vivianus Sacca Ministerialis Curiæ Palatii, quod die supradicto prædicti mensis propter præceptum Dom. nostri Jacobi Teupolo incliti Venetiarum Ducis, & per legem Judicum Examinatorum, investivi ad proprium ad nomen Fratris Jacobi de Fano de Ordine Heremitarum de Bramis nomine Ordinis sui cunctam & super totam unam petiam de terra vacua positam in confinio S. Petri de Castello, quæ firmat ab uno suo capite in rivo de Castello, unde habet introitum & exitum, junctorium, & jaglaciones, & ab alio suo capite firmat in palude, unde habet similiter introitum & exitum, junctorium & jaglaciones; ab uno suo latere firmat in canali de Castello unde habet introitum & exitum, junctorium & jaglaciones; & ab alio suo latere firmat in una petia de terra vacua, quæ est Rismonda relictæ Marci Bembo, matris Presbiteri Pascalis de confinio S. Trinitatis propter unam venditionis & securitatis cartam factam anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, mense Junii die duodecima intrante Indictione quintadecima Rivoalti, quam fecerat Miliana relicta Petri da Puteo de confinio Sancti Martini de Geminis cum suis successoribus, quia in Dei & Christi nomine dedit, vendidit, atque transactavit suprascripto Fratri Jacobo de Fano de Ordine Heremitarum de Bramis, & ejus successoribus, nomine Ordinis sui in perpetuum possidendam cunctam & super totam supradictam & predesignatam petiam de terra vacua, positam in confinio S. Petri de Castello pro libris denariorum Venetorum viginti sex quas ab eo recepit, & cetera, ut in ea legitur; ad hoc testificamur & nos quoque Rainerius Justo, & Simon Justo, ambo de jamdicto confinio S. Petri de Castello, quod nos tunc ad Curiam fuimus, quando suprascriptus Dominus noster Dux per legem suprascriptorum Judicum Examinatorum suprascriptam investitionem ad proprium poni precepit & cum eodem ministeriali fuimus, quando ipse propter preceptum suprascripti D. nostri Ducis & per legem dictorum Judicum Examinatorum posuit suprascriptam investitionem ad proprium ad nomen suprascripti Fratris Jacobi de Fano de Ordine Heremitarum de Bramis nomine Ordinis sui super cuncta & super tota supradicta & predesignata proprietate terræ, & casæ coopertæ & discoopertæ propter supradictam venditionis, & securitatis cartam; Et hoc pro testimonio dicimus. Signum supradictorum Viviani Sacca Ministerialis, & Rainerii, & Simonis, qui hoc rogaverunt fieri.

Ego Philipus da Molino Judex & Examinator juratus.
Ego Joannes Dauro Judex & Examinator juratus.

Ego Marchus Grilionus Presbyter & Not. complevi, & roboravi.

Fr. Ja-

Bramis (a) nomine Ordinis sui cunctam & super totam unam petiam de terra vacua, positam in confinio Sancti Petri de Castello, quæ firmat ab uno suo capite in rivo de Castello, unde habet introitum & exitum, junctorium & jaglaciones; & ab alio suo capite firmat in palude unde habet similiter introitus & exitus junctorium & jaglaciones; ab alio suo latere firmat in canali de Castello unde habet introitum & exitum, junctorium & jaglaciones, & ab alio suo latere firmat in una petia de terra vacua, quæ est Rismondæ relictæ Marci Bembo, matris Presbyteri Pascalis de confinio S. Trinitatis propter unam venditionem suprascriptæ terræ factam anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, mense Junii die undecima intrante indictione quintadecima Rivoalti, quam fecerat Miliana relicta Petri de Puteo de confinio S. Martini, olim Gemini, cum suis successoribus, quia in Dei & Christi nomine dedit, vendidit, atque transactavit suprascripto Fr. Jacobo de Fano de Ordine Heremitarum de Bramis, & ejus successoribus nomine Ordinis sui & in perpetuum possidendam cunctam & super totam supradictam, & predesignatam petiam de terra vacua positam in confinio Sancti Petri de Castello pro libris denariorum Venetorum viginti sex, quas ab eo recepit, & cætera ut in ea legitur, ad quorum justificationem nos quoque Venerius Cauco & Constantius Basilius ambo de confinio S. Basilii quod nos tunc ad Curiam fuimus, quando suprascriptus Dom. Johannes Teupulus Comes Jacobi Teupoli filius & vicem gerens suprascripti Dom. Ducis per legem suprascriptorum Judicum Examinatorum suprascriptam investitionem sine proprio poni precepit, & cum eodem ministeriali ibi fuimus, quando ipse precepit preceptum suprascripti Dom. Johannis Teupuli Comitis Jacobi Teupuli filii, & vicem gerentis suprascripti Dom. Ducis, & per legem dictorum Judicum Examinatorum posuit suprascriptam investitionem sine proprio ad nomen suprascripti Fratris Jacobi de Fano de Ordine Heremitarum de Bramis nomine Ordinis sui super cuncta & super tota supradicta & predesignata proprietate terræ, & casæ coopertæ & discoopertæ propter suprascriptam venditionis & securitatis cartam, & hoc per testimonium dicimus. Signum suprascriptorum Johannis Pistoris Ministerialis, & Venerii Cauco, & Constantis Basilii Testium, qui hoc rogaverunt fieri.

Ego Jacobus Barozi Judex Examinatorum Juratus.
Ego Petrus de Bonovicino Presb. & Not. complevi, & roboravi.

(a) Fortasse scribendum erat *de Brittinis*, nam nulla inter Augustiniani Ordinis Congregationes apparet tali nuncupatione *de Bramis* appellata.



Fr. Ja-

Fr. Jacobus de Fano Ordinis Heremitarum investitur ad proprium de terra posita in Castello per ipsum empta a Miliana de Puteo.

1243. 24. Augusti.

Ex Archivo Monasterii S. Stephani Venetiarum.

IN nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quadragesimo tertio Mense Augusti, die octava exeunte Indictione prima Rivoalti. Testificor Ego Vivianus Sacca Ministerialis Curiæ Palatii, quod die supradicto prædicti mensis propter præceptum Dom. nostri Jacobi Teupolo incliti Venetiarum Ducis, & per legem Judicum Examinatorum, investivi ad proprium ad nomen Fratris Jacobi de Fano de Ordine Heremitarum de Bramis nomine Ordinis sui cunctam & super totam unam petiam de terra vacua positam in confinio S. Petri de Castello, quæ firmat ab uno suo capite in rivo de Castello, unde habet introitum & exitum, junctorium, & jaglaciones, & ab alio suo capite firmat in palude, unde habet similiter introitum & exitum, junctorium & jaglaciones; ab uno suo latere firmat in canali de Castello unde habet introitum & exitum, junctorium & jaglaciones; & ab alio suo latere firmat in una petia de terra vacua, quæ est Rismondæ relictæ Marci Bembo, matris Presbiteri Pascalis de confinio S. Trinitatis propter unam venditionis & securitatis cartam factam anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, mense Junii die duodecima intrante Indictione quintadecima Rivoalti, quam fecerat Miliana relicta Petri da Puteo de confinio Sancti Martini de Geminis cum suis successoribus, quia in Dei & Christi nomine dedit, vendidit, atque transactavit suprascripto Fratri Jacobo de Fano de Ordine Heremitarum de Bramis, & ejus successoribus, nomine Ordinis sui in perpetuum possidendam cunctam & super totam supradictam & predesignatam petiam de terra vacua, positam in confinio S. Petri de Castello pro libris denariorum Venetorum viginti sex quas ab eo recepit, & cetera, ut in ea legitur; ad hoc testificamur & nos quoque Rainerius Justo, & Simon Justo, ambo de jamdicto confinio S. Petri de Castello, quod nos tunc ad Curiam fuimus, quando suprascriptus Dominus noster Dux per legem suprascriptorum Judicum Examinatorum suprascriptam investitionem ad proprium poni precepit & cum eodem ministeriali fuimus, quando ipse propter preceptum suprascripti D. nostri Ducis & per legem dictorum Judicum Examinatorum posuit suprascriptam investitionem ad proprium ad nomen suprascripti Fratris Jacobi de Fano de Ordine Heremitarum de Bramis nomine Ordinis sui super cuncta & super tota supradicta & predesignata proprietate terræ, & casæ coopertæ & discoopertæ propter supradictam venditionis, & securitatis cartam; Et hoc pro testimonio dicimus. Signum supradictorum Viviani Sacca Ministerialis, & Rainerii, & Simonis, qui hoc rogaverunt fieri.

Ego Philipus da Molino Judex & Examinator juratus.
Ego Joannes Dauro Judex & Examinator juratus.

Ego Marchus Grilionus Presbyter & Not. complevi, & roboravi.

Fr. Ja-

Fr. Jacobus de Fano Ordinis. Heremitarum immittitur in possessionem cujusdam terræ positæ in Castello ab ipso emptæ a Resmunda Bembo.

B 1243. 24. Augusti.

Ex Archivo Monasterii S. Stephani Venetiarum.

IN Nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quadragesimo tertio mense Augusti, die octava exeunte, Indictione prima. Rivoalti. Testificor Ego Vivianus Sacca Ministerialis Curiæ Palatii, quod die supradicto mensis, propter præceptum Dom. nostri Jacobi Teupulo incliti Venetiarum Ducis, & per legem Judicum Examinatorum investivi ad proprium ad nomen Fratris Jacobi de Fano de Ordine Heremitarum, & nunc moram facientis in confinio S. Petri de Castello, cunctam & super totam unam petiam de terra vacua positam in confinio jamdicto S. Petri de Castello secundum quod firmatur unum suum caput in calle, quæ discurrit juxta rivum dicti S. Petri de Castello, unde habet introitum & exitum, junctorium & jaglationem; aliud suum caput firmat in palude, unde habet introitum & exitum, junctorium & jaglationes, ab unoquoque suo latere firmat in Paulo Belli, & ab alio suo latere firmat in una petia de terra vacua, quæ fuit Cataldi Mauri propter unam videlicet venditionis, & securitatis cartam factam anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo mense Novembris, die quarto exeunte Indictione quintadecima Rivoalti, quam Resmunda relicta Marci Bembo, habitans in confinio S. Trinitatis cum suis successoribus fecit sibi suprascripto Fr. Jacobo de Fano de Ordine Heremitarum, & nunc moram facienti in confinio S. Petri de Castello, & suis successoribus, per quam ei dedit, vendidit, atque transfactavit cunctam, & super totam unam suam petiam de terra vacua, positam in confinio jamdicto S. Petri de Castello pro libris denariorum Venetorum triginta duabus, ut in ea legitur &c. Ad hoc testificamur, & nos quoque Rainerius Justo, & Simon Justo, ambo de jamdicto confinio S. Petri de Castello, quod nos tunc ad Curiam fuimus, quando suprascriptus Dominus noster Dux per legem Judicum Examinatorum precepit supradictam investitionem ad proprium poni, & cum eodem supradicto Ministeriali ibi fuimus, quando ipse propter præceptum supradicti Dom. Ducis & per legem Judicum Examinatorum posuit supradictam investitionem ad proprium ad nomen supradicti Fratris Jacobi de Fano de Ordine Heremitarum super cunctam & super totam supradictam & predesignatam petiam de terra vacua propter supradictam venditionis & securitatis cartam. Hoc pro testimonio dicimus. Signum supradictorum Viviani Sacca Ministerialis & Rainerii Justo, atque Simonis, qui hoc rogaverunt fieri.

Ego Joannes Dauro Judex Examinatorum.
Ego Philippus da Molino Judex Examinatorum.

Ego Marcus Grilionus Presb. & Not. complevi, & roboravi.

Bar-

Bartholomæus Quirinus Episcopus Castellanus Fratribus Heremitanis concedit facultatem vendendi Monasterium Sanctæ Annæ de Castello.

C 1294......

Ex Archivo Sancti Stephani Venetiarum.

IN Nomine Domini Dei Eterni. Anno ejusdem Nativitatis millesimo ducentesimo nonagesimo quarto Indictione VII. ... Venetiis in Episcopali Palatio Castellanensi, præsentibus reverendis & nobilibus viris Dominis Amadeo..... Michaele Grezo Plebano Sancti Barnabæ, Marino Pizolano Pleb. S. Stephani Confessoris (*a*), Homobono..... Presbiteris Benvenuto & Lazoro Ecclesiæ S. Joannis Confessoris de Rivoalto, Joanne Barbarico, Thoma Mignano.... Nicolao Faletro, Marino Superanzo S. Samuelis, Marco Superanzo dictæ Contrate, Marco Dauro S. Salvatoris, Thoma Pollano Procuratore Ecclesiæ Sancti Angeli, Michaele Balduino, Raphaele Theodoro, & aliis. Cum olim Venerabilis Pater Dom. Petrus (*b*) Dei gratia Episcopus Castellanensis Fratribus Heremitanis Ordinis S. Augustini sub quibusdam pactionibus & conditionibus concessisset, ut locum sive Monasterium Ecclesiam, & Cimiterium haberent in sua Parochia Castellanensi sub vocabulo Beatarum Annæ, & Catherinæ & iidem Fratres seu successores eorum præsentis temporis videlicet religiosi & reverendi viri Fr. Theodericus de Ferraria Prior Provincialis Ordinis Heremitarum in Marchia Tarvisina Ordinis S. Augustini, Fr. Albertinus Prior loci S. Mariæ de Nazareth Diæc. Castellanæ, & Fratres Guilelmus Antonius & Crescimbene de Ferraria, Joannes Longo, Pascalinus Bertucius, & Jacobus Baldugno de Venetiis ejusdem Ordinis pro se & aliis suis Confratribus dicti Conventus de speciali concessione Ven. Patris Dom. Bartholomæi Querini Secundi (*c*) Miseratione divina Episcopi Castellani & voluntate Plebani & Capituli Ecclesiæ S. Angeli se ad dictam Parochiam S. Angeli transtulissent, & ibidem locum sub vocabulo S. Stephani Prothomartyris construxissent, seu construere de novo intendant, ac cum multa instantia petiissent ab eo... prædictum locum Sanctarum Annæ & Catharinæ, de suo beneplacito, consensu & auctoritate libere possent alienare seu vendere, & obligare, prefatus Dom. Episcopus pietatis & religionis intuitu pro remedio animæ suæ ac propter specialem affectum, quem habuit & habet ad Ordinem eorum, nec non intuitu personarum superius expressarum volens gratiæ gratiam addere, præsente & consentiente suo capitulo Castellanensi concessit licentiam Prioribus & Fratribus memoratis vendendi & obligandi, vel alio quocunque titulo alienandi talibus personis dumtaxat honestis, & bonæ conversationis, quæ pleno jure subjaceant Episcopo & Ecclesiæ Castellanensi, sicut alia Monasteria, sive loca sita in Diæcesi Castellanensi, quæ nullo privilegio sunt exempta. Et si aliter eos dictum Monasterium, sive locum alienare contingeret, quam sit dictum, contractus ex nunc sit irritus ipso jure. Et licitum sit Domino

(a) Marinus Pizolanus ex authoritate hujus documenti reponendus erit in serie Plebanorum Ecclesiæ S. Stephani Confessoris, quem (nondum venerat ad mei notitiam monumentum hoc) ex inscitia prætermisi.

(b) Petrus Pinus Episc. Castellanus.

(c) Bartholomæus Qurinus II. Episc. Castellanus anno 1294. jam sedem Castellanam ascenderat, ut patet ex hoc documento.

mino Episcopo & Ecclesiæ Castellanæ sua auctoritate dictum locum, & Ecclesiam cum suis pertinentiis occupare & apprehendere; omnesque commorantes, & stantes, de dicto loco expellere. Ita etiam quod non possint nec debeant stare vel habitare in dicto loco ultra quatuor Fratres cum servientibus sibi necessariis, qui stent ibi, non ut faciant Conventum seu Collegium, sed ut celebrent solummodo Divinum Officium, & sint de Conventu loci Sancti Stephani memorati. Sed nec locum ipsum omnino deserant, quominus ibidem divina celebrent Officia, sed nec confessiones alicujus Personæ de dicta Parochia Castellanensi audire præsumant Fratres, qui in dicto loco, sive Monasterio morabuntur.

Ego Johannes filius q. Raymondi Emenardi Provincialis Sacri Palatii, & dicti Ven. Patris Domini Bartholomæi Quirini Secundi Episcopi Castellanensis publicus Not. interfui, & de voluntate Partium ejus mandato scripsi, & roboravi.



Abbatissa & Monasterium Sanctæ Annæ de Castello cedunt Fratribus S. Stephani quascunque dimissorias concessas Monasterio Sanctæ Annæ usque ad diem transmigrationis ejusdem.

D 1305. 28. Junii.

Ex Archivo Monasterii S. Stephani Venetiarum.

IN Christi nomine amen. Die Lunæ vigesimo octavo mensis Junii Venetiis in Monasterio S. Annæ Diœcesis Castellanæ. In Ecclesia ipsius Monasterii ante Altare majus, præsentibus Dominis Marco de Venetiis Archipresbytero Castellano, Rolandino Archipræsbytero Plebis de Pontil. Bononiensis Diœcesis, & Præsb. Johanne de Alberigo S. Martialis de Venetiis Diœcesis Castellanæ & aliis pluribus. Religiosæ Dominæ Maria Zoto Abbatissa, Maria Calbo Priora, Anna Nanni, Maria Cortesia, & Mayssante de Molis omnes Moniales predicti Monasterii S. Annæ Diœcesis Castellanæ, totumque Capitulum ipsius Monasterii in unum ad hoc specialiter congregatæ, & constitutæ, coram Venerabili Patre Domino Fratre Ramberto Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Castellano, præsente etiam Dom. Fr. Johanne de Ascolis Priore Fratrum Conventus Monasterii S. Stephani Heremitarum de Venetiis Diœcesis Castellanæ. Notum fecerunt universis præsentem paginam inspecturis, & specialiter eidem Priori suprascripto Fratrum Heremitarum de Venetiis, & suo Conventui Diœcesis Castellanæ & suis successoribus, quod volebant & consentiebant..... & expresse quod omnes dimissoriæ quocunque modo dimissæ eidem Monasterio S. Annæ usque ad diem transmutationis, & translationis ejusdem Monasterii S. Annæ (a) per antecessorem ejusdem Prioris eisdem Monialibus canonice factæ esse debeant cum omni plenitudine juris supradictorum Prioris, & Conventus Monasterii S. Stephani Diœcesis Castellanæ, qui quon-

(a) *Translatio dicti loci facta fuit in Moniales in MCCLXXXXVII. Indict. X. die Dominico IV. intrante mense Augusti, ut ex instrumento translationis.* Hæc adnotata visuntur in calce autographi superius allati instrumenti.

quondam in dicto Monasterio S. Annæ pacifice ac regulariter inhabitarunt, & quod eas petere possint coram quocunque Judice tam Ecclesiastico, quam Civili, & exigere & habere sine dictarum Abbatissæ, & Monialium, & alicujus alterius personæ contradictione non requisitis, & non citatis supradictis Abbatissa, & Monialibus ad hanc vel ad has dimissorias petendas & exigendas, modo prædicto asserentes, & dicentes supradictæ Abbatissa & Moniales quod in ipsis dimissoriis nullum jus habebant, nec habere volebant propter quamdam Conventionem inter supradictum Priorem & suum Conventum ex una parte, & ipsas Abbatissam, & Moniales ex altera, olim factam & habitam; Insuper recognoscentes dictæ Abbatissa, & Moniales, quod aliquod jus eisdem seu supradicto Monasterio S. Annæ ex dictis dimissoriis ante compositionem relictis, non videbatur esse acquisitam, & hæc quidem omnia supradicta volebant & expresse approbabant in presentia antedicti Ven. Patris Dom. Fr. Ramberti Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Castellani, qui predicta ratificavit, & auctoritatem suam quantum in se fuit, actu continuato interposuit. Anno Domini millesimo trecentesimo quinto Indictione tertia.

Ego Bonifacius de Mercato novo Imperiali auctoritate & Episcopalis Curiæ Castellanensis Not. prædictis omnibus interfui, & ea rogatus scripsi.



Nicolaus de Mutasariis Vicarius Castellanus sententiam quandam latam ab Accursio, olim Vicario Castellano ad favorem Fratrum Heremitarum contra Moniales Sanctæ Annæ super quibusdam legatis decernit non debere exequutioni mandari.

E   1331. 30. Octobris.

Ex Autographo in Archivo S. Stephani Venetiarum.

IN Christi nomine Amen. Reverendus, & Sapiens Vir Dominus Nicolaus de Mutasaris Decretorum doctor Ven. Patris & Dom. Dom. Angeli Delphyno Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Castellani Vicarius infrascriptam in scriptis, sedens pro tribunali, sententiam tulit, & promulgavit in hæc verba. Cum coram Ven. Viro Domino Accursio Præposito Pistoriensi, Vener. Patris, & Dom. D. Angeli Delphyno Dei & Apostolica gratia Episcopi Castellani Vicario in spiritualibus Generali, quæstio super quibusdam dimissoriis sive legatis, & executione cujusdam sententiæ super eis latæ verteretur inter Fr. Franciscum de Venetiis Ordinis Fratrum Heremitarum syndicum, & syndicario nomine Prioris, Fratrum, & Conventus, ac loci S. Stephani Fratrum Heremitarum de Venetiis Castellanæ Diæcesis, & Fr. Marcum Lectorem ejusdem loci, Prioris, Fratrum, & Conventus prædictorum etiam Syndicum, agentes ex parte una, & Præsbyterum Petrum de la Tosa, Mansionarium Ecclesiæ Castellanæ, & f. Gratianum q. Luciani de Venetiis, Syndicos, & Procuratores Dominarum Abbatissæ, Monialium Monasterii & Conventus loci S. Annæ de Venetiis Castellanæ Diæcesis, se ex parte altera defendentes; per dictum Fr. Franciscum porrectus fuit libellus infrascripti tenoris. In Dei nomine Amen. Coram vobis Discreto & Rev. Viro Domino Accursio Præposito Pistoriensi, in spiritualibus Vicario Generali Rev. in Christo

cto Patris Dom. Angeli Delphyno Dei, & Apostolica gratia Episcopi Castellani, peto ego Fr. Franciscus de Venetiis Syndicus, & Procurator Syndicario & procuratorio nomine religiosorum Virorum Dominorum Prioris Fratrum Heremitarum Capituli & Conventus Sancti Stephani Fr. Heremitarum de Venetiis per vos juris remediis mandari executioni quamdam sententiam, latam per vos tunc Vicarium Rev. Patris Domini Jacobi, tunc eadem gratia Castellani electi, pro parte Dominorum Prioris, Fratrum Capituli, & Conventus contra religiosas Dominas Abbatissam, Moniales, Capitulum & Conventum Monasterii S. Annæ de Venetiis prope Castellum, seu earum Syndicum & Procuratorem, scriptum manu Domini Bonifacii de Mercatonovo, tunc Episcopalis Curiæ, & Actorum publici & authentici Notarii sub annis Domini millesimo trecentesimo sextodecimo, Indictione quartadecima, die Lunæ quartodecimo mensis Junii ad observandum dictis Dominis Priori, Fratribus, Capitulo, & Conventui conventionem pactorum in dicta sententia & instrumento in ea contentorum, in dimissoriis, de quibus ibidem habetur mentio &c. ac statuto termino partibus ipsis præsentibus ad hodiernum diem & horam ad hanc nostram sententiam diffinitivam audiendam, & ipsis partibus presentibus scilicet dicto Fr. Marco, & Gratiano nominibus antedictis.

Christi nomine invocato, pro Tribunali sedentes, sententialiter in his præsentibus scriptis dicimus, pronuntiamus, & sententiamus, sententiam quondam latam per dictum Dominum Accursium, tunc Ven. Patris Dom. Jacobi Episcopi Castellani electi Vicarium Generalem, & per dictum Fr. Francicum syndicario nomine quo supra productam in presenti judicio non debere executioni mandari dictis Fr. Marco, & Fr. Francisco syndicariis nominibus, quibus supra, nec non Priori, Fratribus, ac Conventui Fratrum Heremitarum de Venetiis super petitione sua perpetuum silentium imponentes &c.

Lecta, lata, data, & pronunciata fuit supradicta sententia per dictum Ven. Virum Dom. Nicolaum de Mutasaris Decretorum doctorem, Vicarium suprascriptum pro Tribunali sedentem in loco juris Palatii Episcopalis Castellani Venetiarum presentibus &c....... sub anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo primo, quartadecima Indictione, die penultimo mensis Octob.

Quam sententiam dictus Fr. Marcus syndicario nomine dicit esse nullam &c. & ab ea tanquam iniqua sententia appellat ad sanctiss. Patrem & D.D. Johannem Papam XXII. Divina providentia Sacrosanctæ Ecclesiæ Summum Pontificem.

Ego Bonaventura de Frabaldis, Civis Paduanus, Imperiali auctoritate Not. publicus, & Episcopalis Curiæ Castellanæ Scriba & Officialis suprascriptis sententiæ pronunciationi, appellationi, delationi, & aliis suprascriptis interfui & rogatus scribere scripsi.

Judices Curiæ Procuratorum decernunt nonnulla bona inter Monasterium S. Stephani Fratrum Heremitarum, & Monasterium Monialium S. Annæ esse dividenda.

F **1343. 6. Maii.**

Ex Autographo in Archivo S. Stephani Venetiarum.

In nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo quadragesimo tertio mensis Madii die sexto intrante, Indictione undecima, Rivoalti. Testificamur nos Victor Cosanarius & Fran-

Franciscus specialis ambo Præcones, quod die eodem eramus in Curia coram nostrorum Judicum Procuratorum præsentia, qui de mandato Dom. nostri Andreæ Dandulo, Incliti Ducis Venetiarum ibidem ante se ad placita tenenda sedebant, quando Nobilis Vir Betinus Contarenus, Patronus Arsenatus Communis Venetiarum de confinio S. Martini, Procurator & procuratorio nomine Monasterii Monialium, & Conventus S. Annæ ex una parte, & Fr. Joannes de Campolongo Procurator & procuratorio nomine Monasterii, & Conventus Fratrum Heremitarum S. Stephani de Venetiis ex altera parte, de voluntate partium placitabant ibidem cum Nobile Viro Johanne Delphino Advocatore Nobilium Virorum Dominorum Benedicti de Molino, & Andreasii Mauroceni Procuratorum S. Marci super Commissariis de citra canale, constitutorum Commissariorum infrascriptorum Dominici Trayanati olim de confinio S. Mariæ Formosæ, & Nadaliæ relictæ Marci Vitalis olim de confinio S. Sophiæ, tam de dimissoria per ipsum Dominicum Trayanati dicto Monasterio S. Annæ dimissa &c. Hæc itaque audientes & intelligentes nostri predicti Judices Procuratorum; Viso & diligentes inspecto puncto Testamenti dictæ Nadaliæ &c. & habentes clare & manifeste, quod dicta Nadalia sepulta est in dicto Monasterio S. Annæ, & habentes clare quod Fratres S. Annæ non amplius in ipso Monasterio commorantur, sed in ipso commorantur dictæ Moniales, & viso ac diligenter inspecto suprascripto altero puncto Testamenti dicti Dominici Trayanati, & habentes clare & manifeste, quod tunc temporis, quando dictum Legatum factum fuit, Fratres Heremitani prædicti in dicto Monasterio S. Annæ commorabantur, licet nunc sint Fr. S. Stephani Heremitarum. Et audita contentatione dicti Fr. Joannis de Campo longo Procuratoris &c. dicti Monasterii & Conventus Fratrum Heremitarum, & audita & intellecta etiam contentatione dicti Dom. Betini Contareni Procuratoris &c. dictarum Monialium, & Monasterii Monialium S. Annæ &c. ut dictæ questioni finis debitus imponatur per sententiam, laudum, & arbitrium per justitiam & suum Officium sententiando dixerunt, quod medietatem dictorum duorum legatorum factorum dictis Fratribus S. Annæ & Monasterio S. Annæ habeat ipsum Monasterium S. Annæ omni anno: & alteram medietatem habeat dictum Monasterium S. Stephani Fratrum Heremitarum omni anno secundum formam, punctum, & tenorem dictorum Testamentorum. Dantes eidem Monasterio seu Monialibus S. Annæ & ipso Monasterio, seu Fratribus S. Stephani Fratrum Heremitarum pro medietate ad intromittendum omnia bona & havere (a) dictarum commissariarum.

Ego Johannes Julianus Judex Procuratorum m. m. ss.
Ego Gazanus Marcello Judex Procuratorum m. m. ss.

Ego Victor Gafaro Ecclesiæ S. Mariæ Matris Domini Preb. Pleb. Not. complevi, & roboravi.

(a) Vox *havere* significat possessionem bonorum.

Petrus

Petrus Cardinalis Riarius Apostolicæ Sedis Legatus, authoritate sibi a Sixto Papa IV. concessa nonnullis Monasterii Sanctæ Annæ Sanctimonialibus indulget, ut ad domum parentum suorum cum honesta comitiva, quandocumque eis placuerit transferri se possint.

G 1473. 1. Octobris.

Ex Autographo in Monasterio S. Michaelis de Muriano.

PEtrus Miseratione Divina titulo S. Sixti Presb. Cardinalis Patriarcha Constantinopolitanus Perusii, Tusciæ, Lombardiæ ac Venetiarum &c. Apostolicæ Sedis Legatus. Dilectis nobis in Christo Isabettæ Maripetro, Malgaritæ Vido, & Claræ Marcello, cuilibet de per se & simul Monialibus Monasterii S. Annæ nobilibus de Venetiis Ordinis S. Benedicti Salutem ac sinceram in Domino caritatem. Devotis meritis vestræ caritatis inducimur, ut vos favoribus prosequamur opportunis. Exhibita siquidem nuper pro parte nobis vestra petitio continebat, quod propter debilem vestrarum complexionem, non nimiamque sanitatem ob aeris lesionem, qui propter assiduitatem qualitatibus vestris summopere inimicus existit, saluti vestræ accipiendæ consulere valeatis, nec non recreationis, ac sanitatis gratia, cum una, vel duabus, aut pluribus Monialibus dicti Monasterii pro vestra societate ad domum parentum, vel fratrum, aut etiam conjunctorum vestrorum vos conferre possitis semel aut bis vel pluries in anno & quotiens opportunum fuerit ut reliquo tempore expeditius, ac melius Domino servire valeatis concedere dignaremur. Nos igitur supplicationibus vestris hac in parte inclinati ut exire possitis dictum Monasterium cum una, vel duabus, aut pluribus Monialibus dicti Monasterii pro vestra societate honesta comitiva ad domum parentum aut fratrum vel conjunctorum vestrorum vos transferre semel aut bis, vel pluries in anno & quotiens opportunum fuerit absque eo quod a quoquam Superiore impediri seu retardari possitis licentiaque ad hæc non petita nec obtenta exire libere & licite absque incursu alicujus censuræ vel penæ valeatis auctoritate Apostolica cujus legationis fungimur officio, constitutionibus, & ordinationibus apostolicis aut sinodalibus statutis, & consuetudinibus dictorum vestri Monasterii, & Ordinis, quibus quo ad effectum præsentium derogamus, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus harum serie de spetialis dono gratiæ indulgemus. In quorum fidem has nostras litteras fieri fecimus nostrique sigilli jussimus appensione communiri.

Datum Venetiis die prima Octobris MCCCCLXXIII. Indictione VI. Tempore Pontificatus SS. in Christo Patris, & D. N. Sisti Divina Providentia Papæ IV. anno III.

In Nomine Domini Amen. Noverint universi & singuli hoc presens publicum transumpti instrumentum inspecturi, lecturi, & audituri, Quod Nos Johannes Aloisius de Tuscanis Subdiaconus Mediolanensis utriusque juris doctor Dom. Nostri Papæ Capellarius ipsiusque & ejus Camerarii; necnon curiæ causarum cameræ Apostolicæ generalis auditor. Ad religiosarum Dominarum Ysabettæ Maripetri, Malgaritæ Vido, & Claræ Marcello Nobilium Venetorum Monialium Monasterii S. Annæ Ordinis S. Benedicti instantiam & requisitionem litteras Apostolicas Sanctissimi in Christo Patris & Dom. Nostri Dom. Sixti Divina providentia Papæ IV. vera bulla plumbea cum filis cericeis rubei croceicei-

eique coloris impendenti bullatas, sanas, & integras infrascriptas alias transsumptas, & exemplatas transsumi & exemplari ac in publicam transsumpti formam redigi mandavimus nostramque ordinariam, & dictæ curiæ auctoritatem, ut moris est, interposuimus pariter & decretum. Quarum quidem litterarum Apostolicarum tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis. Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Licet ea quæ de nostra auctoritate rite fiunt plenam obtineant firmitatem, tamen ille interdum nostri immunimus robur adiiciamus, ut eo firmius illibatam persistant quo magis nostro fuerit præsidio communita. Dudum siquidem dilectum filium Petrum titulo S. Sixti Præsbyterum Cardinalem in Perusina & nonnullis aliis nostris primo & deinde in Venetiarum, Mediolanensi, & Florentina ac universis Civitatibus terris & locis temporali dominio. Dilectorum filiorum Ducis & Dominii Venetorum ac Ducis Mediolani, & populi Florentino subjectis Legatum de latere destinavimus sibique nonnulla tunc expressa faciendi, gerendi, & exercendi infra limites legationum hujusmodi tam per litteras etiam in forma brevis, quam verbo facultatem concessimus prout in illis plenius continetur. Cum autem sicut postmodum accepimus præfatus Cardinalis & legatus etiam antequam limites dictarum legacionum ingrederetur quamplura & nonnullas causas etiam appellationum ad nos interpositarum delegaverit, & delegatas per nos advocaverit ac illis commiserit audiendas, & fine debito terminandas vacantibus Monasteriis etiam fructus, redditus, & proventus ducentorum Florenorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum excedentibus de personis ydoneis providerit, & dignitates personatus administrationes, & officia, aliaque beneficia etiam de jure patronatus laicorum vacantia cum dicti juri patronatus derogatione contulerit, & illorum aliquam & Monasteria prædicta commandaverit invicem ac aliis univerit, & jam factæ uniones, annexiones, & incorporationes dissolverit illa etiam suppressa & extincta in pristinum statum reposuerit, & de illis providerit, ac cum conjunctis. tercio & quarto consanguinitatis & quovis etiam secundo copula non secuta affinitatis gradibus, & spirituali cognatione conjunctis ac impeditis impedimento publicæ honestatis justiciæ, & qui per adulterium poluerant ut inter se matrimonialiter copulari & in contractis per eos matrimoniis etiam scienter cum eorum absolucione. Nec non super natalium & incubrorum ac ætatis defectibus irregularitatibus etiam ex homicidio commisso provenientibus ad ordines etiam in altaris ministerio & beneficia quæcunque, & cum diversis personis etiam religiosis super pluritate beneficiorum insimul obtinendorum dispensaverit tam mendicantibus, quam aliorum ordinum professoribus ad illos etiam non mendicantium ordines transeundi & beneficia ecclesiastica transeundi vel non recipiendi, & retinendi nec non Monialibus eorum Monasteria ex racionabili causa exeundi, & personis ecclesiasticis bona ecclesiastica immobilia cum evidenti ecclesiarum & ecclesiasticorum beneficiorum utilitate vendendi & alias alienandi licentiam concesserit, & plerisque ut confessorem qui etiam in casibus super quibus Sedes Apostolica consulenda & in morte plenarie eos absolvit ac vota per eos emissa in alia pietatis opera commutaverit indulseritque varias indulgentias, & peccatorum remissiones non tamen plenarias duxerit largiendas aliaque plura fecerit de quorum juribus ab aliquibus hesitatur asserentibus maxime cum ad illa facultatem sufficientem non habuisse. Nos qui eidem Cardinali de cujus circumspectionis industria sumimus in Domino fiduciam specialem concessimus ut quocunque locorum ytaliæ se conferet largicionis fungeretur officio & omnia facere possit quæ nos ipsi possumus in locis memoratis ne de juribus gestor. ab eo valeat imposterum hesitari omnia & singula præmissa, & alia

alia quecunque per eundem Cardinalem facta & gesta illa omnia & .... litteras desuper expedictas ac si de verbo ad verbum insererentur presentibus pro expressis habentes auctoritate apostolica presentium tenore approbamus, & confirmamus ac presentis scripti patrocinio communimus supplentes omnes & singulos defectus si qui forsan intervenerint in eisdem. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbacionis, confirmacionis, communicationis, supplecionisque infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo tercio. Decimo octavo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno tercio. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium presentes nostras litteras sive presens publicum transumpti instrumentum exinde fieri, & per Notarium publicum nostrum & dictæ curiæ Scribam infrascriptum subscribi & publicari mandavimus. Sigillique ejusdem Curiæ quo utimur, jussimus & fecimus appensione communiri. Datum Romæ in Ecclesia Beatæ Mariæ Rotondæ sub anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo, Indictione decima, die vero veneris decima sexta Mensis Maii, Pontificatus prælibati Domini Nostri Papæ anno sexto. Presentibus ibidem discretis viris Magistris Cincio de Viterbio, & Vesponte de Vulterris dictæ curiæ ac nostris Notariis testibus ad premissa vocatis specialiter, & rogatis.

Et Ego Bartholomæus quond. Berti de Piscia Clericus Lucanæ Diocesis publicus apostolica & imperiali auctoritate Notarius, curiæque causarum cameræ apostolicæ Notarius & scriba prædictis omnibus & singulis, dum sic ut premittitur fierent & agerentur una cum prenominatis testibus interfui, ideoque hoc præsens publicum transumpti instrumentum manu alterius me aliis occupatus negociis fideliter scriptum subscripsi, publicavi, & in hanc publicam transumpti formam redegi, signoque & nomine meis solitis & consuetis una cum dictæ curiæ causarum cameræ apostolicæ sigilli appensione signavi rogatus & requisitus in fidem, & testimonium omnium præmissorum.

Leo Papa X. Antonio Contareno Patriarchæ Venetiarum committit, ut ad instar Monasterii S. Annæ alia quoque Venetiarum Monasteria reformet.

H   1519. 12. Octobris.

Ex Archivo Patriarchali.

Leo Papa X.

VEner. Fr. Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sicut nuper nobis exponi fecisti, licet dudum pro parte tua nobis inter alia nuper exposcis, quod tu Monasterium Monialium S. Annæ Venetiarum Ordinis S. Benedicti sub tui & pro tempore existentis Patriarchæ Venetiarum cura & regimine existens, & reformationis offirium exposcens sub certis modo, & forma reformaveras, ac quod etiam S. & Sanctorum Blasii, & Cathaldi, ac S. Marthæ

thæ

thæ nec non S. Secundi Venetiarum Ordinis S. Benedicti, Monasteria Monialium Conventualium similiter sub cura & regimine tui, & pro tempore existentis Patriarchæ Venetiarum reformationis offitium expostulant. Cum illarum Abbatissæ, seu Priorissæ & Moniales observantiæ norma & religionis jugo semotis, ad vetita prosilirent, & quod si illa quatuor aliis ex septem aliis Monasteriis Monialium regularis observantiæ Civitatis Venetiarum ejusdem, vel alterius Ordinis, in quibus debita vigeret observantia regularis, & de quibus tibi videretur, ac etiam S. Mariæ de Virginibus Sedi Apostolicæ immediate subjectum, & S. Mariæ a Cælestibus, & S. Claræ Venetiarum, Sancti Augustini, & Cisterciens. ac ejusdem S. Claræ Ordinum Monasteria Monialium Conventualium a jurisdictione tui, & pro tempore existentis Patriarchæ Venetiarum exempta, similiter aliis tribus ex dictis septem Monasteriis regularis observantiæ perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur ex hoc profecto in Monasteriis Monialium Conventualium hujusmodi religio reformaretur & conservaretur; verum de Virginibus asserentes te illas contra earum exemptiones, & privilegia molestare, & instare te quatuor Moniales in eorum Monasterium, ipsis invitis, introducere velle, apostolicas super hoc in forma brevis litteras introclusa supplicatione desuper signata ad Venerabilem Fr. Altobellum Episcopum Polens. in partibus illis nostrum & Apostolicæ Sedis Nuncium cum certa facultate intus expressa, ut dicebatur, impetraverat, & S. Zachariæ Monasteriorum prædictorum Abbatissæ & Moniales dilectæ in Christo filiæ causam, quam contra te super molestationibus, & inquietationibus per te ipsis contra earum Monasterii instituta, & consuetudines illatis, & inferre comminatis movere intendebant certo Cancellariæ pallatii apostolici auditori cum simili, & aliis facultatibus intus expressis per nos committi, & forsan litterarum & commissionis hujusmodi pretextu dictum Patriarcham ad judicium vocari fecerant; nos tamen predictas & quascumque alias causas ad instantiam quarumcumque Abbatissarum, & Monialium Monasteriorum Conventualium prædictorum contra te, quibusvis judicibus, & Cancellariæ dicti palatii Apostolici auditoribus eatenus commissa, & inposterum, donec hujusmodi reformationis negotium foret executioni debitæ demandatum, commitendas, ad nos advocantes, & litteras inde introductas penitus extinguentes, ac reformationem Monasterii S. Annæ hujusmodi approbantes, ac confirmantes fraternitati tuæ S. Zachariæ, ac SS. Blasii, & Cathaldi, nec non S. Marthæ, ac S. Secundi aliis quatuor ex septem Monasteriis regularis observantiæ dictæ Civitatis ejusdem vel alterius ordinis, per se eligendis, nec non de Virginibus, & a Cælestibus, & S. Claræ exempta Monasteria similiter reliquis tribus ex dictis septem exemptis Monasteriis regularis observantiæ, seu illa invicem respective quoad modum vivendi, & illa ad regularem observantiam reducendi, ac illorum reformationem dumtaxat authoritate Apostolica uniendi, annectendi, & incorporandi, seu aggregandi, ac Moniales ipsas ad vivendum in communi, & dormiendum in uno eodemque dormitorio, sic quod nihil proprii haberent, sed omnia in communi prorsus existerent, ac nulla cubiculum, seu cameram separatam, aut distinctam ab aliis haberet, cogendi, & compellendi, quodque nulla ex ipsis Monialibus Conventualibus in dictis Monasteriis ancillam particularem, sed tantummodo conversam, quæ in communi viveret, & serviret, ipsæque Moniales nullam etiam conversam recipere possent, nisi de scitu, & licentia tui, & pro tempore existentis Patriarchæ, & cujus famæ essent, prout ipsorum Monasteriorum ordo exposceret, inquirere, ac cognoscere posses, nec cum aliquibus, nisi cum parentibus, & consanguineis, vel affinibus suis, & hoc in primo gradu tantum, ac omnibus mulieribus ad feriatam, sive gradas tantum, ac non aliter loqui, nulli-

liique Monasteria ipsa Conventualia sub excomunicationis latæ sententiæ pœna ingredi possent, ac omnia, & singula alia, quæ pro directione dictorum Monasteriorum, sive canonicas sanctiones, & regularia illorum instituta ordinum ad Dei laudem, religionis augmentum, & animarum salutem necessaria nosceres, seu opportuna, statuendi, ordinandi, faciendi, exequendi, & determinandi, inter alia per alias nostras litteras sub plumbo facultatem concesserimus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nihilominus præfatæ Abbatissæ, & Moniales dicti Monasterii S. Zachariæ prætendentes in dictæ litis pendentis præjudicium attemptasse, & innovasse, & asserentes te bona Monasterii sui sequestrasse, seu sequestrari mandasse attemptatorum, ac innovatorum, ac spolii bonorum hujusmodi, nec non quam contra te, & quascunque in mulieres in earum Monasteriis forsan intrusas, & intrudendas super intrusione, & bonörum prædictorum usurpatione, aliisque gravaminibus eis forsan illatis, & inferri comminatis, movere intendebant causas dilecto filio magistro Jacobo Simonette Capellano nostro, & Cancellariæ dicti palatii auditori cum potestate etiam per edictum publicum, constito de non tutto accessu, citandi, & sub censuris, & pœnis expressis inhibendi, attemptata ac innovata revocandi, sequestra quæcumque relaxandi, ac contradictores, & rèbelles cujuscumque gradus honoris, & præeminentiæ existerent consilium, auxilium, vel favorem eisdem quomodolibet contra dictas Abbatissam, & Moniales præstantes per Censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia castigandi, & compescendi de novo committi, & ad decretum citationis, & illius exemptionem, & forsan alios actus procedi obtinuerint, ac S. Zachariæ, & Sanctorum Blasii & Cathaldi, ac S. Marthæ, & S. Secundi, nec non S. Mariæ de Virginibus Monasteria jam dudum in omnibus & per omnia, prout dictum Monasterium S. Annæ apostolica auctoritate reformata fuerint. Nos quorum jurisdictioni existit ut litteræ nostræ prædictæ ad religionis conservationem, & augmentum plenum sortiantur effectum, ulterioribus litteris, ac alias in premissis obviare volentes, ac reformationes singulorum Monasteriorum reformatorum hujusmodi, & inde sequuta quecumque dicta apostolica auctoritate approbantes, & confirmantes, & firmiter observari debere decernentes, omnesque, & singulos defectus juris, ac facti, si qui forsan in illis intervenerint supplentes tuis, ac dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis, & Dominii Venetorum in hac parte supplicationibus inclinati commissionem prefato Jacobo auditori factam hujusmodi motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine auctoritate prædicta abjicimus, & revocamus, ac causam ipsam sibi commissam, cujus statum, & merita presentibus haberi volumus pro expressis pro omnibus & singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis ad nos horum serie advocamus, & lites hujusmodi penitus extinguimus, nec non Abbatissis, & Monialibus conventualibus prefatis super premissis omnibus & singulis perpetuum silentium imponimus, & prefato Jacobo auditori, ac quibusvis aliis dicti palatii cancellariæ auditoribus, aliisque judicibus quacumque auctoritate fungentibus, ne in causis hujusmodi procedere, vel de illis se intromittere quoquomodo presumant sub excomunicationis latæ sententiæ pœna districtius inhibemus, ac nullam commissionem de cætero ipsis Abbatissis, & Monialibus Conventualibus, nisi manu nostra propria signata fuerit, suffragari, ac quidquid secus attemptari contigerit, irritum, & inane decernimus, & nihilominus omnia per te hactenus litterarum tibi directarum hujusmodi vigore gesta, auctoritate, & tenore premissis, ex certa nostra scientia approbamus, & confirmamus, eidemque fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ad totalem executionem dictarum litterarum tibi directarum hujus-

jusmodi alias, illarum forma servata, procedas & omnia Monasteria Monialium Conventualia in ipsis litteris expressa ad instar dicti Monasterii S. Annæ ad debitam regularem observantiam reducas, ac administrationem omnium bonorum Monasteriorum conventualium hujusmodi Monialibus regularis observantiæ in eis introductis, & introducendis, reservato ipsis Conventualibus eorum victu, ac vestitu, committas, & alia in præmissis, & circa ea necessaria facias, & exequaris, prout secundum Deum tibi videbitur expedire, contraditores quoslibet, & rebelles, ac impedientes Ecclesiasticos, & seculares, quavis etiam Episcopali dignitate etiam Cardinalatus hujusmodi fungentes per excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & alias Censuras, & pœnas Ecclesiasticas etiam privationis omnium beneficiorum Ecclesiasticorum per Ecclesiasticos quoslibet obtentorum, & alia juris remedia compescendo, illasque quoties opus fuerit aggravans ac loca in quibus eos morari & ad quæ declinare contigerit Ecclesiastico interdicto subjiciens, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, nonobstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis, nec non quibusdam litteris apostolicis etiam in forma brevis fel. rec. Alexandri Papæ VI. prædecessoris nostri bonæ memoriæ Thomæ olim Patriarchæ Venetiarum, & Ven. Fr. Moderno Episcopo Cremonens. tunc Abbati Monasterii Burgundiorum etiam super reformandis generalibus Monasteriis Conventualibus dictæ Civitatis, & per eorum alterum impedito, ut dicitur, directis, nec non quibusvis privilegiis, concessionibus, & indultis apostolicis S. Claræ, & S. Mariæ a Cælestibus, & aliis Monasteriis, & Ordinibus prædictis, ac illorum, & quibusvis aliis personis, etiam Cardinalibus, Monasteriorum etiam minorum, ac S. Claræ, ac aliorum ordinum hujusmodi protectoribus, sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibusvis clausulis & decretis concessis & concedendis, quibus omnibus etiam si de illis specifica & individua mentio fieri deberet, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, pro sufficienter expressis habentes, quo ad premissa, specialiter & expresse derogamus, ut eis adversus prædictas, & presentes litteras nullatenus suffragari posse, neque debere, decrevimus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non faciendo plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XII. Octob. MDXIX. Pontificatus nostri anno septimo.





DE
MONASTERIO
SANCTI JOSEPH.

E VERONENSI S. Joseph Monasterio, ubi Monasticæ vitæ observantia sub regula S. Augustini plurimum vigebat, Venetias plurimorum civium invitatu exigua colonia duarum Sanctimonialium [quarum una *Monica* nomine ex Psallentium ordine, altera vero ex Sororum (vulgo Converse) numero selectæ fuerant] advenit, circa annum MDXII. eo consilio expetita, ut in Urbe Deiparæ Virginis honori apprime addicta Templum excolerent, quod purissimo ipsius Virginis Sponso religiosi viri primum omnium ædificare disposuerant.

Ingenti itaque totius ferme Urbis cum gratulatione receptæ publicam quoque approbationem ita sibi morum sanctimonia promeruerunt, ut non solum facultatem ædificandi Monasterii eis Senatus indulserit, sed & terræ spatium quod publici juris erat Procuratores Divi Marci concesserint. Chronicas publicæ concessionis notas in veteri ms. codice reperire datum fuit, ubi hæc leguntur: *Adì* 25. *Giugno* 1512. *Fu posta parte in Pregadi, che fosse fatta una Chiesa a nome di S. Giuseppe, e che*

dei

dei beni confiscati de quelli, che si erano ribellati alla Republica, le fossero assegnati 400. *Ducati d'entrata per suo mantenimento, e delle Monache*. Quinam vero fuerint hi, quorum bona ob rebellionis crimen fisco addicta fuerunt, incompertum.

Post hæc ut religiosæ ædis institutio, eo quo decebat ecclesiastico firmamento niteretur, Antonium Contarenum laudatissimum Venetiarum Patriarcham Sanctimoniales adierunt, eique ex fide retulerunt se se *piis fidelium utriusque sexus almæ Civitatis Venetiarum suasionibus & desideriis pro divini cultu augmento* ad ipsam Civitatem transtulisse. Ea propter cupientes *unam Ecclesiam & Monasterium sub clausura Ord. S. Augustini de observantia sub invocatione & titulo S. Joseph erigere & ædificare, & inibi alias mulieres mundana despicientes, & sub suavi jugo Altissimo famulari volentes perpetuis futuris temporibus recipere*, pii Præsulis clementiam petere se, & orare, ut ordinaria auctoritate ipsis Sanctimonialibus *præmissa faciendi licentiam* concedere dignaretur.

Religiosa Virginum vota facilis excepit Antonius Patriarcha, cumque *dicti gloriosi S. adoptivi Patris, & alumni Salvatoris, & Redemptoris nostri, & Sponsi gloriosissimæ & intemeratæ semper Virginis Matris ipsius Salvatoris* cultum dilatari pro insita sibi pietate vehementius optaret, auctoritare sua ordinaria facultatem indulsit die Decima Septembr. anno MDXII. *dictis Sororibus Monicæ & Antoniæ erigendi & construendi Monasterium, & Ecclesiam sub titulo dicti gloriosi S. Joseph, ut ipse Civitatis Venetiarum & ejus totius utriusque sexus populi esset apud Altissimum perpetuus intercessor, protector, & defensor*. Statuto deinde censu eas conditiones adjecit, ut dictum Monasterium ejusque Priorissa, Sanctimoniales & Capellani nullo unquam tempore a Veneti Patriarchæ obedientia *se abdicare possint & eximere*, sintque & esse intelligantur Cathedrali Divi Petri Ecclesiæ subjecti; quibus actis superius laudatam Monicam genibus flexis coram se constitutam in primam dicti Monasterii Priorissam constituit, & deputavit *cum potestate & facultate alias Venerabiles mulieres in Moniales ipsius Monasterii sub regulari observantia* assumendi (A). Ut autem incæptum opus majori celeritate ad sui perfectionem deduceretur, idem Patriarcha die XXI. Aprilis anni subsequentis omnibus Christifidelibus ad ædificii incrementum eleemosynas erogantibus quadra-

draginta dierum Indulgentiam misericorditer in Domino relaxavit (B).

Patriarchalis concessionis munus tertio inde elapso anno Apostolicæ confirmationis munimine roboravit Leo Papa X. datis die VIII. Octobris anno MDXVI. ad Monicam Priorissam ejusque sociam Antoniam Apostolicis litteris, quibus erigendo Monasterio, & Monialibus in ipso recipiendis universas immunitates & concessiones indulsit, queis alia Cœnobia, & Sanctimoniales de Observantia Ord. S. Augustini ex Apostolica liberalitate fruebantur. (C) Nec multo post anno scilicet MDXIX. die XI. Maii universis Christifidelibus Ecclesiam S. Joseph Venetiarum in ipsius solemnitate visitantibus, *ac ad manutentionem & augmentum ædificiorum de bonis sibi a Deo collatis manus porrigentibus adjutrices plenariam omnium peccatorum suorum remissionem* indulsit (D).

Cum vero per ea tempora sævissimo Cameracensi bello premeretur Respublica, atque alternantibus armorum vicibus Cives in summo patriæ discrimine vix ad aliud, quam ad commune libertatis & imperii periculum animos & opes adhibere valerent, ædificationis opus magno fervore susceptum lentis adeo incedebat progressibus, ut anno MDXXX. religiosæ ædes non modo ad complementum non deductæ, sed vix tenui principio e solo exurgentes cernerentur, ipsæque Sanctimoniales loci fundatrices in gravi rei domesticæ inopia constitutæ ex piorum eleemosynis ægre victitarent. Ea propter ipsarum angustias miserati nonnulli pii viri de Sodalitio ibidem instituendo cogitaverunt, quod necessarias extruendo Monasterio impensas pietatis intuitu colligeret. Datis itaque Excelso X. Virum Capitalium Consilio (ejus enim auctoritate Laicorum Confraternitates fundantur atque reguntur) supplicibus libellis lato Decreto statutum fuit die XXIV. Februar. anno MDXXX. ut sub invocatione Divi Joseph hujusmodi Sodalitium erigeretur:

Li Eccellentiss. Sign. Capi dell' Eccelso Consegio de X. sono humilmente e devotamente supplicati per parte de molti fidelissimi Cittadini, Mercadanti, & Artesani di questa ben

Excellentiss. Dom. Capitibus Excelsi Consilii X. humiliter & devote supplicatur pro parte multorum fidelium Civium, Mercatorum, atque Artificum hujus bene institutæ Rei-

ben instituta Republica, li quali inspirati dalla Santissima Trinitade Padre, Fiol, & Spirito Santo, & de tutta la Corte Celestial e precipue del gloriosissimo Missier S. Josesso, quali mossi amore divino considerato che tanto tempo è che il fu concesso a quelle Venerande Madri dedicate al Sommo motore un terreno da fare uno Monasterio e giesia nella parochia de S. Piero di Castello intitolato di Missier S. Josesso quali mai non sono finiti ne dum etiam pocco più de' principiati per le grande tribulazion sono occorse da quello tempo in qua; ita che quelle venerande Madri che li sono poste al culto divino appena che trazeno il viver suo quotidiano de elemosine, perche de proprio nulla hanno non che a far tanta spesa quanta anderia in esse fabriche. Onde desiderosi noi Cittadini, Mercadanti, & Artefici de voler poriger le mani nostre adjutrici a tante bone opere supplichiamo di grazia speciale che quelle se degnino conciederne che possiamo elevar una Scuola, & Fraterna intitolata la Scuola del gloriosissimo Missier San Josesso ad honor di Missier Jesu Christo qual sempre sarà tutore, & deffensore di questo

Reipublicæ, qui superno afflatu Sanctiss. Triadis Patris, Filii, & Spiritus Sancti totiusque Curiæ cælestis, & præcipue gloriosissimi Dom. S. Joseph, divinoque amore excitati, attendentes, cognoverunt, jam ex multo tempore nonnullis venerabilibus Monialibus supremo Numini dedicatis concessum fuisse situm pro Monasterio & Templo erigendis in Divi Petri Castellanensi Parœcia sub invocatione Dom. S. Joseph, quæ non modo completa, verum etiam vix incæpta fuerunt, ob graves præsertim eorum temporum angustias, ita ut eæ Venerabiles Moniales ibidem divino cultui inservientes, nihilque proprii possidentes, cum vix ea quæ victui necessaria sunt ex eleemosynis percipiant impares omnino sint gravissimis ædificiorum impensis coacervandis. Eapropter cupientes Nos Cives, Mercatores, & Artifices præclarissimo operi manus nostras porrigere adjutrices, vehementer exoramus, ut ex gratia speciali Nobis facultas impartiatur erigendi Scholam & Fraternitatem, cujus titulus sit Schola gloriosissimi Dom. S. Joseph ad honorem Domini Jesu Christi, quem hujus gloriosissimi Dominii tutorem, & defensorem, atque animarum nostrarum

sto gloriosissimo Stato, & conservatore dell' anime nostre. Lo emolumento della quale in dies se trazerà sarà per fabricazione di essa poverissima giesia, & monasterio, alle grazie delle quali genibus flexis se racomandemo.

rum conservatorem perpetuum fore confidimus. Utilitates porro in dies corrogatæ ædificationi pauperrimæ Ecclesiæ & Monasterii assignandæ erunt, Nosque benignitati vestræ genibus flexis commendamus.

Die 24. Februarii 1530. *In Consilio* X.

„ Quod auctoritate hujus Consilii concedatur licentia suprascri-
„ ptis supplicantibus posse elevare Scolam, seu Fraternitatem
„ sub titulo, & nomine S. Joseph, prout devote supplicarunt.
„ Præfati Illustriss. Consilii X.
„ Secret. Caroldus.

Religiosa virorum sollicitudo tantis divinæ largitatis muneribus cumulata fuit, ut ingenti pecuniæ vi undique corrogata brevi Templum prodierit amplitudine & ornatu magnificum.

Sacellum aramque principes Jeronymus Grimani Eques, & Divi Marci Procurator erexit, cujus tabulam Dominicæ Nativitatis mysteria exhibentem aureo Pauli Calliarii Veronensis penicillo exprimi mandavit. Jeronymi simulacrum ad Sacelli parietem erectum visitur, cui suppositum legitur hoc elogium:

„ Hieronymus Grimani ad immortalitatem virtute quæren-
„ dam natus perpetuam sui nominis celebritatem, maximis
„ rebus pro Repub. gestis, summisq. Legationibus, eximia cum
„ laude, Patriæque dignitate obitis, in animis hominum ade-
„ ptus; Cujus singularem eloquentiam acerrimumque judi-
„ cium Senatus ingenti, & ornamento, & utilitate difficili-
„ mis temporibus expertus est. A Pio IV. Pont. Max. Eque-
„ stri dignitate ornatus; a Rep. Procurator magna omnium
„ lætitia creatus, omnibus virtutibus Principe dignis ornatis-
„ simus, ut Principis tantum nomen in eo Civitas desidera-
„ ret. Annos natus LXXIII. Cum ab humanis rebus ad Cæle-
„ stem fœlicitatem viventi semper optatissimam, morienti jam
„ proximam demigrasset; tristissimum bonis omnibus sui de-
„ siderium; Posteris autem spectatissimum optimi Senatoris
„ exemplum relinquens.

Domi-

Dominicam quoque Transfigurationem supralaudatus Calliarius, Christum e Cruce depositum Jacobus Palma, Michaelem Archangelum Jacobus Tintoretus ad alias Ecclesiæ aras laudatissimo labore depinxerunt.

Ex adverso Altaris ubi venerabile Divi Patriarchæ Joseph Simulacrum colitur prodigiis, & populorum devotione clarissimum, exurgit Marini Grimani LXXXVIII. Ducis Venetiarum superius laudati Jeronymi filii magnificum mausoleum selectis marmoribus, & fuso ex ære ornamentis maxime conspiciendum, cui inscripta est hæc epigraphe.

D. O. M.

„ Marino Grimano Principi Opt. Fœlicifs. Præturis præfe-
„ cturis Legationibus Summis quibusq. in Rep. Muneribus
„ egregie perfuncto, qui annonam adlevavit, ærarium aucta-
„ vit, Urbem exornavit ab ipsaq. noxia avertit flumina, Pal-
„ mam Oppidum extruxit ad Christiani Orbis securitatem.
„ Motam Galliam Cisalpinam compressit. Salutare Reip. foe-
„ dus opportune jecit pacem Italiæ suavissimam confirmavit
„ protulit pius prudens. Obiit Ann. MDCV. Vixit Ann. LXXIII.
„ M. VI. D. XXV. Ex his X. Imperabundus.

Sacelli Majoris aram consecravit die XXIV. Junii anno MDCXLIII. Constantinus de Rubeis Episcopus Veglensis SS. Martyrum Reliquiis rite in ea collocatis appositaque scheda his notata verbis:

MDCXLIII. Die XXIV. Mensis Junii.

Ego Constantinus de Rubeis Episcopus Veglensis consecravi hoc Altare in honorem S. Joseph, & Reliquias Sanctorum Viti, Justi, & Florentii Martyrum in eo inclusi singulis Christifidelibus hodie unum annum, & in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ concedens.

Aliorum vero Sanctorum lipsana ad reliquas Ecclesiæ aras asservantur, quorum Indicem exhibemus.

Corpora Sanctorum Petri, & Claudii Mm. e Cæmeterio Calixti effossa.

Os S. Marcellini Papæ & Mart.

Costa & Pes S. Polycarpi Ep. & Mart.
Crus S. Anastasiæ Mart.
Os S. Sergii Mart.
De Cranio S. Mennæ Mart. atque alia plurima diversorum Sanctorum fragmenta.

His pro loci dignitate dispositis, ut temporalibus etiam suffragiis Sanctimoniales, quorum numerus mirum in modum excreverat, in magnis rei domesticæ angustiis juvarentur, Clemens VII. Pont. Max. *Ecclesiam Parochialem S. Julianæ de Villa Comitis Vicentinæ Diœcesis per liberam resignationem Bernardini da Zachirolis olim ipsius Ecclesiæ Rectoris* vacantem Veneto Monasterio S. Joseph *cum omnibus suis juribus, & pertinentiis* perpetuo *univit, annexuit, & incorporavit* die XXX. Aprilis Anno MDXXXIV. hac tamen adjecta conditione, ut ipsi Ecclesiæ per Vicarium Perpetuum deserviri faceret, cui congrua reddituum portio ad alimoniam assignaretur. Cum vero morte præventus Clemens VII. litteras Apostolicas super hujusmodi concessionem non confescisset, Paulus III. ut ea quæ de sui Antecessoris gratia processerant suum consequerentur effectum, Apostolica auctoritate decrevit, ut annexio & incorporatio per Clementem prædecessorem statuta Apostolici Diplomatis confirmatione muniretur Anno Incarnationis Dominicæ MDXXXIV. die III. Novembris (E).

Spiritualibus insuper indulgentiarum largitionibus ad annum concessis Ecclesiam ditavit idem Pontifex, quas per singulos sui Pontificatus annos vivæ vocis oraculo renovasse plurium Cardinalium, & præcipue Petri Bembi Epistolæ (F) testantur. Eas deinde plenarias criminum remissiones & dierum numero, & votorum commutatione dilatatas Pius IV. Pontifex Maximus die XXX. Septemb. anno MDLXII. apostolica liberalitate perpetuas esse decrevit (G).

Anto-

Antonius Contareno Patriarcha Venetiarum facultatem concedit ædificandi Ecclesiam, & Monasterium Sanctimonialium sub invocatione S. Joseph.

A 1512. 10. Novembris.

Ex Autographo in Archivo Monasterii S. Joseph.

ANtonius Contareno Miseratione divina Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primas. Universis & singulis presentes litteras inspecturis: Notum & manifestum facimus, qualiter comparentes coram nobis Venerabiles Moniales Soror Monica ab officio, & Soror Antonia professa Monasterii S. Joseph de Verona Ordinis S. Augustini de Observantia: Exponentes, quod piis fidelium utriusque sexus hujus almæ Civitatis Venetiarum suasionibus, & desideriis pro divini cultus augmento in ipsa civitate accense fervore & pro propagatione salutis animarum cupientium terrena in celestia, & temporalia in æterna commutare: cupiunt unam Ecclesiam & Monasterium sub clausura Ordinis prefati S. Augustini de observantia sub invocatione & titulo Sancti Joseph construere, erigere, ac edificare in hac Civitate Venetiarum super terreno magnificorum Dominorum procuratorum S. Marci prope Sanctum Antonium in parochia S. Petri Patriarchatus Venetiarum, & inibi alias mulieres mundana despicientes, & sub suavi jugo Altissimo famulari volentes perpetuis futuris temporibus recipere & premissa faciendi sibi per nos licentiam concedi humiliter supplicarunt: Nos vero earum pientissimis desideriis annuere intendentes ad laudem & gloriam Altissimi, & ad honorem dicti gloriosi Sancti adoptivi patris & alumni Salvatoris & Redemptoris nostri, & sponsi gloriosissimæ & intemeratæ semper Virginis matris ipsius Salvatoris, visa imprimis supplicatione dictarum dominarum Monialium porrecta ad Illustrissimum Dominium nostrum Venetiarum de fabricando & erigendo Monasterium predictum. Visa licentia, & concessione facta per ipsum Illustrissimum Dominium cum suis ordinatis consiliis super ipsa erectione & fabricatione, & visa tradditione, & consignatione facta per Magnificos Dominos procuratores S. Marci de quodam terreno vacuo parum longe ab cappella sive sacello Domini nostri Jesu Christi apud S. Antonium in parochia dictæ Ecclesiæ nostræ Patriarchalis, & habita etiam fide a nonnullis Dominis patriciis Venetis videlicet Magnificis D. Alovisio Michael q. Dom. Fantini D. Antonio Condolmerio q. D.... Domino Hieronymo Grimani Magnifici Dom. Antonii Procuratoris, Procuratoribus & benefactoribus dicti Monasterii, quod multi sunt Christifideles qui promiserunt satis competentem pecuniarum summam pro fabrica & erectione dicti Monasterii & Ecclesiæ sub invocatione dicti gloriosi S. Joseph. Invocato prius nomine Domini nostri Jesu Christi ejusque gloriosissimæ matris Virginis Mariæ & protectoris hujus almæ Civitatis Beati Marci Evangelistæ, & dicti gloriosi S. Joseph, ut sit etiam apud Altissimum perpetuus intercessor, protector, & defensor hujus Civitatis Venetiarum & ejus totius utriusque sexus populi, auctoritate nostra ordinaria qua fungimur in hac parte damus, concedimus, & impartimur licentiam auctoritatem & facultatem dictis Sororibus Monicæ & Antoniæ erigendi, fabricandi, & construendi Monasterium, & Ecclesiam prefatam sub titulo dicti gloriosi S. Joseph in loco predicto S. Antonii, in quo Monasterio habitent & morentur perpetuis futuris temporibus Moniales de observantia sub clausura Or-

dinis S. Augustini: His tamen adjectis obligationibus obnexionibus, & strictu-ris, etiam perpetuo duraturis, videlicet quod dictum Monasterium, Priorissa, & Moniales illius non possint ullo unquam tempore se abdicare, & eximere quacunque occasione vel causa ab ipso Reverendiss. Dom. Patriarcha & successoribus suis, sed semper sint, & intelligantur subjecte in omnibus, ipsis Dominis Patriarchis perpetuo existentibus, & illis prestare debitam obedientiam, & reverentiam, & omnia eorum mandata & constitutiones & ordinationes fideliter exequi, & adimplere sub pena perjurii: a quo non possint absolvi nisi eorum licentia & auctoritate. Item quod capellani ipsi Monasterio & Ecclesiæ pro tempore deservientibus, & similiter Confessores eligantur & deputentur per nos & successores nostros, & sint movibiles ad nutum nostrum, & ipsorum nostrorum successorum, & tam Priorissa, quam Moniales & capellani prefati nullam habeant jurisdictionem in temporalibus, vel spiritualibus in parochia nostra prefati S. Petri: sed sint & intelligantur parochiani & subjecti dicte parochiali Ecclesiæ nostræ, & quod non possint per ipsam Dom. Priorissam Moniales, capellanos, & mansionarios dictæ Ecclesiæ, & Monasterii alios presbyteros vel religiosos vocari ad funera sive solemnitates quæ fient in ipsa Ecclesia nisi prius vocatis Dom. Canonicis sive capitulo dictæ Ecclesiæ nostræ patriarchalis, & si voluerint sepeliri, cum suis capellanis solis hoc fieri possit absque alia vocatione dictorum presbyterorum. Item quod perpetuis futuris temporibus dictum Monasterium & D. Priorissa ac Moniales præfatæ in signum veræ subjectionis suæ Patriarchatui nostro nobis, & successoribus nostris dare teneantur, & obligatæ sint singulis annis in perpetuum in festo dicti S. Joseph solvere interpolatim uno anno libras sex parvorum & altero anno libras tres parvorum. Item quod ipse Moniales possint habere cimiterium pro ipsis Monialibus, sed non possint alii inibi sepeliri absque licentia nostra vel successorum nostrorum, & ut detur primordium & principium tanto bono operi habita fide a nonnullis fide dignis personis de vitæ sanctimonia moribus prudentia & integritate prefatæ Dominæ Sororis Monicæ genibus flexis coram nobis constitutæ & humiliter acceptantis dicta patriarchali auctoritate nostra per annuli nostri tradditionem investivimus, elegimus, & deputavimus in Priorissam dicti Monasterii, & per presentes elegimus, constituimus, & deputamus cum potestate & facultate alias Venerabiles mulieres Altissimo famulari volentium in Moniales ipsius Monasterii sub regulari observantia, & ordine & regula prefata S. Augustini quæ subesse perpetuo debeant Priorissæ dicti Monasterii pro tempore existenti, ipsi Dom. Sorori Monachæ Priorissæ licentiam & facultatem concedendo dictum Monasterium & Moniales omnes illius regendi & gubernandi, contradictores & rebelles per censuram ecclesiasticam compescendo. Quæ quidem Dom. Soror Monicha Priorissa juravit quod fidelis & obediens erit nobis & successoribus nostris canonice intrantibus, & bona dicti Monasterii & omnes illius Moniales omni cum diligentia gubernabit & pro posse manutenebit, & grata servitia ac mandata omnia & singula nostra, & successorum nostrorum reverenter acceptabit & adimplebit, & prædicta omnia & singula ut premittitur in presentibus litteris contenta exequetur & adimplebit & in contrarium quovis modo fieri non permittet. In quorum omnium & singulorum premissorum fidem & testimonium presentes fieri jussimus & nostri pontificalis sigilli appensione muniri. Actum & datum Venetiis in Patriarchali Palatio nostro die Mercurii decimo Mensis Nov. millesimo quinquagesimo duodecimo. Presentibus D. Presbyt. Michaele de Peregrinis, & Alexandro de Augustinis, & Ludovico Barbena Cubiculariis nostris testibus vocatis & rogatis.

Franciscus Morandus Cancell. rogatus de præmissis subscripsi.

Anto-

Antonius Contareno XL. dierum Indulgentiam elargitur omnibus ære pio adjuvantibus ædificationem Ecclesiæ Sancti Joseph Venetiarum.

B

1513. 21. Aprilis.

Ex Autographo in Monasterio Sancti Joseph.

ANtonius Contareno Miseratione divina Patriarcha Venetiarum Dalmatiæque Primas Universis & singulis Christifidelibus utriusque sexus nobis in spiritualibus subjectis Salutem in Domino sempiternam. Cum nuper Ecclesia, & Monasterium in parochia nostra Castellana erigi & fabricari incepta fuerit sub titulo & vocabulo gloriosissimi S. Joseph, Intemeratæ Virginis Mariæ mariti, in quo quidem Monasterio degunt Moniales sub regula S. Augustini de observantia: Cupientes Nos itaque in suis structuris & edificiis debite reparari, conservari, & manuteneri, libris, calicibus, luminaribus, aliisque ecclesiasticis ornamentis pro divino cultu muniri, Universitati vestræ elemosinam impartienti & erogganti Questori nomine dictæ Ecclesiæ, & Monasterii cum vexillo dicti S. Joseph XL. dies confissi clementia Omnipotentis Dei, gloriosæ Virginis Mariæ dictique Beati Sancti misericorditer in Domino concedimus pro indulgentia, & impartimur. Nam, qui manus porrexerint adjutrices, noverint se pro terrenis celestia, & pro temporalibus sempiterna bona consequi & adipisci. In quorum omnium & singulorum fidem has presentes fieri jussimus & nostri sigilli pontificalis appensione muniri & per Notarium nostrum infrascriptum subscribi.

Datum Venetiis in nostro Patriarchali Palatio die XXI. mensis Aprilis MDXIII.

Joannis Franciscus Zentilinus Curiæ Patr. Notar. ss.



Leo Papa X. licentiam ædificandi Monasterium Monialium S. Joseph ab Antonio Contareno Patriarcha Venetiarum concessa Apostolica auctoritate confirmat.

C

1516. 8. Octobris.

Ex Autographo in Archivo Monasterii S. Joseph.

a tergo | *Dilectis in Christo filiabus Monicæ Priorissæ, & Antoniæ Moniali Monasterii Sancti Joseph Venetiarum Ordinis Sancti Augustini Regularis Observantiæ.*

LEO PAPA X.

DIlectæ in Christo filiæ salutem & Apostolicam benedictionem. Digna reddimur attentione solliciti earum ad exauditionis gratiam vota præsertim Divini cultus, & religionis augmentum concernentia admittere, quæ illecebris mundanis propulsis in illius, qui speciosus est præ filiis hominum, beneplacitis

citis sub regulari observantia laudabiliter conversantur; cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecistis, alias postquam tunc Patriarcha Venetiarum pro Divini cultus augmento, & religionis in Civitate Venetiarum propagatione & animarum salute, ac diversorum utriusque sexus dictæ Civitatis Christifidelium id desiderantium spirituali consolatione vobis tunc Monialibus Monasterii Sancti Joseph Veronensis Ordinis S. Augustini regularis in prefata Civitate ex terreno prope Ecclesiam S. Antonii & in Parochia S. Petri Patriarchatus Venetiarum consistente vobis per Procuratores S. Marci assignato seu concesso unum Monasterium Monialium sub invocatione ejusdem S. Joseph, seu edificia pro uno Monasterio Monialium cum Ecclesia Cimiterio & officinis necessariis pro perpetuis usu & habitatione unius Priorissæ & Monialium Ordinis, & Observantiæ predictorum sub perpetua clausura degentium, quæ præfato & pro tempore existenti Patriarchæ Venetiarum perpetuo subessent, & in signum vere subjectionis certum tunc expressum censum eidem Patriarchæ pro tempore existenti annis singulis persolverent, ac quarum capellani & confessores per ipsum Patriarcham deputari deberent, & ad ejus nutum amovibiles essent, construendi & edificandi seu construi & edificari faciendi licentiam concesserat, ac ex tunc te Monicam eidem construendo Monasterio in Priorissam cum facultate alias mulieres Altissimo inibi sub ordine & observantia prædictis Altissimo famulari volentes, in Moniales ipsius Monasterii recipiendi constituerat, & deputaverat, prout in litteris ipsius Patriarchæ desuper confectis dicitur plenius contineri, vos piis ex largitionibus Christifidelium unum Monasterium Monialium sub dicta invocatione S. Joseph seu ædificia unius Monasterii pro vestrum & aliarum Monialium ordinis & observantiæ prædictorum perpetuis usu & habitatione construi & ædificari feceritis & facere inceperitis, ac ex tunc inibi habitaveritis prout habitatis de presenti, nobis humiliter supplicari fecistis, quatenus ut quietius & liberius in dicto Monasterio Altissimo famulari, & illius directioni intendere possitis, licentiæ, concessioni, constitutioni, & extensioni prædictis pro illarum subsistentia firmiori robur apostolicæ confirmationis adjicere ac alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui personarum quarumlibet presertim feminei sexus regulari castimoniæ deditarum studio charitatis libenter prosequimur, hujusmodi supplicationibus inclinati licentiam, concessionem, constitutionem predictas, nec non deputationem ac prout illas concernunt omnia & singula in dictis litteris contenta, & quecunque inde secuta, auctoritate apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus. Supplentes omnes & singulos defectus juris & facti si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus pro potiori cautela vobis Monasterium predictum sub dicta invocatione S. Joseph seu illius ædificia nondum forsan perfecta seu completa cum campanili, humili campana, cimiterio, dormitorio, refectorio, claustro, ortis, ortalitiis, & aliis necessariis officinis absque juris alieni prejudicio construi, & edificari seu perfici, & compleri faciendi, & si jam aut postquam ædificia hujusmodi constructa seu completa fuerint Monasterium predictum pro perpetuis usu & habitatione unius Priorissæ & Monialium ordinis & observantiæ prædictorum, quæ inibi sub perpetua clausura ac sub cura visitatione & superioritate dicti Patriarchæ pro tempore existentis Altissimo famulentur, retinendi auctoritate & tenore prædictis sine alicujus prejudicio, ut prefertur, licentiam concedimus, nec non eidem Monasterio ac vobis & aliis Priorissæ, & Monialibus in eo pro tempore degentibus ut omnibus & singulis privilegiis exemptionibus immunitatibus indulgentiis spiritualibus & temporalibus concessionibus gratiis & indultis aliis Monasteriis & Monialibus ordinis & observantiæ eorundem in genere concessis

sis & concedendis & quibus utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterint quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere possitis & debeatis, de speciali gratia perpetuo concedimus & indulgemus, teque Monacham in Priorissam dicti Monasterii etiam ex nunc prout ex tunc, eiadem auctoritate & tenore constituimus, & deputamus, non obstantibus premissis ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis ac Monasterii & ordinis, prædictorum juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus nec non quibusvis privilegiis & indultis illi sub quibuscunque tenoribus concessis, quibus illorum tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Fuscanelle sub annullo Piscatoris die octava Octob. MDXVI. Pontificatus nostri anno quarto.

Hier. Attavantis.



Leo X. visitantibus Ecclesiam Monasterii Sancti Joseph Venetiarum, atque eidem eleemosynas erogantibus Plenariam Indulgentiam, aliaque indulta elargitur.

D 1519. II. Maii.

Ex Archivo Monasterii S. Joseph Venetiarum.

LEO PAPA X.

UNiversis Christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Cupientes, ut Ecclesia Monasterii S. Joseph Venetiarum Ordinis S. Augustini de observantia ad quam multi Christifideles devotionis causa jugiter accedunt congruis frequentetur honoribus, ac in suis structuris & edificiis manuteneatur, conservetur atque augeatur, & Christifideles prædicti ad eam devotionis causa eo libentius confluant, quo ex hoc ibidem dono celestis gratiæ uberius se refectos conspexerint. De Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus & singulis utriusque sexus fidelibus antedictis vere penitentibus & confessis, qui dictam Ecclesiam S. Joseph in festo ejusdem Sancti proxime futuro a primis vesperis usque ad occasum Solis ejusdem festivitatis devote visitaverint, ac ad manutentionem & augmentum edificiorum hujusmodi de bonis sibi a Deo collatis juxta eorum facultates manus porrexerint adjutrices, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem concedimus, & elargimur per presentes, & ut Christifideles prædicti pro consequenda indulgentia hujusmodi ad dictam Ecclesiam se conferentes indulgentiam ipsam Deo propicio facilius consequi possint, dilectæ in Christo filiæ Abbatissæ dicti Monasterii aliquot confessores idoneos presbyteros seculares, aut quorumvis ordinum regulares, qui Christifideles ad dictam Ecclesiam pro consequenda indulgentia hujusmodi confluentes, eorum confessionibus diligenter auditis de omnibus & singulis eorumdem peccatis, excessibus, & delictis, in quibusvis casibus etiam Apostolicæ Sedi reservatis, exceptis contentis in bulla in die Cenæ Domini publicari solita, absolvere, & eis

eis pro commissis penitentiam salutarem injungere, ac vota quecunque exceptis quatuor majoribus in opus manutentionis & augumenti edificiorum prædictorum communicare & convertere libere, & licite valeant, deputandi auctoritatem & facultatem concedimus per presentes, non obstantibus quibusvis suspensionibus seu revocationibus similium indulgentiarum durante indulgentia pro fabrica basilicæ principis apostolorum de urbe seu pro sancta cruciata contra hostes Christiani nominis a felicis recordationis Julio Papa II° prædecessore nostro, & successive a nobis sub quibusvis verborum formis tenoribus & clausulis quomodolibet emanatis & imposterum forsan emanandis ceterisque in contrarium facientibus quibuscunque Presentibus post dictam diem minime valituris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 11. Martii MDXVIIII. Pontificatus nostri anno sexto.

Evangelista.

Paulus Papa III. unit Ecclesiam Parochialem S. Julianæ Diœcesis Vicentinæ Monasterio Monialium S. Joseph Venetiarum.

E 1534. 3. Novembris.

Ex Archivo Monasterii Sancti Joseph.

PAulus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit & convenit honestati, ut ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu littere apostolice super illis confecte non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa VII. predecessor noster omnia beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura apud Sedem Apostolicam tunc vacantia & in antea vacatura collationi, & dispositioni suæ reservavit, decernens ex tunc irritum & inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cumque postmodum Parochialis Ecclesia S. Julianæ de villa comitis Vicentinæ Diocesis per liberam resignationem dilecti filii Bernardini de Zachirolis, olim ipsius Ecclesiæ Rectoris, de illa quam tunc obtinebat in manibus ejusdem predecessoris sponte factam, & per eumdem predecessorem admissam apud Sedem eamdem vacavisset & vacaret, tunc nullusque de illa præter eundem prædecessorem ea vice disponere potuisset sive posset reservatione & decreto obsistentibus supradictis, & eidem predecessori pro parte dilectarum in Christo filiarum Priorissæ, & Monialium Monasterii S. Joseph Venetiarum Ordinis S. Augustini de observantia nuncupatarum sub cura Fratrum Heremitarum dicti Ordinis de observantia hujusmodi nuncupatorum degentium, eidem predecessori exposito, quod si dicta Ecclesia eidem Monasterio cujus fructus, redditus, & proventus adeo tenues existebant, quod ex illis Priorissa, & Moniales hujusmodi in eo jugiter laudabiliter Deo famulantes se sustentare nullo modo poterant perpetuo uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profecto earumdem Priorissæ, & Monialium commoditatibus opportune consuleretur, ac pro parte Priorissæ, & Monialium prædictarum asserentium dictæ Ecclesiæ & illi annexorum fructus, redditus, & proventus quinquaginta ducatos auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, eidem predecessori humiliter supplicarunt, ut Ecclesiam prædictam eidem Monasterio perpetuo unire, annecte-

nectere, & incorporare aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaretur. Idem predecessor qui antea inter alia voluerat, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum eandem extimationem etiam beneficii cui aliud uniri peteretur alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interesset, quique votis illis per quæ Monasteriorum quorumlibet præsertim feminei sexus & in illis sub suavis religionis jugo altissimo famulantium personarum, quas rerum premebat egestas, necessitatibus oportune consuleretur, favorabiliter annuebat, Priorissam & Moniales prædictas & earum singulas a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & penis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existebant, ad effectum infrascriptorum duntaxat consequendum, absolvens & absolutas fore censens, nec non fructuum, reddituum, & proventuum dicti Monasterii veros annuos valores pro expressis habens hujusmodi supplicationibus inclinatus sub dat. tertio Kalendas Maii Pontificatus sui anno undecimo Ecclesiam prædictam sive premisso, sive alio quovis modo aut ex alterius cujuscunque persona vacaret, etiam si tanto tempore vacavisset, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem eamdem legitime devoluta, ipsaque Ecclesia dispositioni apostolicæ specialiter vel alias generaliter reservata existeret, & super ea inter aliquos lis, cujus statum idem predecessor haberi voluit pro expresso, penderet indecisa, dummodo ejus dispositio ad eumdem predecessorem ea vice pertineret cum ejus annexis ac omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Monasterio Apostolica auctoritate univit, annexuit, & incorporavit, ita quod liceret Priorissæ, & Monialibus prædictis per se vel alium seu alios corporalem Ecclesiæ annexorum jurium & pertinentiarum prædictorum possessionem propria auctoritate libere apprehendere, & dummodo illi per perpetuum Vicarium deserviri facerent illam perpetuo retinere illiusque & annexorum eorumdem fructus, redditus, & proventus congrua tamen ex illis portione pro ejusdem Vicarii sustentatione & juribus Episcopalibus persolvendis deducta in suos & Monasterii ac Ecclesiæ prædictorum usus & utilitatem convertere Diocesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita. Nonobstantibus priori voluntate predecessoris hujusmodi ac pie memorie Bonifatii Papæ VIII. etiam predecessoris nostri & aliis apostolicis constitutionibus, & ordinationibus contrariis quibuscunque aut si alicui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrassent etiam si per eas ad inhibitionem reservationem & decretum vel alias quomodolibet esset processum quas quidem litteras & processus habitos per easdem & inde secuta quecunque ad dictam Ecclesiam idem Clemens predecessor voluit non extendi sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis indulgentiis & litteris apostolicis generalibus & specialibus quorumcunque tenorum existerent per quæ litteris ipsius Clementis si desuper confecte fuissent non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeret quomodolibet vel diferri & de quibus quorumque totis tenoribus habenda fuisset in eisdem litteris mentio specialis Proviso quod dicta Ecclesia debitis propterea non fraudaretur obsequiis & animarum cura in ea nullatenus negligeretur sed ejus congrue supportarentur onera consueta. Idem enim Clemens prout erat irritum decrevit & inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan erat eatenus vel imposterum contingeret attemptari Non autem de absolutione, unione, annexione, incorpora-

tione decreto & voluntate predictis pro eo quod super illis ipsius Clementis ejus superveniente obitu littere confecte non fuerunt valeat quomodolibet hesitari ipseque Priorissa, & Moniales illorum frustrentur effectu volumus & apostolica auctoritate decernimus quod absolutio, unio, annexio, incorporatio, decretum & voluntas Clementis prædecessoris hujusmodi perinde a dicta Data suum sortiantur effectum ac si super illis ejusdem Clementis litteræ super eadem Data confecte fuissent prout superius enarratur. Quodque presentes ad probandum plene absolutionem, unionem, annexionem, incorporationem decretum & voluntatem dicti Clementis ubique sufficiant nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tricesimo quarto tertio Nonas Novemb. Pontificatus nostri anno primo.

B. Beccalla.

Ut in possessionem prædictæ Ecclesiæ poneretur, & positus conservaretur Monasterii Procurator, per Ducales Epistolas Potestati Campi S. Petri (oppidum est in agro Patavino) datas die xxi. Septemb. anno MDLXXV. mandavit Aloysius Mocenico Dux Venetiarum.

Aloysius Mocenico Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & sapientibus viris Paulo Delphino de suo mandato Potestati Campi S. Petri & successoribus fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum. Vacante Parochiali Ecclesia S. Julianæ de Villa Comitis Vincentinæ Diocesis per liberam resignationem Presbyteri Bernardini de Zachirolis illius ultimi Rectoris de illa, quam tunc obtinebat in manibus fel. rec. Clementis Papæ VII. sponte factam, & per ipsum admissam idem Summus Pontifex auctoritate Apostolica perpetuo univit, annexuit, & incorporavit Ecclesiam predictam cum omnibus juribus & pertinentiis suis Monasterio S. Joseph Venetiarum, prout constat litteris patentibus Pauli Papæ III. fel. rec. in forma congrui sigillo pendente munitis datis Romæ apud S. Petrum III. Nonas Novembris MDXXXIIII. Quare mandamus vobis, ut legitimum Procuratorem dicti Monasterii poni faciatis & positum conservetis in tenuta, & reali possessione Ecclesiæ prædictæ cum responsione omnium fructuum, proventuum, ac reddituum ad illam spectantium, & pertinentium. Verum si quid haberetis in contrarium supersedete, & ad nos rescribite, neminem in possessione inventum cum litteris nostris amovendo. Has autem registratas presentanti restituite.

Date in nostro Ducali Palatio die xxi. Septemb. Indictione IIII. MDLXXV.

Petrus

Petrus Cardinalis Bembus testatur Paulum Papam III. concessisse Indulgentias visitantibus Ecclesiam Sancti Joseph Venetiarum in die ipsius solemnitatis.

F 1540. 15. Februarii.

Ex Archivo Monasterii Sancti Joseph Venetiarum.

NOS Petrus miseratione Divina titulo Sancti Cyriaci in Thermis Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Bembus nuncupatus fidem facimus, quod nuper Santiss. Dominus Noster Dom. Paulus divina providentia Papa Tertius vivæ vocis oraculo super hoc nobis facto omnibus & singulis Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis seu confitendi propositum habentibus qui altare sub invocatione Sancti Salvatoris situm in Ecclesia Monasterii Monialium S. Joseph Venetiarum Sanctæ Claræ vel alterius Ordinis in vigilia festivitatis ejusdem S. Joseph proxime futura a primis Vesperis, quæ erunt die decima septima Mensis Martii, usque ad secundas Vesperas inclusive devote visitaverint, & semel Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pro Christianorum pace devote recitaverint plenariam Indulgentiam ac peccatorum remissionem misericorditer in Domino relaxavit. Præsentibus hoc anno elapso minime valituris. In quorum fidem litteras nostras hujusmodi fieri sigillique nostri, quo in similibus utimur, appensione muniri, ac per Secretarium nostrum infrascriptum subscribi jussimus & fecimus. Datum Romæ in ædibus nostræ solitæ residentiæ Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo quadragesimo die vero decimaquinta Mensis Februarii Pontificatus ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Anno Sexto.

Flaminius Tomarotius Secretarius de mandato.



Pius IV. visitantibus Ecclesiam Sancti Joseph Venetiarum plenariam Indulgentiam, atque alia privilegia concedit.

G

1562. 30. Septembris.

Ex Archivo Monasterii Sancti Joseph.

PIUS Episcopus Servus Servorum Dei Universis utriusque sexus Christifidelibus presentes litteras inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. Cum præclara meritorum insignia quibus B. Joseph Confessor in Divinæ Majestatis conspectu perpetua felicitate clarescit, sedula meditatione perpendimus dignumque potius debitum arbitramur, ut Monasteria & alia sua loca præsertim ad honorem sui nominis dedicata gratiosis remissionum prosequamur impendiis, & Indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur ut Ecclesia Monasterii Monialium S. Josephi Venetiarum Ordinis S. Augustini de Observantia nuncupati ab utriusque sexus Christifidelibus congruis frequentetur honoribus ac in debita veneratione habeatur Ipsique Christifideles eo libentius devotionis causa ad Ecclesiam ipsam confluant, ac earum devotio inibi frequentius invalescat, quo exinde pro animarum suarum salute majora dona spiritualia se adipisci cognoverint. De Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi Omnibus vere penitentibus & confessis, seu statutis a jure temporibus firmum confitendi propositum habentes qui Ecclesiam prefatam singulis diebus Dominicis a prima Dominica Adventus incipiendo usque ad Octavam Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi inclusive Nec non in die festivitatis ejusdem S. Joseph a primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem festivitatis etiam inclusive devote visitaverint, & inibi pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ ac extirpatione hæreticorum nec non pacis inter Principes Chistianos conservatione ad Deum preces fuderint, plenariam indulgentiam in forma Ecclesiæ consueta auctoritate apostolica tenore presentium misericorditer in Domino elargimur. Et ut Christifideles ipsi ad Ecclesiam eamdem pro predicta Indulgentia confluentes conscientiæ pacem & animarum suarum salutem uberius Deo propitio consequi valeant, Abbatissæ præfati Monasterii pro tempore existenti tot Confessores idoneos presbiteros seculares vel cujusvis Ordinis regulares quot necessarii fuerint annuatim deputandi, qui diebus Dominicis & festivitate prefatis eosdem Christifideles, & eorum singulos confessionibus eorum diligenter auditis a quibusvis eorum peccatis criminibus delictis & excessibus quantumcunque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis non tamen contentis in Bulla in die Cenæ Domini legi consueta absolvere, ac eis pro commissis hujusmodi penitentiam salutarem injungere nec non vota quecunque ultramarina visitationis liminum eorumdem Apostolorum Petri, & Pauli de Urbe ac S. Jacobi in Compostella, nec non religionis & castitatis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeant, plenam & liberam præfata auctoritate earumdem tenore presentium concedimus facultatem presentibus, quas sub quibusvis revocationibus, suspensionibus similium, vel dissimilium Indulgentiarum etiam pro Cruciata Sancta, & Basilica Principis eorumdem Apostolorum aliisque Ecclesiis Monasteriis Hospitalibus & piis locis sub quibuscunque tenoribus & formis ac cum quibusvis clausulis

etiam

etiam per Nos pro tempore factis, nullatenus comprehensas sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, ac de novo concessas esse & censeri ac eisdem Christifidelibus suffragari debere decernimus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod si alias prefatam Ecclesiam visitaverit aliqua alia Indulgentia in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum duratura per Nos concessa fuerit præsentes litteræ nullius sint roboris vel momenti.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1562. Pridie Kal. Octobris Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Cæ: Glorierius.



DE



DE
MONASTERIO
S. ANTONII ABBATIS
Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris.

IN extrema illa Urbis parte quæ Orientem inter & Austrum in angulum procurrit & desinit, portum Littoris Majoris respiciens. & ex viciniore Divæ Helenæ Insula nomen priscis temporibus receperat, *Ponta de S. Lena*; in illa inquam Urbis parte concessum fuit anno MCCCXXXIV. per Majoris Consilii legem tantum paludis, (Veneto vernaculo *Velmæ*.) Marco Catapano, & Christophoro Istrigo, quantum ad passus XL. latitudinis, longitudinis vero LX. extenderetur. Is est legis tenor:

„ *MCCCXXXIV. die XXVIII. Julii in Majori Consilio.*

„ Quod fiat gratia Marco Catapan, & Christophoro Istri-
„ go de Castello, quod de Velma puncte S. Helene, de qua
„ concessa fuit alias Magistro Gualterio, certa quantitas con-
„ cedatur eis per latitudinem passus 40. & per longitudinem
„ passus 60. Quam totam ipsi teneantur atterasse, & clausisse
„ sic

„ sic, quod bene stet, usque ad tres annos cum aliis condi-
„ tionibus, & penis appositis in aliis concessionibus de Vel-
„ mis hujusmodi, & de dando quilibet eorum omni anno
„ unum pulchrum par chirothecarum de camoza Domino Du-
„ ci per honorificentiam dictæ concessionis.

Super concessi loci planitiem in solidiorem formam redacti, jussu, & impensis superius memorati Christophori ædificata fuit lignea quædam domus, quam paulo post pietatis impulsu *Venerabili Viro Domino Fratri Goto de Abbatibus de Florentia Priori Monasterii S. Antonii Viennensis* Congregationis sub ejusdem Sancti Abbatis titulo Viennæ in Gallia anno 1095. institutæ libere sub Prioratus titulo addixit, eamque Prior ipse dilatandæ in Urbe Principe Religionis suæ studio, & majora in dies beneficiorum munera suscipiendi spe ductus libenter excepit. Neque eum sua fefellit opinio, siquidem impetrata prius Nicolai Mauroceni Episcopi Castellani facultate, (A) ex piorum largitionibus magnifica. D. Antonio Abbati ædes ejus cura excitata fuit; cujus primum lapidem venerabili S. Crucis signo sacratum in ipsius fundamentis positum fuisse anno MCCCXLVI. die prima Novembris significat marmorea inscriptio prope Sacrarium Templi affixa.

„ Anno Domini MCCCXLVI.
„ In la Festa d'Ogni Santi in
„ lo tempo dello inclito Mi-
„ xier Andrea Dandolo Doxe
„ di Veniexia, & del Reve-
„ rendo in Christo Pare Mi-
„ xier Nicolò Morexini Ves-
„ covo de Veniexia, fo metu-
„ da la prima piera de que-
„ sta benedetta Gliexia de Mi-
„ xier Santo Antonio de Vie-
„ na, & cantada la prima Me-
„ sa, e fo dado lo dito luo-
„ go per lo honesto religioso
„ Mixier Francioto de li Ab-
„ bati de Florencia de lo or-
„ dene de Mixier Santo An-
„ to-

Anno Domini MCCCXLVI. In festo omnium Sanctorum. Tempore inclyti Domini Andreæ Danduli Ducis Venetiarum, & Reverendi in Christo Patris Domini Nicolai Mauroceni Episcopi Venetiarum positus fuit primus lapis hujus benedictæ Ecclesiæ Domini S. Antonii Viennensis, atque decantata prima Missa locus ipse traditus fuit honesto religioso Dom. Franciotto de Abbatibus de Florentia ordinis Domini Sancti Antonii Viennensis primo Priori, & Fundatori dicti loci. Nobilibus & sa-
pien-



DE
MONASTERIO
S. ANTONII ABBATIS
Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris.

IN extrema illa Urbis parte quæ Orientem inter & Austrum in angulum procurrit & desinit, portum Littoris Majoris respiciens & ex viciniore Divæ Helenæ Insula nomen priscis temporibus receperat, *Ponta de S. Lena;* in illa inquam Urbis parte concessum fuit anno MCCCXXXIV. per Majoris Consilii legem tantum paludis, (Veneto vernaculo *Velmæ.*) Marco Catapano, & Christophoro Istrigo, quantum ad passus XL. latitudinis, longitudinis vero LX. extenderetur. Is est legis tenor:

„ *MCCCXXXIV. die XXVIII. Julii in Majori Consilio.*

„ Quod fiat gratia Marco Catapan, & Christophoro Istri-
„ go de Castello, quod de Velma puncte S. Helene, de qua
„ concessa fuit alias Magistro Gualterio, certa quantitas con-
„ cedatur eis per latitudinem passus 40. & per longitudinem
„ passus 60. Quam totam ipsi teneantur atterasse, & clausisse

„ sic

„ sic, quod bene stet, usque ad tres annos cum aliis condi-
„ tionibus, & penis appositis in aliis concessionibus de Vel-
„ mis hujusmodi, & de dando quilibet eorum omni anno
„ unum pulchrum par chirothecarum de camoza Domino Du-
„ ci per honorificentiam dictæ concessionis.

Super concessi loci planitiem in solidiorem formam redacti, jussu, & impensis superius memorati Christophori ædificata fuit lignea quædam domus, quam paulo post pietatis impulsu *Venerabili Viro Domino Fratri Goto de Abbatibus de Florentia Priori Monasterii S. Antonii Viennensis* Congregationis sub ejusdem Sancti Abbatis titulo Viennæ in Gallia anno 1095. institutæ libere sub Prioratus titulo addixit, eamque Prior ipse dilatandæ in Urbe Principe Religionis suæ studio, & majora in dies beneficiorum munera suscipiendi spe ductus libenter excepit. Neque eum sua fefellit opinio, siquidem impetrata prius Nicolai Mauroceni Episcopi Castellani facultate, (A) ex piorum largitionibus magnifica. D. Antonio Abbati ædes ejus cura excitata fuit; cujus primum lapidem venerabili S. Crucis signo sacratum in ipsius fundamentis positum fuisse anno MCCCXLVI. die prima Novembris significat marmorea inscriptio prope Sacrarium Templi affixa.

„ Anno Domini MCCCXLVI.
„ In la Festa d'Ogni Santi in
„ lo tempo dello inclito Mi-
„ xier Andrea Dandolo Doxe
„ di Veniexia, & del Reve-
„ rendo in Christo Pare Mi-
„ xier Nicolò Morexini Ves-
„ covo de Veniexia, fo metu-
„ da la prima piera de que-
„ sta benedetta Gliexia de Mi-
„ xier Santo Antonio de Vie-
„ na, & cantada la prima Me-
„ sa, e fo dado lo dito luo-
„ go per lo honesto religioso
„ Mixier Francioto de li Ab-
„ bati de Florencia de lo or-
„ dene de Mixier Santo An-
„ to-

Anno Domini MCCCXLVI.
In festo omnium Sanctorum.
Tempore inclyti Domini Andreæ Danduli Ducis Venetiarum, & Reverendi in Christo Patris Domini Nicolai Mauroceni Episcopi Venetiarum positus fuit primus lapis hujus benedictæ Ecclesiæ Domini S. Antonii Viennensis, atque decantata prima Missa locus ipse traditus fuit honesto religioso Dom. Franciotto de Abbatibus de Florentia ordinis Domini Sancti Antonii Viennensis primo Priori, & Fundatori dicti loci. Nobilibus & sapien-

„ tonio de Viena, primo Prior,
„ e fondator del dito luogo.
„ Siando li Nobili, & savi Si-
„ gnori M. Lorenzo Minio, e
„ M. Christofolo Istrigo, e M.
„ Cane Becin, e M. Girardo
„ delli Nevodi, & M. Nicolò
„ Magno Procuratori dello dit-
„ to luogo, per lo qual sia sem-
„ pre fata oratione, per tutti
„ quelli, li quali ha dado, e
„ darà delli suoi beni per le-
„ var questa benedetta Gliexia,
„ e Mixier Marco Catapan,
„ e Mixier Vielmo Stracarol.

pientibus viris, Dominis Laurentio Minio, Cristophoro Istrego; Cane Becino, Girardo de Nepotibus, & Nicolao Magno Procuratoribus ipsius loci, in quo assidue oretur pro iis omnibus, qui ad ædificationem hujus benedictæ Ecclesiæ erogaverunt, vel in posterum eleemosinas erogabunt; *duorum Procuratorum inde nomina subsequuntur* Dominus *Marcus Catapan* Dominus Gulielmus, *vel agnomine*, *vel exercitio* Scrutarius.

Quamvis autem ex epigraphe manus Antistitis haud innotescat, quæ sacrum lapidem in fundamentis jecit, ex vetusto tamen documento in Bibliotecha S. Dominici Venetiarum Ordinis Prædicatorum servato addiscimus Fratrem Stephanum ex Ordine Eremitarum S. Augustini Episcopum Tiriensis Insulæ, & memorati Nicolai Mauroceni Episcopi Castellani Vicarium anno MCCCXLVI. die vero XXIX. Novemb. de ipsius Castellani Episcopi facultate sibi concessa *lapidem primarium, & angularem signatum signo Venerabilis Sanctæ Crucis, & signo S. Antonii* ritu solemni benedixisse, atque inde *in medio fundamenti loco* ubi Ecclesia S. Antonii construenda erat disposuisse. Ea etiam die cæremoniis ad hæc opportunis rite peractis Cœmeterium benedixit, & sanctificavit, atque lustrali aqua per manum Fratris Goti Prioris conspergi mandavit. Hæc autem omnia in publicas tabulas redegit Nicolaus de la Borzetta Patavinus Notarius, qui Consecrationi interfuit (B).

Cum autem ad Canonicorum usum erectus locus videretur angustior, nuper laudatus Christophorus Istricus proprii juris fundum, quod gravibus expensis e circumjacentibus stagnis elevaverat Canonicis Regularibus S. Antonii Vienensis perpetuo munere contulit anno MCCCLX. eo intuitu, ut arctæ domus ædificia ampliori spatio dilatarentur, (C) Latioris vero Cœnobii structura ut citius exurgeret, Nicolaus Leonus D. Marci Pro-

Procurator, atque alii ex gente Pisana viri nobiles collatis opibus egregie adjuverunt. Templo novissimum decus addidit Familiæ Grimani eximia religio, quæ illud in ornatiorem formam redegit tum interiori ædificatione sacelli, tum exteriori ex marmore extructione faciei, quæ brevi insculta Epigraphe authoris nomen, & merita manifestat: *Petrus Grimanus Antonii Principis F. Prior Ungariæ.*

Præter superius recensita fundationis monumenta, aliud datum est invenire ex Bibliotheca S. Dominici excerptum, atque propria manu exaratum Thomæ Donati ex Ordine Prædicatorum in Conventu S. Dominici Venetiarum Alumni, mox Venetiarum Patriarchæ. Ex eo instruimur de quadam controversia exorta inter Canonicos S. Antonii, & Religiosos S. Dominici ratione viæ & pontis, quibus a S. Dominico ad Sanctum Antonium iter est, cujus quidem differentiæ casus ibi ex ordine describitur. Ipsum qualem Illustris Vir concinnavit exhibemus.

„ Casus super differentia quæ vertitur inter Sanctum Anto-„ nium & Sanctum Dominicum pro quodam affictu stratæ qua „ itur a S. Dominico ad S. Antonium.

„ Cum in 1346. datum fuisset principium Ecclesiæ, & Mona-„ sterio S. Antonii de Venetiis per Venerab. F. Gotum, primum „ Priorem præfati loci, Ord. S. Antonii de Vienna, videns ipse „ Prior cum Gastaldione Scholæ non habere viam, ut commo-„ de illuc posset adiri, impetratum est a Majori Consilio, ut „ dictæ Ecclesiæ gratia concederetur pro reverentia S. Antonii „ construendi unum pontem, per quem esset aptus aditus ad „ eundum ad prædictum locum, & hæc impetratio obtenta „ fuit in 1347. sed quia non sic adhuc poterat plenum, & li-„ berum aditum habere, eo quod nullum principium viæ pu-„ blicæ extabat, convenit Prior S. Antonii cum magnificis „ DD. Procuratoribus de Citra, tanquam Commissariis Ma-„ gnifici Dom. Marini Georgii Ducis exsolvere singulis an-„ nis Ducatos duos, ut ipsi D. D. Procuratores aditum præ-„ starent eundi ad S. Antonium, qui concesserunt, quod peti-„ tum fuerat, faciendo stratam unam in medio proprietatis „ Fratrum prædictorum, videlicet S. Dominici, & Hospitalis „ Domicellarum, ut nunc patet per introitum coopertum su-„ per cœmeterium, & proprietatum S. Dominici, per quem

„ itur ad S. Antonium, quæ proprietas empta fuit ex bonis
„ provenientibus Principis, qui voluit, ut ædificato Monaste-
„ rio S. Dominici duodecim Fratribus daretur victus, & ve-
„ stitus ex bonis suis, ut quotidie ejus memoriam facerent.
„ Inter quæ bona tres ducati præfati computantur, qui qui-
„ dem affictus ultra 130. annos solutus fuit a Priore S. Anto-
„ nii. Insuper quia de Ponte constructo lis orta fuit in 1358.
„ inter quemdam Cyrugicum Magistrum Lucianum Martel-
„ lam, & illos de Schola S. Antonii, eo quod pons ipse fun-
„ datus erat pro bona parte super Velmam dicti Magistri Lu-
„ ciani per sententiam latam a Serenissimo Principe Joanne
„ Delphino sub eodem millesimo, compelluntur illi de Scho-
„ la Pontem destruere infra mensem per passus 51. & duos
„ pedes. Verum quia talis destructio cedebat in totale dam-
„ num S. Antonii, illi de schola præfati Sancti convenerunt
„ cum dicto Magistro Luciano Martella exsolvere pro affictu
„ pontis singulis annis ducatos xv. quos exsolverunt per plu-
„ res annos; in 1366. cupiens præfatus Magister Lucianus re-
„ habere quamdam domum positam in S. Vito, quam Provi-
„ sores Bladorum abstulerant cuidam patruo præfati Luciani
„ pro debito frumenti, convenit cum illis de Schola paciscen-
„ do in hunc modum, videlicet quod Gastaldio teneatur pro-
„ curare, ut Majus Consilium per gratiam faciat restituere
„ ipsam domum ipsi Magistro Luciano exsolvendo singulis an-
„ nis ducatos 30. usque ad completam satisfactionem, quæ erat
„ ducatorum sexcentorum, qua solutione facta dictus Magi-
„ ster Lucianus efferebat gratanter dimittere Monasterio San-
„ cti Antonii affictum pontis: Ita tamen ipsa via pontis esset
„ semper communis omnibus locis præfati Magistri Luciani,
„ tam per terram, quam per aquam. Item quod etiam simi-
„ liter via, de qua Prior S. Antonii solvit affictum D. D. Pro-
„ curatoribus sit communis omnibus locis dicti Magistri Lu-
„ ciani cum ipsa via Pontis; & hoc, quod petitur per majus
„ Consilium concedatur, prout est expressum, ut patet in lib.
„ 13. Gratiar. fol. 60. His peractis Prior S. Antonii more so-
„ lito exsolvit affictum stratæ, seu viæ, & etiam translato
„ Monasterio Fratribus S. Salvatoris de Venetiis Priores, qui
„ fuerunt pro tempore, videlicet ad annum 1487. exsolverunt
„ dictum affictum in 1488. quidam Prior cœteris sapientior,

„ vi-

„ videns uti via ipsa, sed nolens solvere antiquum affictum,
„ & continuatum ultra 100. annos per præconem facit ovitum,
„ seu cognitum DD. Procuratoribus nolle amplius solvere prædictum affictum, cum tamen Fratres sui utantur
„ eadem via concessa cum pacto, ut superius est expressum.
„ Unde cum Fratres S. Dominici sint privati proprietate sua
„ tam per Majus Consilium propter pacta superius nominata,
„ quam per antiquissimam, & præscriptam consuetudinem,
„ insuper priventur, & nunc affictu suo respectu cogniti: Quæritur, an justum sit hoc, ut Prior, & Fratres S. Antonii
„ utantur re concessa cum affictu, & renuat exsolvere affictum, maxime cum usum dictæ viæ cum remissione affictus pontis concessit tertiæ personæ, vid. s. Magistro Luciano, nec valeat amplius via claudi propter concessionem Majoris Consilii supra expressam, & propter aditum communem Magistro Luciano concessum..... Fratres S. Dominici
„ super cujus Cymiterium habet principium talis via, non
„ possent amplius in usum proprium viam claudere, nec aliis
„ affictare, nec locare, cum inter partes superius expressas facta sit conventio de via ipsa, ut sit communis omnibus locis Magistri Luciani, ex quo sequitur, quod facta sit communis omnibus ire volentibus ad S. Antonium, quia ex hac
„ intentione, & concessione accepta a DD. Procuratoribus,
„ Tutoribus Fratrum S. Dominici, nam alium aditum non
„ habebant illi de S. Antonio eundi ad Monasterium suum
„ per terram, nisi per hanc viam. Item facta est communis
„ omnibus locis Magistri Luciani jure concessionis superius expressæ, & confirmatæ per Majus Consilium. Item erecto
„ novo Hospitali juxta S. Antonium facta est via ipsa communis Hospitali. Unde propter supradicta Fratres S. Dominici non solum privarentur affictu, si non solveretur propter talem ovitum sed etiam proprietate sui fundi, de quo
„ ultra non possunt disponere propter supradicta pacta & consuetudines.

Monasterium itaque hoc Viennensis Canonicorum Congregatio incoluit usque ad annum MCCCCLXXI. quo Veneti Senatus preces Romano Pontifici suppliciter oblatæ in caussa potissimum fuerunt, ut ad Congregationem Canonicorum Regularium S. Salvatoris pleno jure transiret ejusque possessionem per

impositionem annuli iniit Petrus Michael S. Salvatóris Venetiarum Vicarius & Procurator.

Duo itaque ex eo tempore Congregatio S. Salvatoris in urbe Venetiarum possedit illustres Canonicas, quarum Prioribus, jam ex Apostolica concessione mitræ & Pontificalium usu fruentibus, indulsit Innocentius VIII. anno MCCCCLXXXIX. ut vestes sacras benedicere, & Novitios ad Minores Ordines promovere valerent (D). Iis Apostolicæ liberalitatis indultis adjecit Alexander VI. anno MCCCCLXXXXIII. ut quoties in suæ Congregationis Ecclesiis solemnem in Pontificalibus missam celebrarent *Christifidelibus Missis bujusmodi interessentibus* quadraginta dierum indulgentiam elargiri possent, atque Ecclesias & loca sacra dictæ Congregationis quomodocunque polluta reconciliare (E).

Copiosis iisque præclaris Sanctorum lipsanis ditatur Ecclesia, inter quæ eminent præstantiores D. Antonii titularis Manus carne adhuc cooperta, cui aliqui desunt digitorum articuli, argentea theca inclusa; Tibia cum adjacente pede S. Hieremiæ Prophetæ carne pariter adhuc circum superstite.

Os brachii S. Bartholomæi Apostoli.
Os brachii S. Matthæi Apostoli.
Os brachii S. Margharitæ Virg. & Martyr.
Os brachii S. Panthaleonis Martyr.
Duo Capita Sociarum S. Ursulæ Virg. & Martyr.
Digitus S. Magni Episc. Confessoris.
Duo Dentes S. Mercurii Martyr.
Articulus Digiti S. Bernardi Abbatis.

Multis præterea excellentium seu pictura, seu sculptura authorum operibus per varia Altaria dispositis exornatur, e quibus præ cæteris spectandam sese offert Victoris Carpatii tabula, quæ decem millium Martyrum agonem in Monte Ararath consumatum admirabili labore representat. Ara Divis Martyribus erecta fuit in grati animi perpetuum documentum, propter Cœnobii incolas mirabiliter a pestifera lue Divorum horum Martyrum intercessione preservatos; quod testantur a latere Aræ affixæ epigraphes, atque vetustum Ecclesiæ documentum in ms. codice exaratum, quo causa erectionis ipsius Altaris

taris

taris fuso sermone proponitur. Et Epigraphem, & documentum ad rei ornatum adnecto.

D. O. M.

„ Martyrumque decem millibus Hector Octobonus Patruus
„ Templi Antistes vovit in pestilentia, Antonius Contarenus
„ ex Canonico loci Pont. Venetus, ligno Crucis, ipsorumque
„ Martyrum additis Reliquiis sacravit MDXII.

„ Causa Erectionis Altaris SS. Decem millium Crucifixorum
„ in Ecclesia S. Antonii Abbatis Venetiarum.

„ Ad perpetuam Decem millium Crucifixorum memoriam.
„ Cur Altaris hujus hoc marmoreo sumptu adauctus erectus-
„ que sit titulus, vera mens pia, & fidelis instructa testante
„ Deo, & Angelis ejus addiscat legendo. Me Fratre Francis-
„ co Antonio Ottobono Patrum meorum nutu hoc Cœnobium
„ gubernante contigit, quod Frater quidam Joannes Andreas
„ de Venetiis Anno Dominicæ Incarnationis MDXI. Die x.
„ Junii ex Monasterio nostro S. Mariæ de Insulis Vicentinæ
„ Diœcesis Tarvisium profecturus sacris illic a patribus nostris
„ obsequii mancipatus Venetiis æger applicuit, unoque die in
„ S. Salvatoris hospitio cum omnibus est conversatus, subin-
„ de ad nos huc se contulit: qui ut moris est ab omnibus
„ fraterne recolitur, & paulo post gravi morbo laborare cœ-
„ pit. Nos autem ut decet, vigili cura, & omni diligentia
„ ægrotum confovemus: verum epidemiæ morbo laborare con-
„ vincitur: Hoc debacante trium dierum termino e vivis su-
„ blatum deploravimus. Qua re comperta triumviri sanitatum
„ domuum jubent utriusque Cœnobii postes obsignari. Nos ve-
„ ro hinc inde in maximis angustiis clausi anxie urgebamur;
„ Defuncti jactura: Tanti mali genus, & discrimen: Victus
„ non mediocris penuria oppressos sollicitabant: nil nisi vota
„ precesque supererant. Ad Deum omnia cordis nostri suppli-
„ cantes dirigimus: ut de his cunctis sua solita pietate, & mi-
„ sericordia nos trepidantes eriperet. Noveramus enim quod
„ numquam Dominus in se sperantes dereliquit: Verum jux-
„ ta est Salvator pius his qui tribulato sunt corde. Idcirco
„ benignus Deus nec nos in tempore malo deseruit. Nam a
„ quibusdam benefactoribus nostris quorum nomina scripta sunt
„ in cælis quidquid communi victui fuerat opportunum sem-
„ per allatum fuit. Sugerente præterea nobis almæ urbis hu-

„ jus

„ jus patritio integerimo, & ex primatibus præcipuo, cujus no-
„ men in libro vitæ conspicuum pagina nostra studiose con-
„ ticuit: ut omnes unanimes nostris solitis precibus horum
„ martyrum Crucifixorum patrocinia pie, & humiliter implo-
„ raremus. Quibus annualem solemnitatem, & alia devoven-
„ tes pro nobis apud Omnipotentem Deum deprecatos, & exau-
„ ditos fuisse credimus. Dum enim Monasterii hujus tot in
„ curis moderamine fungerer, requies rara dabatur: sancto-
„ rum suffragia attritus assidue exorabam. Contigit autem in
„ octavarum Apostolorum Petri, & Pauli crepusculo, quod
„ repulso penitus somno in stratu tamen dessessus obortis la-
„ crymis mestus ad coellulæ nostræ oratiunculum, in quo San-
„ ctorum Hieronymi, & Antonii ymagines intextæ conspi-
„ ciuntur, me converto; ad Dominumque hæc effundo suspi-
„ ria. Tu Domine Sancte Pater Omnipotens respice super hanc,
„ quam redemisti, familiam tuam, meque cum ipsa sub alis
„ tuis protege, tuaque solita nos clementia benignus prose-
„ quere: Si decreveris continuo libabimur: si absueris horren-
„ dæ mortis genus quomodo vitabimus? His & aliis effusis
„ precibus somni pars rursus labore fessos furatur oculos: Vix
„ inopina quies primos laxaverat artus; dum visum est mihi
„ ante Divi Antonii altare flexis genibus ad Deum preces ite-
„ rare. Quod dum agitur majores Ecclesiæ valvas obstrepe-
„ scentes visum est audivisse; subinde vocem dicentis. Attol-
„ lite portas; Quibus dictis patefacta sunt majora Ostia: sta-
„ timque numerosa multitudo latam aream, lacunasque con-
„ vicinas densa contegens aspicitur, quam preibat unus ætate
„ grandevus; incessu maturus, forma verecundus, intonsus bar-
„ ba, totoque aspectu decorus, sandaliis, hiacintina Dalma-
„ tica, chirothecis, pallio, mitra, Pontificalique baculo con-
„ spicuus. Quem omnes bini, & bini Ecclesiam ingredientes
„ in hymnis & canticis suaviter sonantes prosequebantur. Hoc
„ mirabile dictu defixus conspicio, hi omnes erant pari modo
„ coronati: singuli singulas cruces conferre cernebantur, æta-
„ te, forma, & habitu paulisper divisi. In medio Ecclesiæ om-
„ nes proni flectuntur; Quibus genuflexis vir ille prædictus
„ quem Petrum fuisse cujus octava agebatur pie crediderim:
„ pontificum more solemnem impartivit benedictionem:
„ mox omnium hæc species evanuit. Quibus recedentibus ex

„ D. An-

„ D. Antonii statua vox ita visa est fari. Ne dubites, constans esto, Scitoque omnium horum suffragiis ab imminenti periculo vos fore salvatos. His visis, & auditis, quibus autem meritis bonorum dator optimus novit, quia fratrum charissimorum meorum Canonicorum Regularium jejunantium mecum & orantium assidue devotione, & merito mihi peccatori & famulo suo indigno viscera misericordiæ suæ aperiens, quantum valeat ad ipsum jugis oratio, & tot Sanctorum Martyrum felix protectio ad ejus laudem, & fidelium salutem hoc indicio voluit demonstrare. Penitus somno excutior, & valde tutus, ac letus affectus convocato trepidantium fratrum cetu id edoceo rem ordine pandens. Inde omnes alacres unanimiter congratulantur. Rei autem eventus non falsis imaginationibus mentem fuisse delusam comprobavit: nam & nostrum, & ex quatuor conviciniori-bus Monasteriis fratres qui cum antedicto defuncto absque ullo discrimine fuerant conversati illæsi, & nulla prorsus contagione impliciti Dei benignitate immunes evaserunt. Mirabilis profecto Deus in Sanctis suis, qui omnibus dat affluenter, & non improperat: & id quod per Evangelistam suum locutus est, cum dixit; Quidquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis; adimpletum est quoque in nobis. Hac re commonitus nepos noster Hector Octobonus pietate insignis, gratitudine conspicuus, ad Sanctorum Crucifixorum laudem, & perpetuam memoriam hoc altare ut verus Israelita erexit sumptuosum. Ad horum etiam gratitudinis nostræ pro posse vicissitudinem rependendam decretum est, ut quotannis Sanctorum celebris memoria suo natali die XXII. Junii ab universis fratribus hic pro tempore degentibus in Christi nomine recolatur.

In eodem supradicto codice Officium quoque Ecclesiasticum continetur ad Canonicorum usum in solemnitate Sanctorum Martyrum recitandum, cujus Lectiones, Hymni, Antiphonæ, & Responsoria ex ipsorum Martyrum Actis conflata sunt. Hoc utpote ab instituto nostro alienum omittendum duximus.

Duo Venetiarum Duces Antonius Grimanus & Petrus Landus atque quamplurimi Veneti Heroes jacent in hac sacra æde tumulati, quorum nomina, & gesta ex Inscriptionibus appositis connotantur. Omnium autem celeberrimus est Victor Pisanus.

Hic

Hic in Januensi bello Venetarum rerum fortissimus reparator, dum ex Jadera Dalmatiæ Urbe quamvis gravissimo morbo laborans Januensium classem persequitur, fugato, profligatoque hoste Sipontum veniens ad superos evolavit, ejus autem corpus magnifico funere elatum Principe & Senatu comitantibus totius Urbis cum mœrore ad D. Antonii Ædem delatum est, statuta proinde ad perennem Maximi Viri gloriam Imperatoria statua, quæ ad ejus conspicui sepulcri ornatum in Sacello maximo collocata est hac subjecta epigraphe.

„ Inclytus hic Victor Pisanæ stirpis alumnus
„ Janorum hostilem Venetum caput æquore classem
„ Tireno stravit, hunc Patria claudit; at ille
„ Egreditur clausam referans ubi Brundulus altis
„ Stragibus insignis deduxit in æquore Brintam
„ Mors heu magna vetat tunc cum mare classibus implet.

Ad Beatæ Virginis Aram adjacens lapidea inscriptio Nicolai Capelli Venetæ Classis Præfecti merita & virtutes exhibet.

„ Nicolao Capello qui Classi Præfectus a Bajasite Othomano Imperatore Rempublicam persequente eam fortiter ac feliciſſime tutatus est, Cypro Insula servata Dum Venetias ovans revertitur, Corcyræ laboribus confectus, satis gloriæ vixisset, fato suis, ac patriæ iniquo præripitur. MCCCCXCI. Vixit annos LV. M. X. Vin. & Dominicus F. pietatis, & virtutis ergo P.

Altare Gentis Pasqualicæ Christo Crucifixo dicatum est atque ad ejus latera hæ visuntur epigraphes.

„ Petrus Pasqualicus Doctor celeberrimus Eques præclarissimus Perfectus Orator Optimus Senator Legationibus ad Lusitaniæ, Ispaniæ, Britaniæ, Hungariæ, Reges Imperatoremque Max. & Burgundos feliciter gestis Legatus ad Franciscum Galliæ Regem Mediolani diem suum obiit Anno Domini 1515.

„ Franciscus Gallorum Rex Petri Paschalici virtutes tanti fecit, ut ejus funus magnifica, & publica pompa Mediolani celebrandum, & oratore ad hoc ipsum destinato, cadaver honorifice comitante in patriam reportandum curaverit quod in hoc monumento conquiescit. Vixit Annos XLIII.

Memo-

Memoratum Martyrum Crucifixorum Altare præter jam relatam epigraphem aliis circumdatur marmoreis elogiis, quibus ex Ottobona Gente clarissimi viri extolluntur.

„ Stephano Patri Antonio Avo Hector Ottobonus Monu-
„ mentum. Hic Euboicum portum ab hoste occupatum, tre-
„ pidante classe navi sua solus ingressus est. MCCCCLXX. Ille
„ prælio navali ad Coryphasium expugnata, Turcarum ma-
„ xima navi igne concepto comburitur M. Patriæ uterque
„ natus, non sibi.

„ Leonardo pietate insigni felicitate amabili in Patria fide
„ spectato longa Magni Cancellarii Præfectura cunctis Patri-
„ bus, boni Civis egregie functo senioque verius quam mor-
„ bo confecto.

„ Joanne Francisco Ottobono spectatæ sapientiæ viro, Ma-
„ gno Venetiarum Cancellario, de Patria, de Rep. optime
„ merito; admirandæ fidei virtutis animi nunquam intermo-
„ rituro exemplo.

In Sacello quoque ubi Petri Landi Ducis Venetiarum Corpus quiescit nonnulla conspiciuntur ex ipsius familia Illustrium Virorum simulacra quorum nomina & elogia in epigraphes digesta sic leguntur:

„ Petro Lando Venetiarum Principi post varias pace & bel-
„ lo in Urbe munerum publicorum dignitates: foris, prætu-
„ ris, præfecturis Patavina præsertim iterum administratis, ad
„ Maximilianum Imper. & Leonem X. Pontif. Max. Legatio-
„ nes obitas classis cum summo imperio bis præfecto, Apulo
„ bello Neapolisq. obsidione egregie functo ex D. Marci
„ Procurat. ad Principatum evecto Landa familia Proavo Opti-
„ mo Monum. posuit. Vixit Ann. 83. Principatum tenuit An.
„ 7. ob. an. 1545. 8. Novembris.

„ Antonio Lando Hieronymi Corcyræ in summa Præfectu-
„ ra defuncti filio, Petri Principis Pronepoti, qui in cruento
„ Navali adversus Turcas prælio sanguinem impendit. Patriæ
„ mox justitia, omnibusque pacis artibus clarissimus Patavii
„ Prætor, Militaris annonæ supremus curator, Brixiæ Præfe-
„ ctus, D. Marci Procurator, totiusque continentis cum sum-
„ mo imperio iterum Legatus proavi decora præter summum
„ fastigium æquavit. Hieronymus Lando Eques parenti optimo
„ posuit. Vixit annos LXIV. D. XII. Ob. XII. Kal. Feb. MDCXVIII.

„ Joanni Lando Hieronymi filio, Antonii D. Marci Proc.
„ fratri, Senatori præſtantiſſimo, pietate, religione, innocen-
„ tia late coſpicuo. Ex opibus ſuis nihil ſibi, præter jus lar-
„ giendi indulſit. Deo aſſidue, & Patriæ inſerviens optime
„ meritus, maxima tamen animi moderatione ad honorum
„ culmina capeſſenda, ſuſtinendaque non ſibi, ſed fratribus
„ ſummo ære, ac labore eſt ſuffragatus, qui ſex pulcherrimo
„ familiæ documento una concorditer, atque adeo feliciter
„ longævi vixere. Hieronymus Lando Eques magna ejus libe-
„ ralitate auctus paterni animi parvo ingentium meritorum
„ exiguum Hoc M. D. Vixit Ann. LXXIII. M. VII. Ob. XVIII.
„ Kal. Jan. MDCXXXVI.

„ Hos habuit cultus. Vitalis Lando Hieronymi filius, An-
„ tonii Procurat. Frater. qui inoffenſo gradu per omnes ho-
„ nores vectus, conſiliarii munere non ſemel auctus, Patavi-
„ na Præfectura præcipue enituit. demum acerbiſſimis articu-
„ lorum doloribus, a publicis curis abductus, cum octo, ac
„ ſexaginta annos expleſſet, mortalitatis reliquum in eremo
„ Camaldulenſium ad colles Euganeos humari mandavit, Hie-
„ ronymus Lando Eques Patruo B. M. cenotaphium poſuit.
„ Deceſſit anno MDCXXXI. Nono Kal. Decemb.



Nico-

Nicolaus Maurocenus Episcopus Castellanus facultatem concedit Fratri Gotto de Abbatibus de Florentia Canonico Regulari Congregationis Viennensis construendi Ecclesiam, & Hospitale sub nomine S. Antonii de Vienna.

A 1346. 31. Octobris.

Ex Archivo S. Dominici de Venetiis Ordinis Prædicatorum.

IN Christi Nomine Amen. Anno ejusdem Nativitatis MCCCXLVI. Indictione XIV. die ultimo Octobris Venetiis in Episcopali Palatio Castellano, & in camera infrascripti D. Vicarii Castellani presente Rev. in Christo Patre Fr. Stephano Dei gratia Episcopo Tyrien. Insulæ, D. Jacobo de Fugaciis de Bononia Decretorum Doctore, Vicario Rev. in Christo Patris & Dom. Dom. Nicolai Dei gratia Episcopi Castellani, D. Joanne de Premarinis Decretorum Doctore Plebano Ecclesiæ S. Mariæ Formosæ de Venetiis, & aliis testibus rogatis. Rev. in Christo Pater & Dominus Dom. Nicolaus Dei gratia Episcopus Castellanus audita & intellecta supplicatione Ven. Viri D. Fr. Goti de Abbatibus de Florentia Prioris seu Præceptoris cujusdam domus de lignamine coopertæ de cupis, nuper ædificatæ ad ejus instantiam, & honorem, & reverentiam B. Antonii Viennensis super terreno novo, elevato in velmis, & aquis communis Venetiarum a pauco tempore circa super punctam S. Helenæ, Castellanæ Diœcesis, supra, seu juxta Canale Magnum, quod discurrit a dicto Monasterio S. Helenæ versus S. Marcum de Venetiis, & a S. Marco versus Monasterium S. Helenæ dictæ Diœcesis, nulli alii terreno conjuncto, sed aquis ab omnibus partibus circumdato infra Castellanam Diœcesim, inter cætera continentur, quatenus dignaretur licentiam concedere super dicto territorio, & in dicta domo sibi dicto nomine Prioratus spectante Ecclesiam, & Hospitale construendi, & elevandi ad honorem B. Antonii Viennen. ubi etiam cœmeterium esse possit, quæ omnia per Priores seu Præceptores, & Fratres dicti loci ad dicta deputatos per Superiores suos debeant gubernari; Justis petitionibus annuens, & cupiens divinum cultum augeri dicto præceptori sive Priori suo nomine & successorum suorum licentiam concessit, & liberam facultatem super sæpedito terreno & domo erigendi & construendi Ecclesiam & Hospitale, quæ sint unum corpus sub nomine & vocabulo S. Antonii de Vienna, ubi possint esse Altare, & Altaria, campanile cum campanis, & Fratres, qui Missas celebrent & dicant die noctuque Divina Officia. Possint etiam Præceptores, seu Priores dicti loci, seu locum eorum tenentes facere ibidem celebrare per Presbyteros sæculares a D. Episcopo prædicto, vel a successoribus petita, & obtenta licentia, & cœmeterium ordinandi & faciendi, in quo quilibet fidelis possit sibi eligere sepulturam, & admitti & domos, & ædificia facere necessaria pro habitantibus ibidem præsentialiter, & in futurum auctoritate ordinaria, causa cognita omni modo, quibus melius potuit, concessit potestatem plenariam, & indulsit non intendens Ecclesiam prædictam Parochialem facere, sed sibi & successoribus suis retinuit potestatem prædictam super toto dicto terreno novo elevato, & quod continue actualiter elevatur, disponendi, & Parochialem Ecclesiam ordinandi, quando Domino dante erit elevatum & habitatum, & multiplicatum in personis, & domibus, ita tamen quod Fratres Sacerdotes dicti loci possint sibi invicem, & Familiaribus

bus propriis, & infirmis in Hospitali ministrare omnia Ecclesiastica Sacramenta, & in signum, & recognitionem auctoritatis Episcopalis teneantur ipse Præceptor, sive Prior, & successores singulis annis in perpetuum in Festo S. Antonii de Vienna dare, & præsentare ipsi D. Episcopo vel ejus successoribus facere præsentare & dimmittere annis singulis perpetuo juxta morem festivitatum Ecclesiarum Civitatis Venetæ & Diæcesis Castellanæ, retinens ipse sibi, & successoribus suis omnimodam potestatem declarandi, & dilucidandi, corrigendi semel & pluries omnia gesta, dubia, ambiguitates, obscuritates, si qua vel si quæ occurrent in prædictis, seu aliquo prædictorum, quaque ratione, vel causa, seu quovis tempore proximo vel longinquo.

Ego Bonaventura de Fribaldis Imperiali auctoritate Not. publicus & Curiæ Castellanæ Scriba suprascriptis omnibus & singulis interfui & rogatus scribere scripsi.



Stephanus Episcopus Tyriensis (a) *ponit primum lapidem in fundamento Ecclesiæ Sancti Antonii Viennensis, atque benedicit Cœmeterium.*

B. 1346. 29. Novembris.


Ex Archivo S. Dominici Venetiarum Ordinis Prædicatorum.

ANNO Domini a Nativitate millesimo trecentesimo quadragesimo sexto Indictione Quartadecima die vigesimo nono Mensis Novembris Venetiis in loco, ubi Ecclesia S. Antonii debet construi, super Canale, quod discurrit versus S. Nicolaum de Littore supra terrenum ſ. Thomæ Mauro, præsente Rev. Viro Fr. Aymone Præceptore .... & totius Romani Ordinis S. Antonii D. Fr. Lantelmo ejusdem Ordinis, D. Fr. Francisco de Cancell. D. Præsbytero Angelo de Aquila filio q. D. Petri, Magistro Guglielmo Strazzarolo, omnibus habitatoribus Venetiarum, & familiaribus infrascripti D. Episcopi Tyriensis testibus spetialiter ad hoc vocatis & rogatis. In præsentia dictorum testium & mei Notarii infrascripti Reverendissimus in Christo Pater & Dom. Dom. Fr. Stephanus Ordinis S. Augustini Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Tyriensis Insulæ Vicarius Ven. in Christo Patris & Dom. Dom. Nicolai Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Castellani, & hunc ad hoc specialiter licentiam, & mandatum ab eodem Reverendiss. Dom. Episcopo, ut patet de ipsa licentia & mandato Instrumento publico scripto manu ſ. Bonaventuræ de Frabaldis, nomine præfati Dom. Episcopi Castellani, ut dixerunt, existentes in loco Sancti Antonii coram quodam Altari ibi existente. Indutus apparatum Episcopalem consecravit & sanctificavit quemdam lapidem sacrum signatum signo Ven. S. Crucis, ac signo S. Antonii, ab una parte, existentem super ipso Altari, legens

(a) Tyrus olim clarissima urbs Phœniciæ Archiepiscopalis, primum sub Patriarcha Antiocheno postea sub Hierosolymitano. De ea Martinierius in suo Dictionario Geographico Littera T. In hoc Diplomate dicitur *Tyriensis insulæ Episcopus* fortasse quia ut refert Notò lib. v. cap. xix. Olim fuit Insula; & mari finitima est. *Tyrus quondam insula* præ alto mari septingentis passibus divisa; nunc vero Alexandri opugnantis operibus continens.

gens super ipsum lapidem orationes, & etiam faciens, quæ super talibus Sancta Mater Ecclesia statuit observandum. Unde præfatus D. Episcopus Candelis sive dupleriis accensis, lectis & cantatis orationibus, & psalmis, & factis omnibus aliis, quæ in his fieri solent, juxta observantias Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, suis propriis manibus posuit & consignavit ipsum lapidem primarium angularem in medio fundamenti loco, ubi dicta Ecclesia S. Antonii debet construi & ædificari. Cui loco cohæret ab una parte Canale, quod discurit versus S. Nicolaum de littore, ab alia parte terrenum f. Thomæ moro, ab aliis duabus partibus aqua, sive jura Communis Venetiarum. Postmodum autem D. præfatus Episcopus Tyriensis benedixit, & sanctificavit aquam, vinum, salem, & cuncta simul miscendo, & accedens ad locum, ibi juxta positum in dictos confines, ubi Cœmeterium dictæ Ecclesiæ S. Antonii construi & esse debet in medio ipsius loci se prosternens candelis accensis, & positis primo quinque Crucibus, & ipsum locum Cœmeterii benedixit, & sanctificavit de prædicta aqua sancta super ipsum locum Cœmeterii spargendo suis manibus propriis, & per totum ipsum Cœmeterium faciens de ipsa aqua spargi per Dominum Fratrem Gotum Priorem & Præceptorem dictæ domus.

Ego Nicolaus filius q. Francisci de la Borzetta de Padua, nunc habitans Venetiis in Contrata S. Bassi, imperiali auctoritate Not. publicus his omnibus interfui.



Christophorus Istrego terram sitam in confinio Sancti Petri de Castello concedit Fratri Gotto Priori Monasterii Sancti Antonii Viennensis.

C 1360. 27. Aprilis.

Ex Archivo S. Dominici Venetiarum Ordinis Prædicatorum.

IN Nomine Dei Æterni amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo tercentesimo sexagesimo mense Aprilis die quarto exeunte Indictione Decimatertia Rivoalti. Cum a Deo Patre luminum infundatur gratia in cordibus hominum semper cogitandi quæque recta sunt, dicente in Psalmo David S. Joanne Evangelista in persona Christi: Ego sto ad ostium, & pulsanti aperio. Ideoque mihi Christophoro Istrego diu cogitanti fructum tanti spiritualis eloquii ipse Deus propitius cor aperuit, viam ostendit, & gratiam inspiravit meditandi, & imaginandi, quomodo quasdam meas possessiones, sive terras sitas in aquis confinii S. Petri de Castello supra Canale discurrente ad portum S. Nicolai de Littore alicui devoto religioso viro volenti facere ædificari, & construi in illis aliquod Monasterium, vel Ecclesiam ad honorem S. Antonii de Vienna, possem dare, & jus, & dominium, quod in illis habebam in ipsum transferre plene. Et sic in ista sancta meditatione me perseverante, ipse opus erudivit, & docuit. Cujus dati, donationis, transactionis, & offertionis seriem, & veritatem ne ipsa queat latere posteris, Cunctis volentibus ipsam lucidam cernere notifico sub hac forma. Promittens promitto Ego Christophorus Istrego prædictus de confinio S. Barnabæ cum meis hæredibus & successoribus, habens unum terrenum liberum, & expeditum, in aquis situm, superius memoratum, quod cum laboribus maximis, & expensis acquisivi & elevavi de aqua. Cupiens prædictum meum terrenum

num jure directo ad me pertinens, magis divino cultui disponere, quam humano dandi, donandi, transactandi, & afferendi libere, & expedite fine aliquo onere, vel gravamine Vobis Vener. & religioso Viro D. Fratri Goto Priori Monasterii S. Antonii Viennensis jam constructi, & ædificati in dicto meo tereno ab annis quattuordecim circa, seu vestris successoribus, recipienti, & recipientibus vice, & nomine S. Antonii Viennensis prælibati, in quo reverentiam, & devotionem maximam habeo: & ad cujus honorem prædictam meam possessionem, & tale terrenum aquosum originaliter & principaliter acquisivi, ut in ea & in eo ædificaretur aliquod Monasterium vel Ecclesia Venerandi & Sanctissimi confessoris prædicti Antonii vocabulo nuncupata, quam Ecclesiam & Monasterium vos præfatus D. Fr. Gotus Prior, quam citius potuisti ædificare fecisti. Et prædictum meum terrenum, & possessionem meam vobis predicto D. Priori, & omnibus vestris successoribus dabo, tradam, donabo, & offeram, liberaliter largiendi per me, vel hoeredes, & successores meos pro amplificatione dicti vestri Monasterii jam facti, constructi, & ædificati, ut superius prænotatur, cum ordinibus, & solemnitatibus Communis Venetiarum sub pacto tamen & conditione talibus omnifariam & penitus observandis. Videlicet quod una sepultura, quam feci fieri ex opposito Altaris Majoris Ecclesiæ pro me & omnibus meis hæredibus & universis descendentibus meis, & pro quocunque consanguineo & propinquo meo, quem, & quos vellem ibi corporaliter sepeliri, semper mea, & in perpetuum permaneat & mei juris existat, nemine valente ipsam meam sepulturam removere, nec in ea aliquod Corpus extraneum seppelire, mihi semper inexistente potentia prædictum sepulcrum mutandi, & de illo loco ad quemlibet alium locum Ecclesiæ transferendi, ad meæ beneplacitum voluntatis.

Ad quæ Ego præfatus Fr. Gotus Prior prælibati Monasterii S. Antonii Viennensis consentio, & humiliter adquiesco cum omnibus meis successoribus. Ut autem hæc omnia inter nos vicissim firmiter observentur, hanc promissionis cartam invicem duximus faciendam, promittentes cum nostris hæredibus, & successoribus ad invicem, & vicissim una pars alteri, quod omnia, & singula suprascripta firmiter observabimus, & adimplebimus secundum quod superius sunt adnotata, eamdem approbantes modis omnibus, quibus possumus. Si igitur contra hanc promissionis & pactionis cartam ire temptaverit aliquis nostrum, tunc emendare debeat cum suis hæredibus, & successoribus auri libras quinque. Et hæc promissionis & pactionis carta in sua permaneat firmitate: Volentes insuper, ut super his cuilibet parti fiat unum publicum, & consonans instrumentum. Signum suprascriptorum s. Christophori Istrego & Domini F. Goti Prioris Sancti Antonii, qui hæc rogaverunt fieri.

Ego Thomasius fixis de Forlivio tt. ss.
Ego Jacopinus filius q. D. Petri de Capitoll. de regio tt.
Ego Nicolaus Benedicto Ecclesiæ S. Agathæ Plebanus & Notarius complevi, & roboravi.

Inno-

Innocentius VIII. Prioribus Sancti Salvatoris & Sancti Antonii Venetiarum usum Mitræ & Pontificalium indulget.

D 1489. 12. Novembris.

Ex Archivo S. Mariæ de Caritate Venetiarum.

INnocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis S. Salvatoris & S. Antonii Monasteriorum Venetiarum per Priores gubernari solitorum, Congregationis S. Salvatoris Ordinis S. Augustini Prioribus Salutem & Apostolicam benedictionem. Exposcit vestræ devotionis sinceritas, & Religionis promeretur honestas, ut tam vos, quos speciali dilectione prosequimur, quam Monasteria vestra dignis honoribus attolamus. Cum itaque sicut exhibita vobis nuper pro parte vestra petitio continebat, Prioribus dictorum Monasteriorum pro tempore existentibus, ut quoties ipsos in Monasteriorum predictorum, & aliis Ecclesiis tunc in Diæcesi Castellana, quæ nunc Diæcesis Venetiarum existit consistentibus, Missam & alia divina officia celebrare contingeret, Mitra, Anulo, & aliis Pontificalibus insigniis uti ac benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia (dummodo in benedictione hujusmodi aliquis Antistes vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens non foret) elargiri possent Apostolica fuit auctoritate concessum. Nos volentes vos, qui ut asseritis dicto Indulto hactenus usi fuistis, & in dies utimini, ac Monasteria prædicta favore prosequi gratiæ amplioris, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis & Prioribus dictorum Monasteriorum Prioratuum, ac locorum vestri Ordinis, & Congregationis tam in Civitate & prædicta Diæcesi Venetiarum, quamquam aliis ubilibet consistentibus, Mitra, Anulo, & aliis Pontificalibus insigniis hujusmodi uti, Benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia Divinis interessentibus Officiis (dum tamen aliquis Antistes, vel Sedis prædictæ legatus præsens non fuerit) elargiri, ac omnes Novitios ordinem vestrum expresse professos, ad primam Clericalem Tonsuram, & minores Ordines promovere. Campanas quoque, & Paramenta, & quascunque Vestes, & Divino Cultui deputata, vel deputanda in quibusvis Monasteriis, Prioratibus, & aliis dictæ Congregationis locis benedicere, libere, & licite possitis fel. rec. Alexandri Papæ IV. prædecessoris nostri quæ incipit Abbates, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis non obstantibus auctoritate præfata, tenore præsentium de speciali dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1489. Pridie Idus Novemb. Pontificatus nostri Anno VI.

Alexan-

Alexander VI. Prioribus Venetiarum indulget ut in Missa Pontificali indulgentiam XL. dierum dare valeat, & Ecclesias pollutas reconciliare.

E 1493. 8. Maii.

Ex Archivo Sanctæ Mariæ de Caritate Venetiarum.

ALexander Episcopus Servus &c. Cum sicut dilecti filii Nobilis Vir Augustinus Barbadico, Dux, & Dominium Venet. Nobis nuper fecerunt exponi, ipsique ad Monasteria vestra, quorum vid. Monasterium S. Antonii, de eorum jurepatronatus existit, singularem gerunt devotionis affectum, ad illa pro Divinis audiendis officiis nonnunquam accedant, & propterea cupiant dicta Monasteria per nos, illorumque pro tempore existentes Priores favoribus prosequi gratiosis, ipsorum Ducis ac Dominii, ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, & pro tempore existentibus Prioribus, quibus, ut quoties ipsos in quibuscunque Ecclesiis Monasteriorum, ac Prioratuum, & locorum Congregationis vestræ, Missam celebrare continget Mitra, Baculo, & aliis Pontificalibus insigniis uti, ac benedictionem solemnem elargiri valeatis, Apostolica fuit auctoritate concessum, & omnibus utriusque sexus Christifidelibus Missis hujusmodi interessentibus (dummodo aliquis Antistes præsens non fuerit) Indulgentias per Episcopos vid. quadraginta dierum dari consuetas, quoties Missas hujusmodi contigerit celebrari concedere, ac Ecclesias, Monasteria, Prioratus, & alia loca quæcunque dictæ Congrationis, illorumque Cæmeteria pro tempore quomodocunque polluta reconciliare perpetuo valeatis. Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate præfata tenore præsentium, de specialis dono gratiæ indulgemus. Per hoc autem Constitutioni, quæ reconciliationem hujusmodi per Episcopos tantum fieri præcipit, nullum inposterum volumus præjuditium generari.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris die 8. Maii 1493. Pontificatus nostri anno primo.



DE



DE MONASTERIO S.S. BARTHOLOMÆI, & FRANCISCI de Paula.

UT hoſpitale in Divi Petri Caſtellani Parœcia conſtrueretur, juſſit ex teſtamento Bartholomæus Quirinus Epiſcopus Caſtellanus hujus nominis primus fraternam Thomæ Quirini domum comparari, in qua hoſpitale *a duodecim uſque ad ſexdecim infirmi de Parochia Caſtelli vel aliunde* ſub ſtatuto Rectore alerentur. Juspatronatum loci *tam in præſentando, quam in aliis ad jus hujusmodi ſpectantibus & pertinentibus* juſſit *pleno jure* eſſe debere *penes deſcendentes a Domino Romeo Quirino* ipſius Epiſcopi Genitore. Ad pauperum alimoniam juſſit emi *in Tarviſino diſtrictu* vel alibi poſſeſſiones, quarum reditus *uſque ad ſummam librarum Denariorum Venetorum trecentorum* aſcenderet. Ex iis ducentas, & quinquaginta libras in victu & neceſſitatibus infirmorum ſtatuit eſſe inſumendas, permittens tamen, ut hoſpitali inſervientes oſtiatim per urbem emendicare poſſent. Teſtamentum in publicis actis Presbyteri Leonardi Plebani S. Euſtachii & notarii

redactum fuit anno 1290. 15. Februar. qui ad Venetæ Urbis morem computatus annus est æræ communis 1291. qui pio testatori emortualis fuit; die etenim prima mensis Martii migravit e vita.

Jus admittendi infirmos a Testatore concessum Familiæ Quirinæ ex Romeo descendenti, *iterato libere ordinaria authoritate de expresso consilio, & consensu sui Capituli Castellani more solito congregati approbavit*, & confirmavit die XVIII. Octobris anno 1296. Bartholomæus Quirinus hujus nominis secundus Episcopus Castellanus supralaudati Episcopi testatoris ex Fratre Nepos; Insuper *de speciali privilegio interveniente eorumdem Canonicorum consensu Priori* Hospitalis *ejusque successoribus gratiose concessit, ut in eodem Hospitali oratorium ædificari possit*, in quo *personis in ipso dumtaxat per tempora moraturis* Divina Officia celebrarentur (A).

Ut autem opportuniora pauperibus subsidia provenirent Thomas Quirinus Bartholomæi filius de confinio S. Mariæ Formosæ tertiam bonorum suorum partem ipsi hospitali ex testamento dimisit his verbis: *Tertiam vero partem liberam dimitto hospitali S. Bartholomæi de Castello pro subsidio Pauperum ipsius hospitalis cujus quidem utilitatem ipsum hospitale habeat in perpetuum &c.* Testamentum die sexta Augusti anno .... manu Francisci Spalatini Plebani S. Blasii & Notarii confectum, atque per Presbyterum Marcum Basilium S. Leonis olim repertorem Cancellariæ inferioris exemplatum Judicibus Curiæ Procuratorum oblatum fuit per Aloysium Quirinum prædicti Hospitalis Priorem, ut debitæ exequutioni pia Testatoris voluntas demandaretur. Ea propter Judices prædicti *audita requisitione & consideratis jure & merito considerandis Domino Priori Hospitalis S. Bartholomæi de Castello tertiam partem bonorum dicti testatoris & quæ fuerunt ipsius testatoris liberam, & per ipsum testatorem eidem hospitali dimissam pro subsidio pauperum ipsius hospitalis* assignaverunt. Lata est sententia anno ab Incarnatione Dominica millesimo quingentesimo vigesimo nono die XXV. mensis Septemb. Indict. III. quæ hic jam a Kalendis ipsius Septemb. inceperat (B).

Marmorea Epigraphes parieti interioris Claustri affixa Fundatorem Hospitalis fuisse asserit Thomam Quirinum de confinio S. Scolasticæ: " *In Nomine Domini a Nativitate ejusdem*

" 1304

„ 1304. *Ind.* XI. *die prima Menſ. Julii. Hic jacet corpus D.*
„ *Thomæ Quirini de confinio S. Scolaſticæ; qui fuit conditor,*
„ *& factor ipſius Eccleſiæ & hoſpitalis, & dotavit ſupradi-*
„ *ctum hoſpitale, ut cum adjutorio Dei & ſuo, & adjutorio*
„ *bonæ gentis omnes pauperes victum, & Albergum ſupradicto*
„ *loco, & hoc fecit pro remiſſione ſuorum omnium peccatorum,*
„ *ad hoc quod dicti pauperes pro anima ſua Deum orare ſim-*
„ *pliciter teneantur, & iterum fecit.*" Cætera deſunt temporis edacitate corroſa.

Credibile eſt ipſum Thomam Bartholomæi Epiſcopi fuiſſe Fratrem, qui domum ex fratris teſtamento emendam, non vendidit, ſed fraternam æmulatus pietatem ultro obtulit adjecta etiam ad pauperum inopiam ſublevandam proventuum donatione.

Poſt hæc contigit ut piiſſimus Minimorum Ordo anno 1584. in Comitiis Generalibus Januæ convocatis Generalem eligeret Fratrem Stephanum de Carnevaliis Calabrum, qui ſtudio ſui Ordinis in præcipuis Italiæ Urbibus propagandi duos eximiæ virtutis Sacerdotes Venetias direxit, ut in ampliſſima Civitate Sedem præclariſſimæ Religioni ſtatuerent. Hi fuerunt Nicolaus Chriſtiani Calaber, & Joannes Baptiſta Sarraceni Hydruntinus, qui Generalis mandato libenter obſequentes, & Alphonſi Cardinalis Eſtenſis patrocinio ſuffulti Venetias eodem anno 1584. devenerunt. Ibi in Monaſterium Charitatis Canonicorum Lateranenſium primo hoſpitio excepti ſunt, ubi per duodecim dies commorati, ne ipſorum ſuſtentatione familia gravaretur, ad privatas Antonii Milledonii Decemvirum a Secretis ædes diverterunt. Hic pietatis intuitu religioſos hoſpites ſumma exultatione recepit, omnibuſque ad vitæ votique neceſſitatem abunde ſubminiſtratis nunquam a ſe evelli permiſit, donec ædificato ubi nunc eſt Ordinis Cœnobio, ad ſacra Clauſtra ſe receperunt. Ducem itaque qui eo temporis erat Nicolaus a Ponte primum adierunt, qui homines perhumaniter ſuſceptos in ſpe rei proſpere agendæ firmavit.

Inde Principi & Senatui oblata advenarum Patrum ſupplicatio, graviſſimis Reipublicæ negotiis rem ultro differentibus, ſexto tandem menſe Vincentii Mauroceni eximii Senatoris authoritate opus in primis juvante felicem tandem publicæ permiſſionis exitum ſortita eſt, atque plenis P. C. ſuffragiis Divi Franciſci de Paula Ordo in civitatem admittitur.

His actis in exquirendo situ solliciti primum de Divi Cypriani Murianensi Cœnobio apud Patriarcham Venetiarum Joannem Trivisanum enixe egerunt, eorumque supplicationibus facilis Patriarcha se assentiri professus est dummodo in eo loco Divina Officia ritu Monastico celebrarentur. Hoc autem cum religiosis virorum institutis omnimode repugnaret, res ex irrito cessit. Nec tamen opportunioris loci spes omnino adempta est, siquidem supralaudati Vincentius Maurocenus, & Antonius Milledonius, pro eo quo B. Francisci de Paula Ordinem ejusque filios prosequebantur affectu, Urbem circumeuntes ad Castellanum Divi Bartholomæi hospitale devenientes, quod jam e vetustate ædificii ruinæ proximum videbatur, illud recipiendis fratribus aptissimum judicarunt. Rogati igitur a Vincentio Mauroceno Patruo fuerunt Franciscus ejusque fratres Quirini quorum unus Marinus nomine valida Alphonsi Cardinalis Estensis protectione Ecclesiæ Concordiensis regimen obtinuerat, ut Minimis Fratribus absque Jurispatronatus detrimento Templum adjectamque Prioris ædem concederent. Accessit ad Vincentii preces ardens ipsius Cardinalis Estensis studium, unde & factum est, ut Marinus Episcopus recentis beneficii gratia devinctus Fratres Germanosque in elargiendæ ædis sententiam facile adduxerit, salvo tamen adjacentis hospitalis jurepatronatus apud Quirinam Gentem perpetuis temporibus duraturo. Hæc in publicis tabulis redacta sunt accedente Joannis Trivisani Patriarchæ assensu, qui cum de novis religionibus in Urbe admittendis male antea sentiret, occulta spiritus operatione mutatus rem ultro fovit seque de cætero amicum Ordini ejusque alumnis propitium præbuit.

Fundatorum titulo ex Stephani Generalis Decreto donati fuerunt Nobiles Gentis Quirinæ Viri, atque novo operi protectores destinati Vincentius Maurocenus, & Antonius Milledonius, quorum ope res bene cœpta ulterius ad perfectionem deduceretur.

Insequenti anno 1585. Sixtus V. Pontifex Maximus donationem Quirinæ Familiæ & universa hactenus peracta Apostolico diplomate confirmavit die XVI. Septemb. Pontificatus sui anno primo (C). Ex hujus Pontificiæ largitionis tenore Dominicus de Leonardis SS. Gervasii, & Prothasii, atque Joseph Vegla S. Basilii Venetiarum Plebani die XXII. Novemb. authorita-

rita-

ritate Apoſtolica in novi Monaſterii poſſeſſionem Patrem Nicolaum Chriſtiani induxerunt, qui ibidem ad Crucifixi Domini aram ſalutarem Hoſtiam pro gratiarum actione litavit (D). Ne autem inſignis beneficii memoria temporum injuria deleretur, Ordo Minimorum in grati animi monumentum fundationis munus, atque fundatorum nomina marmoreis inſcriptionibus obſignarunt, atque ad Sacelli principis parietes affixerunt.

A Latere Epiſtolæ.

„ Superiorem hanc Templi Ædem cum duobus utrinq. con-
„ ditis Monum. ad eorum tumulanda Querinæ Gentis Oſſa
„ quorum nomina in ipſis deſignata leguntur ille idem Joan-
„ nes Quir. Hieron. Filius qui ex parte locum hunc Re-
„ vend. Fratrib. S. Franciſci de Paulà conceſſit, ut memoriæ
„ ſui nomin. non ſine Chriſtianæ Religion. Zelo conſuleret,
„ a Fund. erex. Ann. Sal. CIↃ. IↃLXXXVIII.

A Latere Evangelii.

„ Sacram hanc Sedem ubi fuit antiquitus D. Bartolamæi
„ Templum a Bartolamæo Quirinio Caſtellanenſ. Epiſc. una
„ cum proximo Xenodochio a fund. erectum jurisq. Patrona-
„ tus & Priorat. titulo decoratum Rever. Fratribus S. Franci-
„ ſci de Paula cum Religionis in Urbe Domicilium quære-
„ rent, adjunctis inſuper aliquot vicinis Ædib. ad cenobium
„ iisdem ædifican.
„ Marinus Concordiæ Epiſc. & Joan. Quirinii Fratres &
„ Hieronymi Fil. nec non Franciſcus & Aloyſius Quirinii pa-
„ riter Fratres, & Stephani Hieron. Fratris Filii: Domeſticæ
„ omnes in Deum Op. Max. pietatis imitatores motu proprio,
„ in primisq. Pontificio accedente conſenſu liberaliter, ac mu-
„ nifice conceſſerunt. Ann. Sal. CIↃ. IↃLXXXIV.

Cum autem recens Monaſterium rivo tantummodò dividente ex adverſo ſtaret ædium, in quibus Ordinis Prædicatorum alumni ſub S. Dominici Patris ſui titulo ſedes fixerant, putantes ii ſibi conceſſis a Clemente VII. privilegiis læſionem ex recenter exorti Cœnobii ædificatione inferri, quæſtione ad Judicem

dicem Ecclesiasticum deducta operi moram injecerunt. Non diu tamen negotium stetit, siquidem adnitente in primis D.... Cardinali Azolino Sixtus Papa V. vivæ vocis oraculo litem diremit; indeque Cæsar Capuanus Archiepiscopus *Legatus & Commissarius Apostolicus specialiter delegatus* ad Pontificiæ concessionis normam sententiam ferens pronunciavit, & declaravit Religiosos Minimos in pacifica possessione loci conservandos esse, prout ex ipsa sententia latius apparet.

„ Illustriss. Reverendiss. Dom. Legatus Judex & Commissa„ rius Apostolicus specialiter delegatus auditis &c. & stantibus „ litteris per Illust. & Reverendiss. D. D. Cardinalem Azoli„ num de commissione Sanctissimi Dom. Nostri Papæ in causa „ ejusmodi ad D. S. ultimo loco directis, quas inferius regi„ strari mandavit, ac in eisdem litteris contentis & commis„ sis & juxta earum formam pronunciavit, & declaravit dictos „ Rev. Vicarium & Fratres supradictæ Ecclesiæ S. Bartholo„ mæi ad eidem Ecclesiæ & illius cultui inserviendum per„ mittendos, & liti ac causæ prædictæ finem, & dictis Rev. „ Priori & Fratribus suprascripti Monasterii S. Dominici Ve„ netiarum perpetuum silentium imponendum fore & esse, ac „ permitti & imponi debere prout permisit, & imposuit & „ pro permissis & impositis haberi voluit jussitque atque man„ davit omni meliori modo &c.

„ Sequitur tenor Litterarum supradictarum & talis est.

„ All' Illust. e Reverendiss. Sign. come Fratello Monsignor
„ Arcivescovo di Capua Nuncio di N. S. in Venezia.

„ Illust. e R.mo Sign. come Fratello. Essendo dimostrato a „ N. S. che fra il Monasterio di S. Domenico di Venezia e „ la Chiesa ultimamente concessa alli Frati Minimi di San „ Francesco di Paula sia un Canal di mezzo, Sua Santità si è „ contentata che detti Frati Minimi siano lasciati al culto di „ detta Chiesa e si sopisca la litte nata tra di loro, e li Pa„ dri di San Domenico, poichè simili litti fra Religiosi non „ sono d' edificazione, e per la divisione del Canale non si „ vede che nuoca la vicinanza. V. S. esseguirà questa mente

„ di

„ di Suà Beatitudine e Dio N. S. la conservi. Di Roma Pri-
„ mo Marzo 1586. Di V. S.

„ Come Fratello a servirla D. Cardinale Azolino.
„ Et hic est finis dictarum litterarum.

„ D. Jacobus Lupus q. D. Bondumerii Placen. & } Testes.
„ D. Ventura Chiarelli q. D. Antonii Ferrarien. }

Cæsar Archiep. Capuæ Legatus & Judex Delegatus.

Utinam ex sanctissimo Sixti consilio lites inter illustres Regularium ordines Diabolo suadente cohortæ coercerentur, ut Catholicis scandali, hæreticis vero schismatis & derisionis caussa tolleretur.

Iis difficultatibus Deo favente superatis anno 1588. antiquum Oratorium solo æquatur, ut nova Ecclesia ampliori spatio ædificaretur, cujus primarium lapidem Paschali Ciconia Venetiarum Duce præsente in fundamentis jecit Johannes Trivisanus Patriarcha Venetiarum. Lapidi vero insculpta fuerunt hæc verba:

„ Hujus Ædis Minimorum S. Francisci de Paula Divo Bar-
„ tholomæo Apostolo dicatæ restaurandæ fundamenta jacta fue-
„ runt a Fratribus ejusdem Ordinis Sixto V. Pontif. Max. Pas-
„ chali Ciconia Duce Venetiarum, Joanne Trivisano Patriar-
„ cha, Francisco, Marino, Joanne, & Aloysio de Querinis
„ Fundatoribus anno a Nativitate Domini 1588.

Ecclesiam inde ad sui perfectionem deductam magnifico fornice exornavit Cæsar Caraffa Neapolitanus nobilissimus apud Venetos hospes qui & Sacellum a dextra aræ majoris extrui mandavit. In eo emortualem sibi requiem elegit, hasque ex utroque latere marmoreas epigraphes affigi jussit:

„ Cæsar Carafa filius Diomedis Fratris Illustrissimi Tiberii
„ Carafæ Ducis Noceriæ patria relicta soluta aliam invenit
„ Senatus Veneti erga se benignitate, ubi in spem certam sibi
„ posuit hanc domum quietis usque ad diem mundi ultimum.
„ Ut plures apud Deum hoc respectu pro se Sanctos depreca-
„ tores haberet Cæsar Carafa Beati e Paula Francisci fami-
„ liam summo studio traducendam impetravit, ubi ipse si-
„ bi, & posteris suis sacellum & monumentum ædificandum
„ curavit.

Anno 1619. die XIX. Aprilis per Joannem Perpignanum Episcopum

copum Cydonienſem, Franciſco Cardinali Vendrâmeno Patriarcha Venetiarum permittente, Eccleſia ſub gemino Divorum Bartholomæi Apoſtoli, & Franciſci de Paula titulo conſecratur, ut ex marmorea epigraphe parieti affixa conſpicitur.

D. O. M.

„ Et Divis Bartholomæo Apoſtolo, & Franciſco de Paola
„ Confeſſori Eccleſiam hanc conſecravit Georgius Perpignanus
„ Epiſcopus Agienſis, de mandato Illuſtr. D. D. Franciſci Vend.
„ S. R. E. Cardinalis Patriarchæ Venetiarum Anno a Partu
„ Virginis MDXIX. Sereniſſimo Antonio Priolo Duce. Die *6.*
„ Auguſti.

Sacelli principis aram Patres Cœnobii anno MDCCXLIX. a fundamentis in ornatiorem formam reædificari curarunt, atque ad perennem rei memoriam epigraphem lapidi inſculptam adjecerunt.

„ Ara Maxima Deo, Sanctiſque Apoſtolo Bartholomæo
„ Franciſco de Paola ab anno *1619.* dicata tertia hac vice,
„ ex vetuſtiori, ac excelſiori mole in auguſtiorem formam
„ redacta Sanctorumque Reliquiis referta atque a Virgineo
„ Partu anno *1749.* Die 24. Decembris media nocte Nativita-
„ tis Domini Sacrificio conſecrata nec non piorum ære exci-
„ tata Patres Collegii Veneti ad perpetuam memoriam P. P.
„ Antiſtite Provinciali A. R. P. Lodovico Pighi Veronenſe
„ Correctore R. P. Joſepho Condupolo Jubilato Veneto Pro-
„ curatoribus R. R. P. P. Michaele Angelo Gavani Jubilato,
„ atque Anſelmo Cecchini Promotore Emerito Venetis hu-
„ juſce totius Templi inſtaurationem ab anno *1739.* curanti-
„ bus memoriæ ergo PP. Collegii ejuſdem in monumentum,
„ ac Poſterorum excitamentum perenne D. D.

Exteriorem Templi faciem, ſtratumque lapide pavimentum Familia *Albanenſis* propriis fieri juſſit impenſis, atque Divo Franciſco de Paula, Crucifixo Domino, Virginique Deiparæ magnificas aras pari pietate excitavit.

Corpora Sanctorum Martyrum Alphonſi, & Hyacinthi e cryptis Romanis eruta in ea aſſervantur, atque conſpicua ex coſtulis S. Fundatoris portio mira colitur religione, cujus quidem Sancti cultus adeo in Veneta Civitate diffuſus excrevit, ut vix inveniri poſſit Eccleſia, quæ ejus effigiem vel ſculptam,

ptam, vel depictam non exhibeat, ad quas proinde statutis feriis sextis frequens solet haberi concursus.

Adjectum Ecclesiæ Monasterium Venetæ Provinciæ caput est, atque ab anno MDCX. die XXVII. Junii fuit Novitiatu decoratum, & Collegii nomine insignitum, ut ex depicta in claustro epigraphe innotescit.

„ Collegium Venetum erectum sub auspiciis S. Præsulis
„ & Principis Genevensis Francisci Salesii Tertii Ord. Mini-
„ morum. Sedente S. S. D. Papa Clemente X. Regente Serenifs.
„ Dominico Contareno Venetorum Duce. Religionem prote-
„ gente Eminentifs. Flavio S. R. E. Card. Ghisio. Apostoli-
„ ca Legatione fungente Illust. ac Reverend. Dom. Pompejo
„ Varesio. Sacrum Ord. moderante Reverend. Petro a Cosen-
„ tia Generale Anno Dom. MDCLXXIII.

Series Chronologica Superiorum Collegii Veneti Ordinis Minimorum.

1584. Nicolaus de Christianis Monasterii Fundator ipsum sub Vicarii Generalis titulo primus administravit.
1607. Bartholomæus Frigerius Vic. Gen. Iterum 1613. 1614. 1615. 1617.
1608. Bernardinus Venetus Vic. Gen. Iterum 1609. 1610.
1611. Franciscus de Albertis Vic. Gen.
1612. Laurentius Cerino Vic. Gen.
1616. Claudius Pallazzolo Vic. Gen.
1618. Dominicus Saracenus. Hoc anno die XV. Septembris cæpit electionis Capitularis jure potiri, atque in propria familia ex præscripto regulæ canonicam Correctorum electionem celebrare, quod & primo præstitit die XXIX. ejusdem mensis. Iterum Corrector 1621.
1618. Aloysius Venetus.
1619. Alexander Venetus. Iterum 1620.
1619. Claudius Pallazzoli.
1622. Ludovicus Verigola.
1623. Bartholomæus Frigerius.
1624. Joannes Antonius Gervasius. Iterum 1626.
1625. Bernardus Cavazzola. Iterum 1627. 1630.
1628. Alexander Zuchius.

1629. Angelus Castellarius electus Episcopus Caprulensis anno 1636.
1631. Ignatius Verigola. Iterum 1636.
1632. Vincentius Molinari. Iter. 1634. 1637. 1641. 1645. 1657.
1633. Antonius Maria de Maysis. Iterum 1643.
1635. Joannes Baptista Paliani. Iterum 1638. 1642. 1655. 1666.
1639. Joannes Baptista Olivetti. Iterum 1646. 1648.
1640. Egidius Ragazzola. Iterum 1649.
1647. Antonius Gervasi.
1650. Joseph Urgnagni.
1651. Daniel Bellotti.
1652. Joseph Mabellini. Iterum 1659. 1664.
1653. Isidorus Santi.
1654. Nicolaus Zanfra. Iterum 1668. 1672.
1656. Hyacinthus Maria Novelli. Iterum 1673.
1658. Balthassar Strycher. Iterum 1663.
1660. Hieronymus Maria Morati. Iterum 1662.
1661. Lucas Agnesini.
1665. Joannes Franciscus Rampo Tarvisinus.
1667. Jacobus Maria Novelli.
1669. Basilius Zanchi. Iterum 1675. 1679. 1686. 1693. 1701. 1715.
1670. Andreas Avanzinus Veronensis.
1671. Ambrosius Juncta. Iterum 1683.
1674. Hilarius Rossi. Iterum 1676. 1678.
1677. Jacobus Ladicosa. Iterum 1681.
1680. Christophorus Maria Damiolli.
1682. Hieronymus a Nigra.
1684. Franciscus Corradini. Iterum 1699.
1685. Joannes Baptista a Rege. Iterum 1689. 1691. 1697.
1687. Joannes Olgiati.
1688. Michael Angelus Griffi. Iterum 1692.
1690. Ildephonsus ab Armis. Iterum 1704.
1694. Aloysius Franchi. Iterum 1711.
1695. Antonius Focca. Iterum 1705. 1726.
1696. Cajetanus Steffanini. Iterum 1698. 1702. 1708. 1712. 1714. 1718. 1720. 1722. 1724.
1700. Joseph Maria Bonaldi.

1703.

1703. Joannes Franciſcus Bianchetti. Iterum 1709.
1706. Ildephonſus Panzani. Iterum 1721. 1723. 1725. 1727. 1729. 1731. 1733. 1738.
1707. Dominicus Celſi.
1710. Franciſcus Morandi. Iterum 1713. 1717. 1719.
1716. Aloyſius Maria Rittionelli Tridentinus.
1728. Alexander Maria Ronchati.
1730. Michael Angelus Gavani. Iterum 1732.
1734. Paulus Maria Judici. Iterum 1744. 1748.
1735. Venantius de Venantiis.
1736. Anſelmus Maria Cecchini. Iterum 1746. 1749.
1737. Ambroſius Barbaranus Vicentinus.
1739. Gaſpar Bonus Krazza Veronenſis.
1740. Franciſcus Spernich.
1741. Ludovicus Pighi Veronenſis.
1742. Ambroſius de Nigris Bergomenſis.
1743. Alexander Berengo. Iterum 1747.
1745. Joſeph Maria Condupolo. Iterum 1750.



Bartholomæus Quirinus II. Episcopus Castellanus concedit Juspatronatus Hospitalis Sancti Bartholomæi de Castello Nobilibus Quirinis.

A 1296. 18. Octobris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Dei Nomine Amen Venerabilis Pater Dom. Bartholomeus Quirinus miseratione Divina Episcopus Castellanus. Auditis justis peticionibus Nobilium Virorum Dominorum Quirinorum a bone memorie D. Romeo Quirino infrascripti D. Episcopi Genitore descendentium benignum prestans assensum de expresso consilio & consensu sui capituli Castellani more solito congregati voluntatem fel. rec. D. Bartholomei Quirino Episcopi Castellani primi ipsius testamento contentam, & ejus ordinationem super constructione hospitalis conditi ad honorem B. Bartholomei, sub ipsius vocabulo edificari mandavit in Patrochia S. Petri de Castello scilicet Ecclesiæ Cathedralis ex certa scientia: nunc hospitali ipso de eorum voluntate construto, & presente fratre Philippo in Priorem ejusdem loci auctoritate prefati Dom. Episcopi instituto sicut & hactenus fecerat de novo approbans, & confirmans plenum juspatronatum tam in presentando Rectorem infra tempora a canonibus prestituta Episcopo Castellano qui pro tempore fuerit ab eo instituendum in ipso hospitali, quam in aliisque de ipsius juris plenitudine esse possunt, eis presentibus & omnibus ab ipsis per virilem sexum descendentibus in perpetuum iterato libere ordinaria auctoritate concessit, sibi nihilominus & successoribus suis in ipso hospitali & circa ipsum canonicam obedientiam, subjectionem, & reverentiam, institutionem, & destitutionem; visitationem, correctionem & reformationem ac censuram Ecclesiasticam jurisdictionem quoque & Synodum & omnia breviter in quibus ratione legis Diocesane & jurisdictionis predictum hospitale de jure sibi debet esse subjectum excepto jure patronatus de quo supradicitur reservando Concessionem etiam olim a se de predicti sui Capituli voluntate factam innovans de speciali privilegio eorumdem canonicorum interveniente consensu ipsi Priori & suis successoribus gratiose concessit ut in eodem hospitali oratorium edificari possit sine alicujus molestia & haberi perpetuo, in quo salvo jure Patriarchalis Ecclesiæ Castellanæ valeant personis in ipso hospitali dumtaxat per tempora moraturis divina officia celebrari Patriarchatus prædicte Ecclesie non admissis. Sed & omnia ecclesiastica sacramenta teneantur recipere a sepedicta Ecclesia Castellana, & non sua auctoritate vel aliunde percipiant. In cujus rei certitudine pleniori idem Dominus Episcopus mandavit presens instrumentum per me Petrum Presbiterum Ecclesiæ S. Johannis Chrisostomi & Notarium scribi, ac illud jussit sui sigilli appensione muniri. Actum Venetiis in Capitulo Domus Fratrum Predicatorum. Presentibus Presbitero Jacobo Clerico S. Luce & Johanne Rolando & Petro Presbiteris Mansionariis predicte Ecclesie Castellane, & aliis anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo sexto die sextadecima mensis Octobris Decime Indictionis.

L. S. Ego Petrus Presb. Ecclesie S. Johannis Chrisostomi, & Not. predictis interfui, & rogatus scripsi complevi, & roboravi.

Judices

Judices Curiæ Procuratorum sententiant testamentum Thomæ Quirino quo legat tertiam partem bonorum suorum hospitali Sancti Bartholomæi de Castello.

B . 1529. 24. Septembris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Dei Æterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo vigesimo nono mensis Septembris die vigesimo quinto Indictione tertia Rivoalti. Presentibus preconibus curiæ testibus, &c. Spectabiles & generosi Viri Hieronimus Zeno, Hieronimus de cha Tajapetra & Michael Griti judices curiæ Procuratorum. Audita requisitione V. D. N. Aloysii Quirino q. D. Francisci uti Prioris hospitalis S. Bartholomei de Castello beneficiati ex testamento qu. N. V. D. Thome Quirino q. D. Bartholomei de confinio S. Mariæ Formosæ petentis ab ipsis Dominis judicibus in forma debita sententiari debere ad legem punctum infrascriptum residui testamenti suprascripti testatoris in 1171. die sexto Augusti sub nomine Dom. Presb. Francisci Spalatini Plebani S. Blasii in copia manu Presb. Marci Basilii Sancti Leonis olim repertoris Cancellariæ inferioris tenoris hujusmodi. Vid. Tertiam vero partem liberam dimitto hospitali S. Bartholomei de Castello pro subsidio Pauperum ipsius hospitalis cujus quidem utilitatem ipsum hospitale habeat in perpetuum &c. prout in eo. Et audito Dom. Sancto Barbadico advocato spectabilium Dominorum procuratorum de supra uti furnitorum suprascripti testamenti presati testatoris jus fieri respondentis. Viso suprascripto testamento in copia ut supra cum contentis in dicto puncto. Et super his consideratis jure & merito considerandis per legem & judicium punctum residui testamenti prefati ut supra sententiari petiti sententiantes sententiarunt in omnibus & per omnia prout stat, & jacet. Dantes suprascripto D. Priori dicti hospitalis S. Bartholomei de Castello ad intromit. & aprehen. tertiam partem bonorum dicti testatoris & quæ fuerunt ipsius q. testatoris liberam & per ipsum testatorem eidem hospitali dimissam pro subsidio pauperum ipsius hospitalis cujus quidem tertiæ partis bonorum utilitatem ipsum hospitale habet in perpetuum ubicunque & apud quoscunque poterit quomodolibet reperiri juxta formam ipsius punti testamenti. Mandantes prefatis clarissimis Dominis procuratoribus furnitoribus ut supra quatenus rogare debeant dattum & refutationem ipsi Dom. Priori de tertia parte bonorum stabilium, quæ fuerunt suprascripti testatoris in dicto residuo & puncto cadentium ubique positorum juxta formam & tenorem suprascripti puncti testamenti, ac modis & conditionibus omnibus pro ut in eo propter causas & rationes predictas.

Chieronymus Zeno Judex Curiæ Procuratorum ss.
Chieronymus de cha Tajapetra Judex Procurat. ss.

L.S. Ego Philippus Cavaza Not. Curiæ Proc. complevi, & roboravi.

Sixtus

Sixtus V. conventiones inter Fratres Minimos, & Familiam Quirinam statutas approbat, atque Monasterium S. Bartholomæi Venetiarum Ordinis Minimorum certis legibus appositis Apostolica authoritate confirmat.

C 1585. 16. Septembris.

Ex Tabulario Monasterii Minimorum de Venetiis.

SIxtus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam Divina disponente clementia in summo cælesti clavigeri solio constituti ex commissi nobis desuper Pastoralis officii debito ad ea, per quæ gloriosissimum Christi Nomen ubique gentium locorum atque terrarum exaltetur ad ejusque laudem gloriam, atque honorem minores Ecclesiæ dignioribus titulis attollantur, ac in illis ministrorum ecclesiasticorum numerus accrescat solicitudini vestræ studium convertimus, & ad illos dextram nostræ liberalitatis extendimus, quos ad id propria virtutum merita multipliciter recomendant aliasque desuper disponimus prout spirituali Christi fidelium consolationi, ac ecclesiarum earumdem venustati, nec non ipsorum ministrorum subventioni, & felici statui conspicimus in Domino salubriter expedire. Exibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii correctoris Generalis Ord. Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula Petitio continebat quod dilecti filii Franciscus Quirinus Laicus Venetiarum ceterique omnes familiæ de Quirino, ad quos Juspatronatus hospitalis in beneficium ecclesiasticum non erecti, nec ab eodem hospitali dependentis S. Bartolamæi etiam Venetiarum ex fundatione, & dotatione spectat ac pertinet singulari studio & benevolentia erga prefatum ordinem ob sanctum, & laudabile ipsorum Fratrum vivendi institutum moti seque ac illorum posteros nec non defunctorum, qui hospitale & Ecclesiam hujusmodi fundarunt animas eorumdem Fratrum perpetuis precibus apud Deum Opt. Max. commendari desiderantes nullamque domum ejusdem Ord. in Civitate Venetiarum que insignis & celeberima existit adhuc conspicientes concessioni & assignationi dictæ Ecclesiæ cujus ac præfati Hospitalis, illiusque rerum & bonorum dicti Patroni legitimi administratores existunt predicto Ordini ad effectum infrascriptorum faciendis consentire proposuerunt prout consentiunt de præsenti. Quare pro parte ejusdem correctoris nobis fuit humiliter suplicatum quatenus divini cultus in dicta Ecclesia aumento ac ipsius ordinis propagationi consulere aliisque in premissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui ecclesiarum quarumlibet decorem ac ministrorum ecclesiasticorum propagationem nec non divini cultus incrementum cum spirituali eorumdem Christifidelium consolatione sinceris exoptamus affectibus Correctorem predictorum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendarum harum sive absolventes, & absolutum fore censentes; nec non aliarum concessionum eidem ordini hactenus factarum cujuscumque tenoris presentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati Ecclesiam predictam quam ut ipse corrector asserit fructibus caret, illiusque domum prioratum nuncupatam & hortum cum omnibus, & singulis paramentis, ornamentis, vasis ecclesiasticis, & tota suppelletile sacra aliisque rebus divino cultui dicatis ad Ecclesiam & domum

domum hujusmodi legitime spectantibus cum hoc tamen quod corrector & Fratres in infrascriptam domum erigendam introducendi, ac apud illam pro tempore degentes ecclesiastica Sacramenta pauperibus infirmis dicti hospitalis ministrare, & ad celebrationem missarum & aliorum divinorum officiorum ad quæ prædicti patroni ex fundatione ipsius Ecclesiæ celebrari faciendum tenentur perpetuo, & omnino obligati sint, nec ullo umquam tempore quicquam aliud preter Ecclesiam domum & hortum paramenta ornamenta vasa Ecclesiastica sacram suppellectilem & alias res divino cultui dicatas hujusmodi etiam ratione celebrationis missarum & aliorum divinorum officiorum patronorum accedente consensu auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo concedimus, & assignamus, nec non Ecclesiam domum, & hortum hujusmodi, ac in eis, & circa ea claustrum dormitorium, refetorium & alia necessaria edificia construenda in domum dicti ordinis cum Eccles. sub invocatione ejusdem Sancti Bartholomæi nec non campanili humili, campanis capellis & altaribus choro claustro refetorio dormitorio hortis hortalitiis infirmaria cellis & universis aliis officinis membrisque necessariis & opportunis pro usu & habitatione perpetuis unius correctoris & decem aliorum ad minus fratrum ejusdem ordinis qui inibi sub regulari observantia & humilitatis spiritu, juxta ipsius ord. regularia instituta Altissimo famulentur, divinisque laudibus insistant, & sub obedientia correctione & visitatione dicti, & pro tempore existentis correctoris generalis & aliorum superiorum ejusdem ord. remaneant, ac aliis in omnibus & per omnia ad instar aliarum domorum ipsius ord. sine tamen alicujus præjuditio, auctoritate & tenore premissis perpetuo erigimus & instituimus ac illis sic erectæ, & institutæ pro ejus dote omnia & singula bona mobilia & imobilia ipsi domui erectæ per quoscumque Christifideles pro tempore quomodolibet de cetero elargienda donanda leganda relinquenda, vel alias eroganda eisdem auctoritate & tenore similiter perpetuo applicamus nec non domui erectæ hujusmodi ac ipsis Correctori, & fratribus in ea pro tempore commorantibus, quod omnibus & singulis privilegiis prerogativis libertatibus imunitatibus exemptionibus indultis indulgentiis & gratiis quibus aliæ domus supradicti Ord. ac aliarum Correctores, & fratres domorum vel consuetudinum aut aliis quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent & uti frui potiri gaudere libere, & gaudere licite valeant auctoritate & tenore supradictis indulgemus nec non Concessionem, assignationem, erectionem, applicationem, & indultum hujusmodi presentesque litteras, & ex eo quod interesse habentes, vel pretendentes ad hoc vocati, & causa vel causæ propter quas præmissa emanarunt & coram loci ordinario, & tamqua a Sede Apostolica delegato, vel alias examinatæ, cognitæ, & justificatæ non fuerint; seu quavis vel quibusvis aliis causis de subreptionis, seu obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis nostræ, seu quovis alio defectu notari vel impugnari aut ad terminos litis reduci seu in jus vel controversiam revocari nullactenus posse; sed illas semper validas, & efficaces existere. Sicque in præmissis ab omnibus censeri debere ac quicquid secus super his a quoque quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contingerit irritum, & inane decernimus. Quocirca venerabili fratri nostro Patriarchæ Alexandrin. & dilectis filiis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali auditori, ac Decano Eccles. Venetiar. per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios presentes litteras, & in eis contenta quicumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Correctoris generalis seu pro eo agentium fuerint requisiti solemniter publicantes illique in præmissis efficacis defensionis presidio assistentes faciat auctoritate nostra Correctorem generalem nec non pro eo agentes predictos concessio-

cessione assignatione errectione institu-ne applicatione indulto, & decreto aliisque premissis juxta earumdem presentium continentiam & tenorem pacifice frui & gaudere non permittentes eum desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari aut impediri. Contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras & penas ecclesiasticas aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo ac legitimis super his habendis servatis processibus, illosque sententias, censuras, & penas hujusmodi incurrisse declarando; ac easdem censuras, & penas & itteratis viribus aggravando, & interdictum Ecclesiast. apponendo invocato & ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. predecessoris nostri qua cavet ne quis extra suam Civitatem vel Diocel. nisi in certis inibi expressis casibus, & in illis ultra unam dictam ad judicium extrahat seu ne judicis a Sede predicta deputati extra Civitatis vel Diocesis in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant & de duabus dictis in Concilio generali edito dumodo ultra tres dictas aliquis earumdem auctoritate presentium ad juditium non trahat nec non qua inter alia & cavet expresse ne cujusvis ordinis mendicantium professoris loca ad habitandum de novo recipere seu recepta mutare presumant absque sedis predicte licentia de prohibitione hujusmodi expressam mentionem faciente ac quibusvis aliis Apostolicis ac & in universalibus provincialibusque, & sinodalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus ordinisque Fratrum Minimorum hujusmodi juramento Confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus contrariis quibuscumque seu si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommnnicari non possint per has Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod propter nostras concessionem, assignationem, erectionem, institutionem & applicationem hujusmodi ipsa Ecclesia S. Bartholomæi debitis non fraudetur obsequiis, sed ejus congrue supperfint onera antedicta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum absolutionis, concessionis, assignationis, erectionis, institutionis, applicationis induti decreti mandati, & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentari pressumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ 1585. Sextodecimo Kal. Octob. Pontificatus nostri anno primo.

Jo. Bapt. Canobius.

Pleba-

Plebani Sanctorum Gervasii & Protasii, atque Sancti Basilii Venetiarum ex Decreto Sixti Papæ V. Fr. Nicolaum Christiani Ordinis Minimorum in possessionem novi Monasterii Sancti Bartholomæi Venetiarum inducunt.

D 1585. 22. Novembris.

Ex Archivo S. Francisci de Paula Venetiarum.

IN Nomine Domini Amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat, & evidenter notum sit, quod anno nativitatis ejusdem millesimo quingentesimo octuagesimo quinto Indictione XIII. die vero Veneris 22. mensis Novemb. Pontificatus autem Sanctissimi in Chisto Patris, & Dom. Nostri Dom. Sixti divina providentia Papæ V. anno ejus primo. Coram Reverendis Dominis Dominico de Leonardis SS. Gervasii, & Protasii, & Joseph Vegla Sancti Basilii Ecclesiarum Venet. Plebanis, tanquam Commissariis, & subexecutoribus Apostolicis in vim clausulæ ceterum in infrascriptis processibus contentæ specialiter deputatis, comparuit Rev. Fr. Nicolaus Christiani ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula & nomine Reverendiss. D. Correctoris generalis totius ordinis prædicti præsentavit D. suis Reverendis processum fulminatum per Reverendiss. in Christo patrem Dom. Adrianum Fusconium Episcopum Aquinat. Archivii Romanæ Curiæ correctorem judicem, & executorem vigore privilegiorum Apostolicorum Collegio dicti Archivii & illius Correctoribus dudum concessorum super litteris Apostolicis Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Sixti divina providentia Papæ Quinti concessionis, assignationis, erectionis, institutionis, & applicationis facte predicto Ordini de Ecclesia domo & horto Prioratus Sancti Bartholomæi de Castello ac ipsius Ecclesiæ paramentis, aliisque rebus divino cultui dicatis sub data Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo quinto XVII. Cal. Octobr. Pontificatus sui anno primo. Et de processu predicto rogatum fuisse apparet. Dom. Franciscum Sellier Archivii predicti Scriptorem sub dat. Romæ die 21. Mensis Octobr. predicti cum sigillo cereo, dicti Archivii in Simbaco ligneo ad cordulam rubeam inpendenti communitas & institit dicto nomine per dominationes suas Reverendas litteras Apostolicas predictas dictumque processum earum vigore fulminatum ut supra legitimari & insinuari, mandari & alia fieri prout per litteras & processum predictum diffusius demandatur omni meliori modo &c. Qui Reverendi Domini Plebani & subexecutores Apostolici ut supra assumpti & deputati, vigore dictæ clausulæ cæterum eodem processu reverenter recepto tanquam obedientes filii per me Notarium infrascriptum dictum processum & litteras Apostolicas in eo insertas publicari, insinuari, & notificari jusserunt & Auctoritate Apostolica præmissa in præmissis efficacis deffensionis presidio assistentes suprascriptum Rev. Fratrem Nicolaum nomine suprascripti Reverendissimi Dom. Correctoris generalis cessione, assignatione, erectione, institutione, applicatione indulto, & decreto aliisque premissis in predictis litteris Apostolicis contentis, juxta earumdem & predicti processus continentiam, & tenorem pacifice & quiete uti, frui, potiri, & gaudere mandaverunt. Et sic Ego Notarius publicus infrascriptus processum predictum cum litteris Apostolicis introclusis, alta, & intelligibili voce de verbo ad verbum perlegi, & illum & illas intimavi, insinuavi, & notificavi omnibus & singulis sua communiter vel divi-


divisim interesse putantibus, ac alia feci prout in eisdem litteris Apostolicis & processu superius ut supra fulminato plenius continetur, & demandatum est. Et successive predicti Dom. Plebani Commissarii & subexecutores Apostolici per manum apprehensum, supradictum fratrem Nicolaum nomine Reverendissimi Correctoris generalis in possessionem realem, corporalem & actualem dictæ Ecclesiæ per osculum altaris faciendoque ipsam aperire & claudere portam ejusdem Ecclesiæ ipsumque introducendo per domum Ecclesiæ & illius hortum, & servando alias solemnitates opportunas & de jure debitas In Dei nomine posuerunt & induxerunt, & premissa omnia facta extiterunt cum presentia, & consensu Clariss. D. Francisci Quirino qu. Cl. D. Stephani moderni Prioris suprascripti Prioratus S. Bartholomæi qui omnem supellectilem sacram, ornamenta, ac alias res divino cultui dicatas eidem Rev. Patri Nicolao ut supra intervenienti consignare fecit. Quibus omnibus sic peractis postea prædictus Rev. Fr. Nicolaus Christiani super ara dictæ Ecclesiæ devote primam missam sacratissimam celebravit predicto Cl. Priori & me Notario cum aliis personis presentibus & audientibus. Et hoc in signum vere & actualis possessionis. De & super quibus omnibus & singulis premissis rogatus fui ego Notarius publicus infrascriptus ut hoc presens publicum conficiam instrumentum.

Actum Venetiis in Ecclesia suprascripta S. Bartholomæi de Castello sub anno die mense, Indictione, & Pontificatu quibus supra, presentibus ibidem Rev. D. Præsb. Stephano Cagnolo ultimo Cappellano dictæ Ecclesiæ, & D. Dominico Paduano qu. Antonii famulo Magnif. Dom. Antonii Milledonne a Secretis Illustr. Consilii X. testibus ad premissa vocatis, atque rogatis.

Ego Antonius de Callegarinis publicus Apostolica Imperiali & Venetiarum auth. Notar. premissis interfui ea scripsi & publicavi, ac meis signo & nomine roboravi rogatus.



DE



DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTI MARTINI EPISCOPI,
Et CONFESSORIS.

ALtera, quæ a Patavinis advenis ædificata fuit Ecclesia in Insulis Gemellis, Divo Martino Turonensi Episcopo, cujus sanctitatis fulgor, & miraculorum fama per universum Christianæ fidei orbem sese diffuderat, dicata fuit. De ejus fundatione hæc affert Anonymus Sæculi XIII. Chronologus: *Vallerissi & Pipini multa habentes erunt Patrocinia de Corpore S. Martini Confessoris isti cum aliis convicinantibus fecerunt Ecclesiam ad ejus honorem.* Hæc tamen potius ad ejus reædificationem deducenda sunt, ut notat Sansovinus, quia ad eam primo extruendam erogatis impensis convenisse Patritias Familias Vallaresiam, & Salonigam testatur antiqua ms. Chronica Anonymi authoris.

Una cum Divi Silvestri Ecclesia Gradensis Patriarchæ jurisdictioni subjecta fuit, ejusque Plebani ex antiqua consuetudine in obsequii signum Patriarchæ Gradensi duas ampullas vini *ante festum S. Viti*, atque duas pariter *octavo die ante festum S. Martini* pro ipsorum annuntiatione festorum

Tt 2 dare

dare tenebantur, atque in festivitate S. Martini ipsis refectionem præparare. Patent hæc ex solemni manifestationis instrumento, per quod mense Octobris anni millesimi centesimi nonagesimi quinti Ind. XIII. *Leonardus Primicerius Ecclesiæ Castellanæ Plebanus S. Martini* fatetur se cum suis successoribus *de jure & consuetudine* dare teneri Joanni Signolo Gradensi Patriarchæ, & successoribus suis suprarecensita subjectionis testimonia. (A) Ei, quem supra attulimus, censui accessere tractu temporis duodecim grossi parvi monetæ Venetæ per octo dies *ante festum S. Viti* una cum duabus *zucchis vini* Patriarchæ annuatim solvendi. A tali census solutione ab anno Domini 1389. cessavit *indebite & injuste* Jacobus de Thedullinis Plebanus Ecclesiæ, statutæ subjectionis debitum Petro Patriarchæ Gradensi solvere & dare recusans.

Quæstio hinc exorta ad Joannem Priorem S. Salvatoris de Venetiis, (qui per Sedem Apostolicam specialiter deputatus fuerat *Judex & conservator privilegiorum Petro* [de Ameliis] *Patriarchæ Gradensi a Sede Apostolica indultorum*,) ut judicio dirimetur deducta fuit. Agente igitur Jacobo Priore S. Clementis de Venetiis ipsius Patriarchæ Gradensis procuratore Joannes Judex & conservator prædictus pro tribunali sedens Plebanum S. Martini ad census solutionem pro transacto etiam tempore teneri decrevit lata sententia sub anno Nativitatis Dominicæ millesimo trecentesimo nonagesimo octavo die nona Martii, quam sententiam in publicas tabulas redegit Johannes de Nivernis Not. & Gradensis Curiæ Scriba (B).

Nimia fatiscens vetustate cum ad ruinam Ecclesia vergeret in elegantiorem formam ad Sansovini archetypum renovari cœpit anno 1540. Antonii Contareni ejus Plebani laudabili studio, quod & ex ipsius emortuali inscriptione patet hæc referente:

„ Morte che è detta sonno da chi crede
„ Terrà quì chiuso Antonio Contarino
„ Autor di far la Chiesa a San Martino
„ Per fin che il chiama Dio in la sua Sede.

Ut autem ad sui perfectionem laudabile opus citius perduceretur, vineas quas non longe ab ipsa Ecclesia Sacerdotale Collegium possidebat, venumdedit, redactamque ex eis mille aureo-

rum pecuniam in ſacrum ædificium nunquam ſatis laudato exemplo erogavit. Conſecratio tamen diu dilata fuit donec anno 1653. die 5. Februar. Joannes Franciſcus Maurocenus Venetiarum Patriarcha Templum plurimis decoratum Sanctorum Corporum fragmentis Deo ſub D. Martini Epiſcopi invocatione dicatum conſecravit, ut ex marmorea innoteſcit epigraphe.

„ Divino Numini D. Martini Epiſcopi nomini dicatum ab
„ Illuſtr. R.mo D. Joanne Franciſco Mauroceno Venetiarum Pa-
„ triarcha conſecratum hoc Templum fuit Antiſtite ejuſdem
„ R. D. Rocco Zignonio Anno 1653. Non. Febr.

In Sacello ad ſiniſtram majoris aræ Dominum reſurgentem Joannes Baptiſta Cima Coneglanenſis depinxit, ad parietes vero ejuſdem Sacelli Chriſtum tum flagellatum, tum Crucis patibulum bajulantem expreſſit Jacobus Palma, cujus quoque opus eſt tabula Divum Laurentium Juſtinianum exhibens, modo ad Eccleſiæ parietes appenſa.

Adjacens Eccleſiæ Oratorium ad Sodalitium S. Martini ſpectat, in quo præter nonnullas Sanctorum reliquias aſſervatur ejuſdem Sancti Titularis Articulus. Sanctiſſimi hujus viri Crus poſſidetur a magno S. Joannis Evangeliſtæ ſodalitio, quod ex antiqua immemorabili conſuetudine die XI. Novembris ſacram reliquiam ſolemniter ad hanc Eccleſiam defert, ibique decantatis ad S. Epiſcopi laudem ſacris hymnis rurſus eadem feſtiva pompa ad ſuas ædes reducit.

Magnificum in hac Eccleſia exſurgit Mauſoleum Franciſci Ericii Ducis Venetiarum, cujus marmoreo ſimulacro ſubjacet hoc elogium.

„ Dei Gloriæ, Patriæ amori, poſteritatis documento Fran-
„ ciſcus Ericius Venetiarum Dux Cæleſtique ope, Reip. Be-
„ nignitate Præcipuis dignitatibus Terra, Mari perfunctus,
„ Decimum ſummo armorum inſignitus imperio abſens, ad
„ principatus faſtigium evectus, vivens, hoc perenne grati
„ animi monumentum fieri juſſit.

Index Chronologicus Plebanorum Ecclesiæ Sancti Martini.

1107. Dominicus Flabianus. Ex donatione Ordelaphi Phaledri Ducis facta Joanni Gradonico Patriarchæ Gradensi.

1152. Marinus Agnello. Ex sententia Henrici Dandulo Patriarchæ Gradensis.

1155. Giraudus Canello Notarius. Ex Archivo Sancti Joannis de Torcello.

1187. Leonardus Corrado Primicerius Castellanus. Promittit censum Joanni Signolo Patriarchæ Gradensi.

1203. Joannes de Cardiaga Pleb. S. Martini in Geminis. Ex Ughell. Tom. x. col. 81.

1249. Bartholomæus Quirino Romei filius, postea anno 1267. electus Episcopus Castell.

1291. Petrus Andreas. Ex Catast. Ecclesiæ.

1310. Thomas Theupulo ob conjurationem Bajamontis Theupuli, cui adhæserat, pulsus in exilium. Ex Chron. ms. Savinæ.

1314. Michael Bondimerio Presb. primum Sancti Pantaleonis, mox Plebanus Sancti Martini Not. & Aulæ Ducal. Cancell. Ex rog. ipsius.

1360. Franciscus Alberengo. Ex Catast. Eccl.

1391. Zigordus de Zigordis Not. Ex rog. ipsius.

1398. Jacobus de Thedullinis. Ex sententia Joannis Prioris S. Salvatoris.

1400. Fantinus Laurentii Remarii filius. Ex Catast. Eccl.

1423. Marcus Nigro. Ex rog. Francisci Gritti Pleb. Sancti Pantaleonis.

1433. Victor Veglo. Ex Catast. Eccl.

1449. Antonius Michael transiit ad Plebanatum S. Pantaleonis. Ex Catast. Eccl.

1459. Antonius de Lauris Not. primum Presb. S. Martini, & S. Mariæ Formosæ, deinde Plebanus S. Pantaleonis, Acolythus Pontificius. Hic cum esset Prior Commendatarius S. Michaelis de Mirano Diœcesis Patavinæ Prio-

Prioratum ipsum permittente Sixto IV. cessit Canonicis sæcularibus Congregat. S. Georgii in Alga.

1482. Joannes Testa. Ex Catast. Eccl.

1490. Hector Carrerius. Ex rog. Presb. Laurentii Stella Not.

1508. Joannes Grandius Andreæ filius. Ex Catast. Eccl.

1527. Andreas Livrerius. Ex Catast. Eccl.

1528. Joannes Illibertinus. Ex Catast. Eccl.

1528. Antonius Contareno Canon. Ducal. cujus studio reædificatur Ecclesia. Ex Catast. Eccl.

1556. Petrus Premina Canonicus Castell. & Archipresb. Congregationis Sanctæ Mariæ Formosæ. Ob. 13. Martii 1560. Ex Catast. Eccl.

1560. 21. Martii. Matthæus Baldigara Canon. Castell. Obiit 1570. Kal. Martii. Ex Catast. Eccl.

1570. 6. April. Daniel Grisonius Cantor S. Marci, & Capell. Curatus S. Severi. Confecit Catasticum Ecclesiæ vigore (ut ipse dicit) Decreti editi super Catastica facienda a Joanne Trivisano Patriarcha Venetiarum. Ob. 13. Octobris 1574.

1574. Benedictus a Molino. Ob. 30. Julii 1576.

1576. Marcus Antonius Arsenius. Ob. 16. Octob. 1590.

1590. 6. Novemb. Antonius Novellus Canonicus Ducal. Ob. 22. Augusti 1615.

1615. Joannes Franciscus Locadellus Canon. Ducal. Ob. 22. Febr. 1649. M. V.

1649. M. V. Roccus Zignonius. Ob. 25. Nov. 1662.

1662. Joannes Petrus de Bertis Canon. Ducal. Archipresbyter Congregationis Sanctæ Mariæ Formosæ. Ob. nonagenarius 26. Junii 1712.

1712. Marcus Antonius Gasparenus Sac. Theol. Doctor Concionator eximius. Anno 1719. die XXVIII. Martii vix exorsus Panegyrim de saera Spina D. N. J. C. in Ecclesia S. Mariæ de Cælestibus (la Celestia) e vestigio repentina morte corripitur, post cujus obitum sermones quadragesimales ab ipso concinnati typis editi fuerunt.

1719. Bernardus Mercanti. Ob. 28. Januar. 1734. M. V.

1734. M. V. Dominicus Adamol.

Leonar-

Leonardus Plebanus Sancti Martini affirmat censum debitum Patriarchatui Gradensi.

A 1195. Octobris.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Nomine Domini Dei & Salvatoris Nostri Jesu Christi Anno Incarnationis ejusdem 1195. Mensis Octobris Indictione XIII. Rivoalti. Manifestum facio Ego Leonardus Primicerius Ecclesiæ Castellanæ Plebanus Sancti Martini quia de jure & consuetudine dare teneor cum meis successoribus annuatim octavo die ante festum Sancti Viti duas ampullas vini Domino Johani Signolo Gradensi Patriarchæ & omnibus Patriarchis qui Gradensi Ecclesiæ per tempora præsunt pro Annuntiatione festi. & duas alias octavo die ante festum Sancti Martini pro ipsius Annuntiatione festi & nisi per eos remaneat omni anno in festivitate Sancti Martini refectionem.

✠ Ego Leonardus Castellanus Primicerius & Sancti Martini Plebanus m. m. ss.

✠ Ego Dominicus Presb. Plebanus Sancti Johanis Evang. tt. ss.

✠ Ego Martinus Presb. Plebanus Littoris Albi tt. ss.

L. S. Ego Paternianus da putheo Subdiaconus & Notarius complevi & roboravi.



Joannes

Joannes Prior Sancti Salvatoris de Venetiis Judex Apostolicus condemnat Plebanum S. Martini de Venetiis ad solvendum censum Petro Patriarchæ Gradensi.

B 1398. 9. Martii.

Ex Archivo Patriarchali.

IN Christi nomine amen. Nos Johannes Dei & Apostolicæ Sedis gratia Prior (*a*) Monasterii S. Salvatoris de Venetiis, judex & conservator privilegiorum Reverendiss. in Christo Patri, & Dom. Dom. Petro miseratione Divina Patriarchæ Gradensi (*b*) a Sede Apostolica indultorum per eamdem Sedem Apostolicam specialiter deputatus. Cognoscentes de causa coram nobis vertente inter prefatum D. Patriarcham, seu Ven. Virum D. Jacobum Priorem S. Clementis de Venetiis procuratorem & nomine procuratorio ipsius ex parte una impetentem & Ven. Virum Dom. Jacobum de Thedullinis Plebanum Ecclesiæ S. Martini de Venetiis eidem D. Patriarchæ immediate subjectæ seu Presb. Fantinum q. Laurentii intitulatum Sacerdotem ejusdem Ecclesiæ procuratorem & nomine procuratorio ipsius ex parte altera defendentem prout de eorum mandatis crebro facta extitit plena fides. Notum facimus, & testamur quod idem D. Jacobus Prior, & Procurator dicti D. Patriarchæ, & nomine procuratorio ipsius dixit & asseruit in judicio coram nobis quod prefatus D. Plebanus tenetur dare & solvere dicto D. Patriarchæ Gradensi annis singulis per octo dies ante festum S. Viti duas zuchas vini & duodecim grossos parvorum Monetæ Venetæ. Et quod prefatus D. Plebanus dictas duas zuchas vini, & duodecim grossos parvarum ab anno Domini 1389. usque in hodiernum diem cessavit & recusavit dare, & solvere prefato Dom. Patriarchæ indebite & injuste. Quare petiit idem D. Prior & procurator nomine quo supra dictum D. Plebanum seu dictum Presb. Fantinum procuratorem & nomine procuratorio quo supra per nos sententiari & codempnari, ac sententiatum & condempnatum cogi, & compelli ad dandum & solvendum dicto D. Patriarchæ seu sibi procuratori nomine procuratorio quo supra dictas duas zuchas Vini, & duodecim grossos parvorum pro toto tempore preterito una cum expensis in hac causa factis & faciendis. Unde Nos judex & conservator prefatus visa petitione prædicta visis nonnullis attestationibus testium pro parte dicti D. Patriarchæ productorum nec non litteris instrumentis registris scripturis ac juribus, & rationibus partium productorum & actis & actitatis in hac causa auditisque ad plenum partibus supradictis quicquid dicere proponere & allegare voluerunt coram nobis considerantes quod dictus presb. Fantinus Procurator nihil dicebat proponebat seu allegabat contra prefatum Dom. Plebanum ad solutionem dictarum duarum zucharum, & duodecim grossorum pro toto tempore supradicto condempnare non deberemus. Christi nomine invocato pro tribunali sedentes per hanc nostram difinitivam sententiam quam ferimus in hiis scriptis sententiamus & sententiando condempnamus prefatum D. Plebanum Sancti Martini, seu dictum Presb. Fantinum Procuratorem procuratorio nomine quo supra presentem & non contradicentem ad dandum & sol-

(a) De Joanne Priore S. Salvatoris deque hac sententia verba fecimus Operis hujus T. II. Dec. III. pag. 253.

(b) Petrus Amelio Patr. Gradens. de quo Operis hujus T. III. Dec. IV. pag. 35.

vendum dicto Dom. Jacobo Priori & procuratorio nomine quo supra dictas duas zuchas vini, & duodecim grossos pro toto tempore supradicto una cum quatuor libris parvorum pro expensis in hac causa factis. lecta lata & pronunciata fuit supradicta definitiva sententia per dictum D. Priorem Judicem & conservatorem in Patriarchali palatio Gradensi sub anno Nativitatis Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octavo Indictione sexta & die nono mensis Martii Presentibus providis viris Presb. Marco Dandulo S. Cantiani, & s. Bartholomeo a lignamine contrate S. Joannis Novi de Venetiis pluribusque aliis testibus ad premissa vocatis, & rogatis.

L. S. Et Ego Johannes de Nivernis publicus Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius, & Curiæ Gradensis scriba premissis omnibus & singulis una cum predictis testibus presens fui, eaque propria manu scripsi & signo meo solito signavi &c.



DE



DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTI JOANNIS in Bragora.

HAUD procul a Centro Olivolensi duæ assurgebant altiori fundo paludes (Tumbas vocant Veneti chronologi) quas ex magnitudine pari, & figura non absimili vulgus voce tunc vernacula *Isole Zimolle* nuncupabat: Insulas geminas diceres, seu potius gemellas. Ad eas plurimi ex Opiterginis, Patavinis, aliisque finitimis populis furentium Langobardorum metu tanquam ad certum securitatis asylum confugerunt. Ædibus constitutis in unaquaque Insula Ecclesiam quoque construxerunt, quarum major, & ornatior B. Joannis Baptistæ Præcursoris nomine dedicata est. Huic originem fecisse fertur Divum Magnum Opiterginum Episcopum, qui declinandi Barbarici furoris causa Venetiis degens cœlesti monitu accepto, in loco ipso a Præcursore sibi in visione apparente connotato novi Templi fundamenta poni mandavit.

Vetustissimum Ducalis Ecclesiæ *Passionarium* matutini lectionibus olim inserviens revelationes Divo Episcopo factas in ejus vita recenset, deque S. Joannis Baptistæ Templo refert:
„ Quinto Sanctus Joannes Baptista eidem apparens, designatis

 ei lo-

„ ei locis, sibi unam, Patrique suo Zachariæ alteram fabricari jussit Ecclesiam: quæ quidem Ecclesiæ nunc cernuntur. „ Patris quidem in uno loco, Filii autem in loco, quem Bragora dicitur, seorsum posita Ecclesia conspicitur.

De hujus Ecclesiæ ædificatione hæc affert Dandulus in Chronico lib. VIII. cap. I. part. 4. *Parentes quoque Joannis Talonici Ecclesiam in honorem S. Joannis Baptistæ quæ vulgari nomine in Bracula dicta est, in Geminas condiderunt.*

Verum cum ex antiqua Ecclesiarum traditione fundatio Templi S. Joannis Baptistæ in Insulis Geminis ad annum sexcentesimum trigesimum nonum refertur, quum Divus Magnus Venetias sese recepit, profecto Danduli verba vel de aliqua reædificatione (ut Sansovinus autumat) intelligenda sunt, vel potius parentum nomine veniunt progenitores Joannis Talonici, quem post annum octingentesimum vigesimum quartum ex ipso Dandulo comperimus, suspendio sublatum. Cur autem hæc sacra ædes *vulgari nomine in Bragula dicta* sit, rejectis Sansovini aliorumque minoris notæ Scriptorum ineptiis, ex supralaudato Dandulo addiscimus agnomen hoc suscepisse ex quodam Orientis loco seu Provincia Bragula dicta, unde Divi Præcursoris Reliquiæ Venetias translatæ sunt, & in ipsius Ecclesia repositæ. Hæc lib. VIII. cap. XIII. part. X.

„ Dominicus Episc. natione Venetus ex Patre Joanne Talonico, sedit annis X. Hic fuit Capellanus S. Marci, & Ducis „ Cancellarius, qui de Provincia vocata *Bragula* Reliquias S. „ Joannis Baptistæ deduxit, & in Ecclesia quam sui Progenitores sub Sancti vocabulo fabricaverant cum devotione deposuit, vocataque est hac de causa S. Joannis Bragulæ.

Hæc Petro Candiano Duce hujus nominis tertio acta fuisse, præter Dandulum, ipsa etiam epigraphes testatur in aula Supremi Consilii imagini Petri Ducis supposita. *Sub me Reliquiæ* S. Joannis Bragoræ Ecclesiæ deponuntur.

Anno millesimo centesimo septuagesimo octavo ex longi ævi injuriis ruinæ proxima pecuniis ex redituum venditione coactis reædificatur, & rursum temporis morsu attrita anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto ex piorum eleemosynis renovatur. Novissime ad annum millesimum septingentesimum vigesimum octavum aliqua sui parte labefactata ad recentiorem, ornatioremque formam deducitur.

Ab

Ab Antonio Suriano Patriarcha Venetiarum ritu ſolemni conſecratam fuiſſe Anno MDV. ſignificat marmorea epigraphe perpetuam rei memoriam exhibens:

„ MDV. Die VI. Novemb. Ego Antonius Suriano Miſeratio-
„ ne Divina Patriarcha Venet. Dalmatiæq. Primas conſecravi
„ Eccl. hanc in honorem S. Jo. Bapt. in Bragora ſing. Chri-
„ ſti Fi. in Anniverſario Conſecrationis hujuſmodi Ipſam viſit. XL.
„ dies de vera Indul. in forma Eccl. conſueta concedens.

Duæ ex Dominica Corona venerabiles Spinæ præcipua veneratione in hac Eccleſia coluntur ſtatutis diebus frequenti populorum devotioni expoſitæ.

Aſſervantur quoque in ea hæ Sanctorum Reliquiæ.

Coſta Divi Jacobi Minoris Apoſtoli cui annexa eſt plumbea lamina antiquis prorſus caracteribus hæc exhibens:

Del anno 1251. Donolla M. Bonaventura Beccher Fratello di Scuola con ſua Moglie donna Maria, ſuo Figlio Marco, e ſua Figlia Cattaniza eſſendo Gaſtaldo debba portarla alla Scola i di ordenadi, e moſtrarla per devozion de tutte le perſone.

Anno MCCLI. D. Bonaventura Lanio cum Uxore ſua Maria & filio Marco, atque filia Catharina, cum eſſet Cuſtos donavit hanc Reliquiam, ut ſtatutis diebus devotionis intuitu, populorum venerationi exponatur.

Reliquia S. Stephani Prothomartyris, quam argenteo brachio incluſam ex Albanenſi Provincia Sacerdos quidam detulit, atque mulieri conſanguineæ Venetiis in vico hujus Parœciæ degenti dono dedit. Hanc anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo a domo privata, ubi minus condigne ſervabatur, ad proximam S. Joannis Baptiſtæ ædem ſolemne Principis Decretum transferri mandavit.

De Brachio S. Laurentii M.
De Oſſibus Sancti Liberalis Altinatis Conf. aliorumque Sanctorum.

Ad cœleſtes quas recenſuimus divitias accedunt quoque præclariſſima Picturarum ornamenta. Chriſtum enim cum Apoſtolis diſcumbentem Paris Bordonius, Diſcipulorum pedes lavantem,

tem, atque alibi ad Pilati tribunal constitutum Jacobus Palma laudatissimi pictores expresserunt. Aram D. Andreæ Apostoli, quam sex circumambiunt tabellæ, Victor Carpatius; Majoris vero Altaris tabulam Baptista de Coneglano pinxerunt.

Præcipuus tamen Ecclesiæ decor ex inæstimabili provenit thesauro corpore scilicet S. Joannis Patriarchæ Alexandrini cui ob eximiam in pauperes misericordiam universalis Ecclesiæ consensu Eleemosynarii cognomen inditum est. Sanctissimi viri mentionem ingerit Dandulus lib. VI. cap. IV. part. I. *Eodem tempore* (Anno Domini MCX.) *Joannes Patriarcha Alexandrinus claruit, qui ob eximiam in Christo liberalitatem Nomen Eleemosynarii habere promeruit, cujus corpus sub Marino Mauroceno Duce Venetias delatum est.* Translatio vero ad Danduli Chronicon lib. X. cap. VI. part. 3. in margine Codicis Ambrosiani recensetur his verbis: *Sub hoc etiam Principe* (Marino Mauroceno) *corpus Joannis Patriarchæ Alexandrini cognomento eleemosynarii Venetias est delatum qui claruit Anno Christi* 710.

Translationis seriem exhibemus ex constanti Ecclesiæ traditione, atque ex probatioris notæ ms. authoribus concinnatam, nihil omnino eam historiolam attendentes, quam anno 1610. typis edidit Roccus Brunius, utpote quæ ex æquivoco translationis alterius D. Joannis Alexandrini M. multis præsertim in chronicis notis erroribus scatere dignoscitur. Ita igitur res se habuit.

Celeberrimum olim ob virtutum insignia & prodigiorum frequentiam apud Orientales populos D. Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini nomen etiam apud Venetos cives sese diffuderat, qui Alexandriæ fines vehendarum mercium intuitu navibus frequentabant, eo potissimum tempore quo victricis Reipublicæ arma potiori Orientalis Imperii parte dominabantur.

Circa ea tempora anno scilicet 1217. Jacobus Teupulo qui in Urbe Byzantina, atque in quarta parte, & dimidia totius Imperii Romaniæ Veneti Prætoris officio fungebatur, audita fama, quæ de S. Joannis Eleemosynarii prodigiis percrebuerat, apud se statuit, patriam suam, si quo fieri pacto posset, inæstimabili sacri corporis thesauro ditare. Ad Ducale itaque non multo post fastigium evectus de sacri pignoris acquisitione sollicitus Laurentio Bragadeno Veneto Triremium Duci, quæ commer-

mercii causa Alexandriam eo temporis mittebantur, mandavit, ut opportuna, si quando ei daretur, occasione sacrum corpus Alexandria subduceret, ut Ecclesiam ejusdem Divi nomine in Rivoalti Insula ædificatam tanto munere locupletaret. Res tandem Deo favente cessit e voto; siquidem anno 1249. Marino Mauroceno Duce, dum adhuc supralaudatus Jacobus abdicata dignitate in vivis degeret, venerandum D. Joannis corpus Venetias deductum est, & in Ecclesia S. Joannis Baptistæ in *Bragora* nuncupata cum summa totius Urbis lætitia collocatum. Ad hæc traditio hujus Ecclesiæ addit, triremem sacro pignore onustam, quæ ventorum remigumque vi ad Ducalem plateam urgebatur, dum ante adversam ripam, qua ad Sancti Joannis Baptistæ Ecclesiam iter est, transiret, adeo repente & fortiter hærentem constitisse, ut nullo unquam conatu de loco dimoveri potuerit. Necessitate itaque compulsi sacrum pignus ad terram deducere decreverunt, cumque & hoc irrito labore experti essent, atque venerandi corporis loculus Episcopo Castellano etiam auxilium præbente immobilis perseveraret, ut manum operi admovit Joannes Bellinus propinquæ Parœciæ Plebanus vir venerandæ senectutis, facili nisu ad terram passus est se deduci. Ut autem terrestri itinere cœptum est sacras exuvias ad Rivoalti Ecclesiam adducere, tantus tonitrui fragor tantaque inundatio pluviæ subito erupit, ut ultra procedere non valentes Ecclesiam S. Joannis Baptistæ ingredi sollicite coacti sint, atque in ea ad aram principem venerandum corpus deponere. Factum est autem post hæc, ut quotiescumque de sacro pignore ab Ecclesia amovendo actum sit, prodigiosa illum immobilitate donatum invenerint, ex quo aperte noverunt Divinæ esse voluntatis consilium, ut venerandæ Divi Patriarchæ exuviæ eo in Templo requiescerent. Ea propter nihil ulterius experiri decreverunt, pedesque tantummodo quos ab incorrupto corpore separatos advexerant, quasi in perpetuæ protectionis pignus in sacrum Ducalis Basilicæ thesaurum intulerunt. Aliud deinde portentum evenit; corpus enim Divi Patriarchæ, quod ad aram maximam totius Urbis veneratione colebatur, noctis tempore nullo movente ad remotiorem Ecclesiæ partem reducitur, & ne hoc casu, vel humano consilio actum crederetur, in loco ubi primitus jacuerat pagina inventa est hac epigraphe inscripta: *Præcursori*

Chri-

Christi locum cedo. Traditum quoque est Paulum Duodum virum æque nobilem ac pecuniosum disposuisse olim venerando corpori magnificum tumulum excitare, sed cum ea, quæ interdiu operabantur, noctu destruerentur, prudenter creditum est Sanctum virum ob eam, qua vivens præstabat, humilitatem, sicuti ab ara majori se subduxerat, ita divitis sepulcri pompam recusare; quapropter ligneo inaurato loculo decenter inclusum in eo placide substitit, & conquievit. Ea quæ retuli prodigia, in solam traditionem resolvuntur, a qua ne minimum quidem discessi. Interea tamen ad fidem adhibendam sollicitamur præsenti adhuc prodigio, quod sacrum nempe corpus mirabili integritate donatum ad nostra usque tempora incorruptum perseveravit; quinimmo Pontificalia indumenta, quibus in sui translatione indutum fuerat, a temporis edacitate, atque a tinearum morsu illæsa nec primam firmitatem, nec colorum variam pulchritudinem amiserunt. Anno millesimo trecentesimo vigesimo sexto die XIV. Septemb. Jacobus de Albertinis Episc. Castellanus duobus sociatus Episcopis de veteri ligneo loculo sacrum corpus ad ornatius sepulcrum magna pompa deduxit, ut testatur antiquum documentum ex Archivo Ecclesiæ depromptum.

✠ Corando MCCCXXVI. Mense Setenbrio di Domenega 14. intrando in lo di della Biada preziosa sanctissima Croxe si fo traslatado e metudo de J. arzela veja in J. nova beletissima lo corpo prezioso del Biado Meser San Zane Confessor con grandissimo onor e con grandissima reverenzia e con grandissima cleresia, e cõn IJ. Vescovi e J. Abadozo con IIJ. maze e con grandissima zente Segnori e Donne e con gran perdonanze per lo Vescovo de Venezia e per quelli IJ. che fo alla traslazion.

Anno MCCCXXVI. Die Dominica 14. intrante Septemb. in festo Beatæ Sanctissimæ Crucis translatum fuit de arca veteri, atque in novam pulcherimam depositum prætiosum corpus B. Dom. S. Joannis Confessor. maximo honore maximaq; reverentia; Interfuerunt duo Episcopi, atque unus Abbas cum baculis pastoralibus plurimiq; e Clero, atque ingens populi frequentia Magnatum præsertim & mulierum, quibus omnibus per Venetum Episc. atque alios ibidem præsentes magna indulgentiarum munera largita fuerunt.

E che sempre questo corpo prezioso si se debbia mostrar j. fiada al mese.

E che sempre se debia far festa in zò, memoria de questa traslazion in zò, lo di che lo fo translatado lo di de la festa de la Biada ✠ zoe di xiiij. intrando lo mese di Setenbrio.

Statutum quoque est, ut prætiosum corpus semel in unoquoque mense ostendatur.

Utque ab hac die in antea memoria translationis ipsius solemniter celebretur eo ipso B. Crucis festo xiv. nempe Septembris die.

Præclarissimum hoc Ecclesiæ, atque Urbis decus adimere nituntur Hungari, qui Possonii corpus S. Joannis Eleemosynarii sese habere gloriantur, Matthiæ Corvino Hungariæ Regi a Mahumete II. Turcarum Imperatore post expugnatam anno 1453. Constantinopolim, ut asserunt, dono missum.

Traslationem hanc, quam alto silentio prætereunt Joannes de Thuuroc, Petrus Ranzanus, Galeottus Martius, & Antonius Bonfinius rerum Hungaricarum scriptores, primus omnium exaravit Osuvaldus Pelbartus Ord. Minorum, in libro, cui titulus *Pomerium* Sanctorum, edito anno 1475. ut ex Gulielmo Cave colligitur, quod consonat Wadingo referenti in Annalibus Pelbartum floruisse circa annum Domini 1483.

Solemnitati translationis interfuit Osuvaldus, ut ipse fatetur, cumque Joannem Eleemosynarium Patriarcham dono datum audisset, neque ei aliquid innotuisset tum de Joanne Alexandrino Patriarcha Venetiis quiescente, tum de altero Joanne Byzantii Patriarcha, cui agnomen pariter Eleemosynarii tributum est; Corpus a Turcis concessum Alexandrino Joanni pertinere autumans, hæc ad illius vitam in Pomerio relatam præmisit. *Vita S. Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini, cujus Corpus translatum habetur Budæ in Capella Regia in Castro, & ejusdem festum celebratur &c.* Tum in calce: *Claruit autem circa annum Domini 605. tempore Phocæ Imperatoris, cujus corpus usque modo stat incorruptum; quod Cæsar Turcarum misit pro munere ex Constantinopoli Ungariæ Regi Matthiæ, & nunc reverenter tenetur in Capella Regia Castri Budensis ubi ad invocationem ejus crebra coruscant miracula præstante D. N. J. C. &c.*

Pelbartum citat Georgius Drascovitius Episcopus Cannadiensis, atque hæc addit: *Huic Pelbarti attestationi adstipulatur Surius,*

rius, qui hoc ipsum Mensis Januarii die 23. in vita S. Joannis Eleemosynarii consignavit. In Veneta Laurentii Surii editione Venetiis facta anno 1587. nullibi verba a Drascovitio citata leguntur, nunquid ipse aliam habuit, ex qua hausit? Ex unius itaque minus accurati viri authoritate totam rem pendere dignoscitur.

Anno MDXXVI. in expugnatione Budæ assertum D. Joannis Corpus in quoddam vicum prope Possonium deductum fuit Ferdinando I. Hungariæ, quo ad Imperiale fastigium post Caroli V. Fratris abdicationem evecto in ipsa Possonii Urbe collocatum anno MDXXX, Novissimæ hujus translationis enarrationem contexuit Georgius Drascovitius Episcopus Canadiensis inter acta Sanctorum ad diem 23. Januar. allatam Tom. II. Januar. in qua ad calcem apponit: *Nonnullorum fert opinio sacrum Divi Joannis Eleemosynarii thesaurum ab Hungaris non possideri*. Porro ji, quos anonymos citat Drascovitius, sunt: Baronius in notis ad Martyr. Rom. Ferrarius in Catalogo Sanctorum, Alphonsus Vigliegas, Petrus Ribadeneira, Manerbius Camaldulensis in versione Italica Jacobi de Voragine, & alii, qui corpus Joannis Patriarchæ Alexandrini Venetiis quiescere notarunt.

Dum de sacratissimi hujus thesauri possessione invicem inter se præclarissimæ urbes decertant, videndum diligenter est secluso partium studio, cujus potiora sint jura, & firmiora argumenta. Si temporis prioritas attendatur, Veneta translatio duobus & ultra sæculis Budensem præcessit; Marinus enim Maurocenus, quo Rempublicam administrante Venetias adductæ sunt venerandæ Reliquiæ, ad Ducalem Sedem evectus fuit anno millesimo ducentesimo quadragesimo nono, Matthias vero Corvinus Hungariæ sceptro potitus anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, diademate coronatus est anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto. In tam longo annorum fluxu identitas Corporis Venetias quiescentis nunquam in dubium evocata fuit; quod Ecclesia Græca, atque Latina æque venerabantur. Græci etenim & ii qui Venetiis Sedem fixerant, & qui ex Oriente adveniebant Ortodoxi pariter & Schismatici a translationis tempore constanter sacrum corpus venerari, eique vota reddere non destiterunt, cujus religionis argumentum est Sacerdotes Græcos ab imme-

mora-

morabili tempore in ejusdem Sancti celebritate solemnia Vesperarum officia in hac ipsa Ecclesia Græco ritu decantare consuevisse. Quod si loci & personarum ratio habeatur, Venetum (sic fari liceat) S. Joannis corpus Alexandria, Budense e Constantinopoli deductum fuit. Amathunte Cypri Urbe, ubi in lucem venerat, spiritum Deo reddidit S. Joannes, ex qua Civitate Constantinopolim translatum fuisse afferunt Hungari, nihil tamen de hujusmodi translatione neque afferentes, neque scientes, ut optime notant Antuerpienses Biographi Tom. II. Januarii ad diem XXIII. *nusquam scriptum reperimus*. Multo quidem probabilius est asserere Divi corpus e Cypro Insula deductum fuisse Alexandriam, ut in Ecclesiæ suæ, quam vivens adeo dilexerat, gremio tumularetur, in eo utique sepulcro, quod (ut in vita ejus legitur) sibi vivens ædificari mandaverat.

Unanimis erat totius Orientis consensus Divum Joannem Alexandriæ quiescere, ad quam utique Civitatem venerationis causa populi confluebant prodigiorum fama allecti, quæ Divina clementia quotidie ejus intercessione patrabat. Horum fulgore excitatus fuit, ut jam dictum est, Jacobus Theupulus, qui Byzantii rebus pro Venetis præerat, ut patriam suam tanto pignore exornaret. Si vero Amathunte deductus fuisset Constantinopolim, non utique Alexandria eum Veneti deduxissent, sed ab ipsa Imperiali Urbe, in qua eo temporis dominabantur. Quod si inepte reponeretur Alexandrinos, ut Venetæ devotioni illuderent, corpus aliud supposuisse, atque verum Joannis Corpus Constantinopolim deduxisse; cur ergo Byzantini, ubi etiam desiit Veneta in iis partibus Dominatio, corpus Venetiis asservatum tanta religione venerari, ne dum aliud non opponere, perseveraverunt? Nec miracula, quæ tum Budæ, tum Possonii patrata dicuntur pro argumento afferantur, siquidem præterquamquod ducentis & ultra annis ante Budensem translationem Venetiis etiam sacrum corpus prodigiis effulsit, & ad nostra usque tempora coruscat, rei veritas certo jure pro Venetis validissimis rationibus & argumentis roboratur.

Quamvis autem ex mei instituti ratione satis habeam, si Corpus D. Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini Venetiis quiescere ex Scriptorum authoritate, & factorum congruentia ostendere valuerim, tamen ad pleniorem rei certitu-

 dinem,

dinem, & ut dubium omne procul amoliar, non abs re erit, ex alio, & quidem germano authore cujus Divi sit Corpus Possonii asservatum addiscere.

Joannes Langius magni nominis, & doctrinæ vir Ferdinandi Romanorum & Hungariæ Regis Consiliarius in editione Basileæ facta annis 1552. & 1559. Historiæ Nicephori Callisti a se in Latinum redditæ ad libri XVIII. cap. XXXIV. ubi de Joanne agitur Patriarcha Constantinopolitano Jejunatore nuncupato, qui anno quinquagesimo nonagesimo quinto decessit, hunc laudibus præcipue effert *propter suam erga pauperes affectionem & misericordiam*. Nicephori elogium a Langio latine versum hoc est. " *Tum vero* Hierarcha Urbis Constantinopolitanæ Joan„nes post Episcopatus sui annos tredecim ex hac vita deces„sit. Qui quod voluptates expugnaverit, animique perturba„tiones coercuerit, & imperium in ventrem exercuerit, Jejuna„tor a Byzantinis cognominatus est. Vir ex Idiotarum qui„dem ille, & opificii non inhonesti ordine progressus, pro„pter præstantem virtutem ad Episcopatus fastigium subla„tus est. De quo cum multa alia memoratu digna prædican„tur, tum illud maxime celebratur, quod propter suam er„ga pauperes affectionem, & misericordiam, pluribus ab Im„peratore talentis mutuo sumptis syngrapham illi dederit, „qua substantiam suam mutuæ pecuniæ, tanquam in ypothe„cam apposuit, atque impignoravit. At postquam is e vita „migravit, Mauritius Antistitis facultates requirens, paupertа„tem magnopere consectatum fuisse comperit, eumque de „virtute tanta admiratus syngrapham statim discerpsit, & le„ctulum tantum ligneum, qui in bonis ejus repertus est, & „amiculum laneum tenue admodum, nec non penulam quam„dam deformem, fuerat namque Joannes male vestitus, fru„galitate conspicuus, in Aulam Imperialem inferre jussit; at„que rebus omnibus prætulit, & jejuniorum dierum tempo„re, deinceps, lectis, & auro, & lapillis pretiosis concinna„tis, sericisque vestibus, & aliis Imperialibus deliciis vale„dicto, ligneo Præsulis ejus toro noctibus totis usus est gra„tiam quamdam divinam ex eo se consequturum *existimans*." Ut ad hoc Joannis encomium pervenit Clarissimus interpres notam hanc marginalem adjecit: " *Alii Joannem* Eleemosyna„rium vocant, cujus sacri cineres in acie *Budensi fuere*": Et

hæc

hæc quidem nota tam in Basileensibus, quam in Parisiensi Historiæ impressionibus apposita, certiores facit ab ipso versionis authore adjectam fuisse. Cum autem Langius asserat sacros Joannis Constantinopolitani Patriarchæ cineres in arce Budensi fuisse, de eo corpore intelligendus est, quod Buda Possonium deduci mandavit Ferdinandus I.

In Regis hujus ministerio Langius Consiliarii munus agens Latinam Nicephori versionem Ferdinando ipsi obtulit, dicavitque, qui propterea Regii ærarii impensis imprimi Basileæ mandavit; quæ quidem omnia validissimo argumento sunt, nec Hungaros ipsos eo tempore putavisse Divum Joannem Alexandrinum Antistitem Possonii quiescere.

Nec Eleemosynarii, & Jejunatoris agnomina tantum, sed & Sancti titulus Joanni Constantinopolitano Patriarchæ ab Orientali Ecclesia tribuitur in Græcorum & Moscorum fastis, atque in celebri Menologio Basiliano; Aliqui etiam ex Latinis Sanctum vocant, atque eos inter Cornelius a Lapide dum in commentario super Ecclesiasticum versiculum XIX. cap. XXIV. explanat, hæc affert: " *Vir* bonus fidem facit pro proximo suo, " idest fide jubebit spondebit pro proximo suo quasi diceret " Viri boni officium est; ad eundem spectat fide jubere pro " proximo suo. Ita S. Joannes Eleemosynarius sua omnia pro " pauperum præsidio oppignoravit Mauritio Imperatori, qui " cum moriens parum reliquisset, Mauritius ejus lectulum ligneum pauperemque, & vestem laneam vice debiti accepit, " eaque rebus omnibus prætulit, adeo ut jejuniorum diebus in " eodem lectulo cubaret dictitans se ex eo divinam quamdam gratiam *consequi: Ita Nicephor. lib.* 18. *cap.* 34." Ab iis tamen dissentit Baronius qui Joannis pervicaciam in arrogando sibi retinendoquetitulo Œcumenici Episcopi valde condemnat. Plura in Actis Sanctorum Tom. I. Augusti pag. 70. hac super re inveniuntur.

Joannes itaque Jejunator & Eleemosynarius Patriarcha Constantinopolitanus, cujus exuviæ Possonii asservantur, e vivis excessit Mauritio Orientis Imperatore, alter vero Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus, cujus incorruptum & prodigiosum corpus Venetiis colitur, mortalitatem exuit extremis Phocæ temporibus.

Solemnem S. Joannis memoriam Venetiis celebrandam die

XII.

xii. Novembris ordinaria authoritate sancivit Thomas Donato Patriarcha Venetiarum decreto dato ad diem xxx. Octob. anni 1497.

„ Thomas Donato Patriarcha Venetiarum &c. Venerabili-
„ bus Viris Plebanis & Rectoribus Ecclesiarum nostrarum Sa-
„ lutem in Domino. Quoniam superioribus diebus per paten-
„ tes litteras nostras declaravimus principalem festivitatem S.
„ Joannis Eleemosynarii Confessoris, & Patriarchæ Alexandrini
„ celebrari debere singulis annis die xii. mensis Novemb. si-
„ cuti observatur in tota Orientali Ecclesia ut ex multis do-
„ cumentis (a) didicimus sicuti latius in ipsis litteris nostris.
„ Nuper vero certiores effecti ex antiqua observantia, ac ap-
„ probata consuetudine, quod in Ecclesia S. Joannis Baptistæ
„ dictæ in Bragora in qua Corpus dicti gloriosi S. Confessoris
„ honorifice requiescit, & veneratur, celebrata fuit festivitas
„ Translationis die iii. Februar. quo quidem die tertio festi-
„ vitatis hujusmodi per bonæ memor. Dom. Calistum Sum-
„ mum Pontificem litteris suis patentibus datis anno 1455. die
„ sexta Augusti concessit inter reliqua omnibus visitantibus di-
„ ctam Ecclesiam in qua comprobatur requiescere Corpus ve-
„ nerabile prædicti S. Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Ale-
„ xandrini & manus adjutrices porrigentibus annos septem ac
„ totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis prout latius in
„ eisdem litteris Apostolicis per nos visis & lectis. Et inten-
„ dentes quod minimo in aliquid sit derogatum, quod festivi-
„ tas prædicta translationis hujusmodi non debeat celebrari
„ die tertia Febr. prædicti.

„ Datum in nostro Patriarchali Palatio die xxx. Octobris
„ anno 1497.

Novissimis hisce diebus anno scilicet 1744. Pius Vir *Salvator Varda Medicus* Sanctissimi Patriarchæ monumentum ejusque Sacellum propriis sumptibus magnifice restauratum picturis

etiam

(a) Documenta in Decreto connotata sunt. Menæa Græcorum, Anthologium, Horologium, Menologium Christophori Patritii Mitilenensis, Simeon Metaphrastes, quos afferunt Biographi Antuerpienses; dies vero festa S. Joannis Eleemosynarii a Græcis ideo apponitur ad diem xii. Novemb. eo quia dies undecima præcedens Sancti Patriarchæ emortualis consecrata est Martyrio S. Menæ MegaloMartyris in toto Oriente celeberrimi.

etiam, aliisque præclaris ornamentis decorari mandavit, ad quod die XXIV. Julii solemni pompa sacrum corpus deductum fuit.

Paulus II. *in parochia parochialis Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in Bracula natus, & in ipsa Ecclesia Sacri Baptismatis unda renatus pro ipsius Ecclesiæ decore, atque ipsius Pontificis reminiscentia Plebanum pro tempore existentem ipsius Ecclesiæ Cancellarium studii & universitatis* ab ipso Pontifice in urbe Venetiarum erectæ, *cum honoribus, oneribus, & emolumentis consuetis ad instar aliorum studiorum universalium* Apostolica authoritate constituit & deputavit. Dato Diplomate ad XV. Decembris. MCCCCLXX.

„ Paulus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei
„ memoriam. Inter cæteras felicitates, quas mortalis homo
„ labili vita ex Dono Dei nancisci potest, ea non in ultimis
„ computari meretur, quod per assiduum studium adipisci va-
„ let Scientie margaritam, quæ ad bene beateque vivendum
„ viam prebet, ac peritum ab imperito sui pretiositate longe
„ facit extollere, ad mundi quoque arcana cognoscendum di-
„ lucide introducit, suffragatur indoctis, ab infimo loco natos
„ evehit in sublimem: & propterea Sedes Apostolica rerum
„ spiritualium ac temporalium liberalis provida dispensatrix,
„ & cujusvis comendabilis exercitii adjutrix constans, atque
„ perpetua, ut eo facilius homines ad tam excelsum humanæ
„ conditionis fastigium acquirendum, ac acquisitum in alium
„ transferendum semper cum augumento quæstus inducantur,
„ cum aliarum rerum distributio maxima minuat, scientiæ ve-
„ ro communicatio, quod in plures difunditur tanto semper
„ augeatur, & crescat, ad hoc eos hortatur, eis loca prepa-
„ rat, illos juvat, fovet, ac favoribus prosequitur gratiosis.
„ Reminiscentes igitur quod olim (quemadmodum nobis di-
„ lectus filius Pantaleon de Quicenis, in artibus, & medici-
„ na Magister nuper commemorando exposuit) quod in Ci-
„ vitate Venetiarum legitimis suadentibus causis artium libe-
„ ralium, sive Artistarum, & Phisicorum Collegium de con-
„ sensu magistratuum, & pretorum, qui Reipublicæ dictæ
„ Civitatis præsunt institutum sit, quodque benedicente Do-
„ mino multiplicetur in dies: Nos attendentes, quod si in
„ dicta Civitate, quæ ex una notabilioribus totius Christiani-

„ tatis

„ tatis existit generale studium tam in Artium, & medici-
„ næ, quam etiam Theologiæ atque utriusque juris, atque
„ aliis licitis facultatibus erigeretur, illudque perpetuis futu-
„ ris temporibus in ea vigeret, & magistri Doctores, & sco-
„ lares ibidem pro tempore legentes, atque studentes liberta-
„ tibus, immunitatibus, & indultis, magistris, doctoribus &
„ scolaribus Bononiæ, Paduæ, & Parisii causa commorantibus
„ per Sedem predictam, vel alias, quomodolibet concessis
„ gauderent & uterentur. Et singuli, qui cursu feliciter con-
„ sumato in eisdem facultatibus, in quibus in studio hujus-
„ modi inhærendo studiis gravibus obtinere viderentur, ma-
„ gistratus, & doctoratus insignia, si ad hoc sufficientes &
„ idonei reperti fuerint, servatis solemnitatibus, & modis in
„ studiis generalibus in eisdem servari solitis recipere possent,
„ eisque promotis licentia ad magistratus, & Doctoratus gra-
„ dum, & honorem alios assumendi, & promovendi, & stu-
„ dere inibi volentibus, & audiendi opportunitas, & legendi
„ facultas concederetur hoc profecto ad multorum salutem,
„ & civitatis decorem, ac studere cupientium commoditatem
„ magnam cederet cum fidei Catholicæ augumento: ac pro-
„ pterea cupientes prout etiam jure naturæ, & humanitatis
„ astringimur, tam studentium commodis & profectibus op-
„ portune consulere, quam etiam Civitatem ipsam ex qua
„ originem traximus, quantum nobis ex alto permittitur con-
„ gruentibus honoribus decorare, nec non Civium Subdito-
„ rum suosque animos ad litterarum studia, & virtutes accen-
„ dere motu proprio ac de nostra mera deliberatione, & vo-
„ luntate ad laudem Divini nominis & Fidei Catholicæ pro-
„ pagationem generale studium facultatum prædictarum om-
„ nium in eadem Civitate Apostolica auctoritate erigimus stu-
„ dentes & ordinantes quod deinceps perpetuis futuris tem-
„ poribus, in dicta Civitate studium in Theologiæ Juris Ca-
„ nonici, & Civilis, medicinæ, & artium atque omnibus aliis
„ licitis facultatibus hujusmodi vigeat, & observetur cum con-
„ gruis habitis cursibus in ipsis facultatibus; sufficientes ido-
„ neique reperti inibi gradus, & insignia magistralia & docto-
„ ratus recipere & in eis legere, & docere, nec non ipsi uni-
„ versi quoque & singuli universitatis ejusdem in dictis facul-
„ tatibus doctores magistri Licentiati Bachalarii & scolares om-
„ nibus

„ nibus & ſingulis privilegiis, indultis, immunitatibus, liber-
„ tatibus & gratiis, aliis generalibus ſtudiis, & in eis commo-
„ rantibus, legentibus, vel ſtudentibus, Doctoribus, magi-
„ ſtris, & ſcolaribus. eorumque univerſitatibus per Sedem an-
„ tedictam, vel alias conceſſis uti poſſint pariter, & gaudere.
„ Et quoniam in Parochia Parochialis Eccleſiæ S. Jo. Bapti-
„ ſtæ in Bracula Venetiarum nati, & in ipſa Eccleſia Sacri
„ Baptiſmatis unda renati extitimus, ideo pro ipſius Eccleſiæ
„ decore & noſtri reminiſcentia Dilectum filium & pro tem-
„ pore exiſtentem ipſius Eccleſiæ Rectorem Cancellarium ſtu-
„ dii, & univerſitatis earumdem cum honoribus, oneribus,
„ & emolumentis conſuetis ad inſtar aliorum ſtudiorum uni-
„ verſalium motu, & auctoritate prædictis harum ſerie faci-
„ mus, conſtituimus, & etiam deputamus, non obſtantibus
„ conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quod di-
„ ctus Rector in aliqua dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus non
„ ſit cæteriſque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino
„ hominum liceat hanc paginam noſtræ erectionis ſtatuti or-
„ dinationis & deputationis infringere vel auſu temerario con-
„ traire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit indignatio-
„ nem Omnipotentis Dei ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum
„ ejus ſe noverit incurſurum.

„ Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicæ
„ 1470. 18. Kal. Januar. Pontificatus noſtri anno VII.

Ordo Plebanorum Eccleſiæ Sancti Joannis Baptiſtæ in Bragora.

1178. Petrus Molino. Ex Chron. Marini Sanuti col. 523. & ex Archivo Eccleſiæ.
1206. Henricus de Priolis. Ex Arch. Eccl.
1211. Matthæus Martinacius. Ex Arch. Eccl.
1217. Joannes Belligno, cujus tempore Corpus S. Joannis Eleemoſynarii prodigioſe ad Eccleſiam delatum eſt. Ex vita ejusdem Sancti ſcripta per Rochum de Brunis Plebanum ejusdem Eccl.
1251. Raphael Tinto Not. Ex rogitis ejusdem.

1297. Marinus Blanco. Ex Arch. Eccl.
1316. Petrus Martino vel Mancio. Ex Archivo Ecclesiæ Patriarchalis.
1331. Donatus Alberto, Leonardi Alberto, & Arminæ Uxoris filius. Ex testam. Matris.
1354. Leonardus Leonius Archip. Congreg. S. Silvestri, & Vicarius General. Nicolai Episc. Castell. Ex ejusdem testamento.
1364. Ægidius de Persona. Ex schedis Cl. V. Apostoli Zeno.
1379. Marinus. Ex Arch. Eccl.
1339. Jacobellus Britti, & alicubi Gritti; ut in Matricula Sodalitii Magni Charitatis.
1423. Joannes Balanus interfuit Consilio Basileensi pro Congregatione Sancti Silvestri. Ex Arch. Sancti Michaelis de Muriano.
1454. Franciscus de Vegla Nicolai filius. Ex Arch. Eccl. Primus Universitatis Venetæ Cancellarius ex Privilegio Pauli Papæ II.
1472. Melchior Rizzardo antea Pleb. S. Antonini, Canon. S. Marci. Ex ejusdem testamento.
1478. Thomas Vielmo Canon. S. Marci. Ex Chr. ms. Familiarum Popularium.
1480. Christophorus Rizzo Not. & Aulæ Inclyti Ducis Venetiarum Cancell. fuit primum Presb. S. Agnetis, mox Pleb. S. Stephani Confess. demum transiit ad Plebanatum S. Joannis Baptistæ in Bragora. Ex rog. ejusdem.
1499. Leonardus Michael. Sub eo consecratur Ecclesia. Ex Arch. Ecclesiæ.
1507. Victor Armanus. Ex Schedis Cl. V. Apostoli Zeno.
1520. Victor Gritti. Ex Arch. Eccl.
1525. Natalis a Puteo Canon. S. Marci. Ex Arch. Eccl.
1539. Franciscus Manolessus. Ob. 26. Julii 1566.
1566. Joannes Maria Lazzarinus Canon. Castell. Ob. 1567. 19. Octobris.
1567. 24. Octob. Andreas de Olivis Archipresb. Congreg. S. Lucæ. Ex Schedis Apostoli Zeno.
1587. Petrus Mezossa. Ex Arch. Eccl.
1594. Joannes Cegolinus. Ex Arch. Eccl.

1599.

1599. Rochus de Brunis Magister ceremoniarum, & Canon. Ducal. Basil. Vitam scripsit & Translationem S. Joannis Eleemosinarii typis vulgatam per Petrum Dusinellum. Ob. 12. Novemb. 1621.

1621. Henricus Southuvel Canon. S. Marci, Roberti Nobilis Angli & Mariæ Stephaniæ Venetæ Filius. Lusit poetice pro Synodo Joannis Theupuli Patriarchæ anno 1622.

1630. Nicolaus Carpenna. Ob. 11. Novemb. 1648.

1648. Joann. Baptista Vitalba. Ob. 14. Aug. 1664.

1664. Jacobus Fornasierius. Ob. 11. Septemb. 1678.

1678. Joann. Franciscus Temporinus. Ob. 28. Januar. 1692.

1692. Laurentius Tognanus. Ob. 11. Julii 1720.

1720. Dominicus Coledani. Ob. 1740.

1740. Andreas Rizzardinus. Ob. in Oppido Mestre 1741.

1741. Albertus Ulich. natione Dalmata ortus Venetiis. Ob. 1748.

1748. Dominicus Romagnolus.





DE
ECCLESIA PAROCHIALI
SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

PATRITIÆ Familiæ Sagreda, quæ olim vocabatur *A secretis*, & Celsa Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis collatis opibus erexerunt. Hoc asserit Sansovinus, cujus tempore renovata fuit, ejusdemque consecrationis memoria ad diem 24. Junii peragitur.

In ea asservatur Spina e D. N. J. C. corona, & Sancti Mennæ præclarissimi Martyris Ægyptii manus; atque os Coxæ S. Gerardi Sagredi Cannadiensis Episcopi, & Mart. qui in hac eadem Parœcia (ut a nonnullis traditur) ortum habuit; quod quidem venerandum os ex ejusdem Sanctissimi Mart. corpore Muriani quiescente avulsum (intervenientibus Familiæ Sagredæ precibus) Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis oblatum fuit ex munere Antonii Grimani Torcellani Episc., atque ibidem ad aram ejusdem Martyris titulo insignitam honorifice collocatum.

Præcipua Veneratione in ornatissimo Sacello ad ejus honorem constructo asservatur, & colitur Corpus S. Anastasii Persæ Monachi, & Martyr. qui sub Chosroa hujus nominis secundo Persarum Rege martyrium capite abscisso complevit, cujus memoria tam apud Græcos, quam apud Latinos solemni elogio recolitur ad diem 22. Januar.

Ejus

Ejus venerandum corpus a Cæsarea Palestinæ ad Monasterium Jerosolymitanum, in quo monasticæ vitæ nomen dedit, deductum est, inde ab Heraclio Imperatore post devictum, profligatumque Chosroam Constantinopolim delatum. Postremo sub Henrico Dandulo Duce Venetiarum Byzantinæ expugnationis tempore Venetias translatum. Primæ venerandi corporis translationes e Cæsarea Jerosolymam, & inde Constantinopolim peractæ, & prodigia ejus intercessione patrata fuse enarrantur in Græcis ejusdem Martyris actis; translationes vero rursus Byzantinam, & præterea Venetam affert Andreas Dandulus in suo a Baronio etiam laudatissimo Chronico, ubi *l. 6. c. 6. p. 9.* ait:
„ Heraclius cum victoria Constantinopolim rediens detulit se-
„ cum Corpus Anastasii Persæ, qui prius Magus fuerat, postea
„ Monachus a Persis captus post verbera, vincula, & carceres
„ sub Cosroe Rege obtruncatione Capitis Martyr Christi glo-
„ riosus effectus est, cujus corpus sub Enrico Dandulo Duce de-
„ latum est Venetias.

Annus Venetæ translationis, qui a Dandulo reticetur, affertur a Sansovino *l. 1. de Urbe Veneta*, ubi asserit, Sacrum Martyris Anastasii corpus Constantinopoli Venetias fuisse deductum per Nobilem Virum Valaresium de Valaresiis anno Dominicæ Incarnationis 1200.

Probe quidem novi almam Romam de hujus S. Lipsanis gloriari ejusdemque memoriam, & imaginibus, & Templo, in quo caput ejus asservari dicitur, celebrem ibi etiam esse; attamen ex iis, quæ referunt Antuerpienses Hagiographi in hujusmodi translationibus exactissimi, nulla memorantur translationis acta, nullum documentum affertur præter vulgarem traditionem, ex qua & in Martyrologium, & in Breviarium Romanum irrepsit; at Veneta translatio ex veracissimi scriptoris testimonio eo tempore perfecta est, quando Veneti in Urbe Byzantina victricibus armis expugnata longe lateque dominabantur, unde tantæ militaris virtutis laudes, & tanta sacrarum rerum munera in Rempublicam derivarunt.

Anastasii Persæ Monachi, & Martyr. sacras exuvias Venetiis quiescere præter supralaudatum Dandulum asserunt ex Venetis Petrus Equilinus Episc. in *Catal. l. 2. c. 113.* & alii Chronologi, idque pariter ex alienis scriptoribus confirmant Maurolycus ad diem 22. Januar. Martyrologium Germanicum, & Resendius in Epi-

Epistola ad Kebedium ; Romanæ urbi attribuunt Beda , Ado ; & alii fusius a Bollandistis enumerati Tom. 2. ad enunciatam diem 22. Januar.

Novissimo loco prò Veneta S. Anastasii translatione afferam illustre testimonium Petri Calo Ord. Prædicatorum de Clugia a Bollandistis etiam frequenter laudati, qui, ut ex Jacobo Echard in Scriptoribus Ord. Prædicatorum pag. 511. habetur , floruit circa initia Sæculi XIV. & vitas Sanctorum fusissime exaravit, cujus autographum in celebri Bibliotecha Sanctorum Joannis, & Pauli Venetiarum diligenti custodia asservatur . Pius author post vitam Sancti Anastasii Monachi M. de ejus corpore hæc refert: " Nunc autem corpus ejus dicitur esse Venetiis in Ca-
„ pella Sanctissimæ Trinitatis, & portavit ipsum Dominus Va-
„ laresso ; quando cæperunt Constantinopolim Veneti , & di-
„ citur frequenter ibi sentiri odor miræ suavitatis , atque fra-
„ grantiæ.

In hujus Ecclesiæ finibus Patritii viri *dalle Boccole* Hospitale condiderunt ex fundatorum agnomine *Spedale delle Boccole* nuncupatum. Plurimi ex hac familia illustres viri prodiere , quæ tandem anno 1483. extincta est. Alii tamen putant Xenodochium olim a gente Buccola institutum vetustate collapsum periisse, atque eum qui modo conspicitur pium locum ab alio originem habuisse, in hanc opinionem adducti ex inscriptione marmorea extra portam, in qua vetustissimis caracteribus expressa hæc habentur. Hospetal de Ser Natichlier da Cha Christian.

Series Plebanorum Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis.

1253. Marcus Grilioni Not. Rogavit Testamentum Marci Ziani Comitis Arbensis filii Petri Ziani Ducis.
1311. Petrus Signolo. Ex Cancellaria Ducal.
1319. Nicolaus. Ex archivo S. Joannis de Torcello.
1335. Antonius Paulo Not. Ex rog. ejusdem.
1341. Nicolaus Verde Not. ex Plebano S. Thomæ de Equilio primum Presbyter, inde Plebanus Sanctæ Trinitatis. Ex rog. ejusdem.
1358. Ludovicus Falconi Not. Ex rog. ejusdem.

1362.

1362. Bartholomæus olim Plebanus S. Trinitatis, postea Episcopus Agensis. Ex rog. Desiderati Lucii Notar.

1369. Joannes Bonus. Ex rog. Petri Zanello Pleb. S. Martialis & Notar.

1405. Basilius Dauvasio Notar. & Aulæ Ducis Cancellarius, Canon. Ecclesiæ Ducalis, prius Plebanus S. Mariæ Magdalenæ, tum S. Trinitatis, & inde Plebanus S. Pauli. Ex rog. ejusdem.

1411. Laurentius de Sanitate. Ex Arch. Eccl.

1414. Petrus Miani ex Presbytero S. Vitalis Plebanus S. Trinitatis, & postmodum Plebanus Sancti Vitalis. Ex Archivo Ecclesiæ.

1417. Chrysostomus Rizzo Not. Ex rog. ejusdem.

1424. Franciscus Gritti Not. Ex Presbytero S. Pantaleonis, Plebanus S. Trinitatis, & inde Plebanus Sancti Pantaleonis. Ex rog. ejusdem.

1427. Lazarus Muscatto. Ex rog. Francisci Gritti Plebani S. Pantaleonis, & Notar.

1444. Andreas Stella. Ex rog. Joannis Rizzo Pleb. S. Angeli, & Notarii.

1469. Antonius Savina Not. transiit ad Plebanatum S. Mariæ Jubenico. Ex rog. ejusdem.

1477. Franciscus Rubeus. Ex rog. Antonii Savinæ Plebani S. Mariæ Jubanico & Not.

1480. Antonius Burgius Germanus Vicarii Sancti Bartholomæi, Canonicus Patriarchalis, & Archipresbyter Congregationis Sanctæ Mariæ Formosæ, Notarius. Ex rogitis ejusdem.

1513. Franciscus Penaleo. Ex Arch. Eccl.

1518. Franciscus de Donatis. Obiit 24. Octobris 1539. Ex Archivo Ecclesiæ.

1539. Laurentius Pegolottus Doctor Decretorum. Transit anno 1550. ad Plebanatum S. Canciani.

1550. Antonius Surianus. Ex Ughello Tom. 5. Edit. Venet. col. 1368. Obiit 18. Septembris 1584. Ex Archivo Ecclesiæ.

1584. Joannes Maria de Casalibus. Ob. 24. Aprilis 1598. Ex Archivo Ecclesiæ.

1598.

1598. Petrus Antonius Gallese Canon. Patriarcal. Ob. 13. Novemb. 1604. Ex eodem.

1604. Victor Sancta Crux. Anno Plebanatus vix completo obiit 19. Novembris 1605. Anno ætatis suæ 37. Ex eodem.

1605. Hieronymus Sancta Crux. Obiit 19. Novembris 1612. Ex eodem.

1612. Franciscus Condo. Ob. 1630. 12. Februar. Ex eodem.

1630. Philippus Zannotto. Ob. 29. Augusti 1643. Ex eodem.

1643. Franciscus Vincenti. Obiit 6. Septembris 1676. Ex eodem.

1676. Marcus Antonius Scolari Presbyter Ecclesiæ Sancti Joannis Chrysostomi, Canonicus Ducalis. Obiit 21. Februarii 1710.

1710. Anastasius Bez. Ob. 1. April. 1732.

1732. Jacobus Foggianus. Ob. 18. Januar. 1741.

1741. Innocens Baronus. Ob. 28. Martii 1749.

1749. 31. Martii. Laurentius Fogosi.

F I N I S.

INDEX
SEXTÆ DECADIS.





CATALOGO DE' SIG.RI ASSOCIATI,

Per ordine d' Alfabeto.

VENETIA.

Monf. Ill. e Reverendiss. Alvise Foscari Patriarca di Venezia.
N. H. Mis. Almorò Barbaro Proc.
N. H. f. Alvise Giustinian Lollin.
N. H. f. Alvise Co: Manin.
N. H. f. Alvise Sangiantoffetti fu de f. Benedetto.
N. H. f. Alvise Mocenico K. Proc.
N. H. f. Ambroso Priuli.
N. H. f. Gian Andrea Gritti, fu de f. Triadan.
N. H. f. Andrea Corner fu de f. Marco.
N. H. f. Andrea Memo de f. Piero.
N. H. f. Andrea da Lezze terzo K.
N. H. f. Antonio Co: Savorgnano.
N. H. f. Z. Antonio Riva fu de f. Alvise.
N. H. f. Antonio Mocenico K.
N. H. f. Antonio Vanaxel.
Ill. Sig. Alvise Caortorta.
Il Molto Rev. P. D. Agostino Orzalli C. R. T.
Ill. Sig. Andrea Poletti.
Ill. Sig. Angelo Sabini.
Reverendiss. Sig. D. Angelo Armetti Pievano di S. Silvestro.
Reverendiss. Sig. D. Angelo Ruopelli Pievano di Santi Apostoli.
Sig. Angelo Pasinello.
Ill. Sig. Apostolo Zeno.
P. D. Anselmo Costadoni M. Camald.
Ill. Sig. Dottor Arcadio Capello Medico Fisico.
Reverendiss. Sig. D. Antonio Busi Canonico Patriarcale, e Pievano di S. Giuliano.
M. R. D. Antonio Speziale Curato in San Canziano.
Sig. Antonio Zanon.
N. H. f. Barbon Morosini K. Proc.
Sig. Eredi Baglioni.
N. H. f. Bernardo Nani fu de f. Antonio.
N. H. f. Bernardino Polani.
Reverendiss. Sig. D. Bartolomeo Trevisan, Protonotario Apostolico, Canonico della Cattedrale, Arciprete della Congregazione di San Salvatore, Pievano di SS. Ermacora, e Fortunato.
Il Sig. Bartolomeo Locatello.
Reverendiss. Sig. D. Bartolomeo Carminati Pievano di San Polo, Vicario di San Marco.
M. R. P. Bernardo Maria de Rubeis.
N. H. f. Carlo Gradenico.
Il Sig. Dottor Carlo Visconti.
Reverendiss. Sig. D. Clemente Petrobelli Pievano di S. Lio.
N. H. f. Domenico Gritti fu de f. Marc' Antonio.
Reverendiss. Sig. D. Domenico Mazzoni Lettore dell' Instituta nell' Accademia de' Nobili.
Reverendiss. D. Domenico Monelli Canonico di Castello.
N. H. f. Francesco Pisani fu del Serenissimo.
N. H. f. Francesco Abate Baglioni.
N. H. f. Francesco Rota fu de f. Gregorio.
Ill. e Reverendiss. Abate D. Francesco Rota de' Monaci Cassinensi.
Ill. Sig. Co: Francesco Fansogna.
Ill. Sig. Francesco Contarini.
Il Sig. D. Francesco Granzotti.
Pad. D. Francesco Vezelli Provinciale de' C. R. S.
Il Sig. Francesco Rigoni.
N. H. f. Gerolamo Ascanio Giustinian fu de mis. Gerolamo Pr.
N. H. f. Gio: Antonio Crotta.
N. D. Giulia Rota Monaca in S. Andrea.
Ill. Sig. Gabriel Rombenchi Console di Spagna e delle due Sicilie.
Ill. Sig. Abate Giacomo da Riva.
Il Sig. Dottor D. Giacomo Bagattini.
Reverendiss. Sig. D. Giacomo Marchet-
ti

ti Canonico di S. Marco, e Pievano di S. Maria Mater Domini.
Reverendiss. Sig. D. Giambattista Torelli Pievano di S. Samuele.
Reverendiss. Sig. D. Giambattista Orsini Pievano di S. Giminiano.
Reverendiss. Sig. D. Giambattista Brunello Pievano di S. Tomà.
Il M. R. P. D. Giambatista Borini Provinciale della Congregazione del B. Pietro da Pisa.
Il M. R. Sig. D. Giambatista Cadorin.
Ill. Sig. Dottor Giambattista Caroldi.
Il Sig. D. Giambattista Granzotti di S. Vidal.
Sig. Dottor D. Giambattista Baroni.
Sig. Giambattista Recurti.
Il M. R. P. M. Giammaria Trocchi.
P. D. Gianagostino Gradenigo Monaco Cassinense.
Reverendiss. Sig. D. Giandomenico Tamagnon Pievano di S. Canciano.
Revereudiss. Padre Gianfrancesco Baldini Generale de' C. R. S.
Ill. Sig. Co: Gianrinaldi Carli Rubbi.
Ill. Sig. Dottor Giovanni Paini.
Reverendiss. Sig. D. Gio: Antonio Corsi Pievano di S. Basso.
Reverendiss. D. Giovanni Ipsi Abate Generale de' Camaldolesi.
Sig. Giovanni Astolfi.
Ill. Sig. Giuseppe Comincioli.
M. R. S. Dottor D. Giuseppe Bettoni.
Sig. Dottor D. Giuseppe Piacentini di S. Maria Zobenigo.
Reverendiss. Sig. D. Giuseppe Petrogalli Canonico di S. Marcó, e Pievano di S. Maurizio, Proton. Apostolico.
Il M. R. Sig. D. Giuseppe Rimondi.
Padre Maestro Giuseppe Maria Berganti ni Provinciale de' Servi di Maria.
P. Giuseppe Zauli della Compagnia di Gesù.
Reverendiss. Sig. D. Girolamo Calura Pievano in S. Salvator di Murano.
P. Girolamo Lombardi della Compagnia di Gesù, per due.
Ill. Sig. Graziofo Bertocco.
Reverendiss. Sig. D. Gregorio Bianchi Canonico della Cattedrale, Arciprete della Congregazione di S. Angelo, Pievano di S. Pantalon.
N. H. f. Ignazio Co: Barziza.
Il Reverendiss. Padre Abate D. Isidoro Manzoni de' Canonici Regolari di S. Salvatore.
S. E. il Sig. Leopoldo Conte Tassis.
La Libreria della Casa professa della Compagnia di Gesù di Venezia.
La Libreria de' PP. Camaldolesi di S. Mattia di Murano.
La Libreria de' PP. della Certosa di Venezia.
La Libreria de' PP. Reformati di Venezia.
La Libreria di S.S. Gio: e Paolo di Venezia.
N. N. f. Marco Foscarini K. e Pr.
N. H. f. Marco Co: Flangini.
N. H. f. Marco Molin.
N. H. f. Marin Contarini S. Marcilian.
Ill. Sig. Marc' Antonio Businello Segretario dell' Eccel. Senato.
Ill. Sig. Manfredo Piantoni.
Sig. Medoro Segatti.
Le RR. Monache della Croce della Giudecca.
Il M. R. P. D. Nicolò Giustiniani Priore Cassinense.
N. H. f. Pier Gerolamo Capello.
N. H. f. Pietro Querini fu de f. Marchiò.
N. H. f. Pietro Garzoni.
Reverendiss. Sig. D. Pace Carnio Vicario perpetuo di S. Bortolamio, e Canonico Patriarcale, Arciprete della Congregazione di S. Paulo.
Ill. Sig. Pietro Franceschi.
Li Reverendiss. Presidenti al Collegio delle nove Congregazioni.
N. H. f. Sebastian Pisani.
Ill. Sig. Santorio Santorio Segretario dell' Eccel. Senato.
Il M. R. Sig. D. Sebastiano Sandri.
Reverendiss. Sig. D. Simon Giuseppe Grassetti, Arciprete della Congregazione di S. Luca, e Pievano di San Moisè.
Sig. Tommaso Temanza Architetto ed Ingegnere delle Sereniss. Republica di Venezia.
N. H. f. Vicenzo Gradenigo de f. Vicenzo secondo.
Sig. Vicenzo Tolazzi.

N. H.

N. H. ſ. Zuanne Soranzo fu de miſ. Franceſco Proc.
N. H. ſ. Zuanne Magno.
N. H. ſ. Zuanne Falier.

A D R I A.
Monſignor Veſcovo Pellegrin Ferro.

A N V E R S A.
Li RR. PP. Bollandiſti.

B A V I E R A.
Il Sig. Giampaolo Gaſpari.

B O L O G N A.
Ill. Sig. Franceſco Argelati per due.
Il M. R. P. Giambatiſta Giovanelli de' Preti dell' Oratorio.
Il Sig. Pompilio Lorenzo Co: Mitti.

CHIERIGNAGO.
Reverendiſs. Sig. D. Vittorio Allegri Dottore, e Paroco di Chierignago.

C H I O G G I A.
Ill. e Reverendiſs. Monſ. Gianalberto Grandi Veſcovo di Chioggia.

F I R E N Z E.
Ill. Sig. Dottor Gianfranceſco Gori.
Ill. Sig. Giuſeppe Rigaci.

G E M O N A.
L' Ill. Sig. Arciprete Giuſeppe Bini.

L I O N E.
Sign. Fratelli de Tournes per 4.

L O N D R A.
Ill. Sig. Houbly.

L I P S I A.
Il Sig. Giovanni Gleſtiſch per ſei.

L U C C A.
Il M. R. P. Giandomenico Manſi.

M I L A N O.
Ill. Sig. Segretario Filippo Argelati per ſei.

NORIMBERGA.
Ill. Sig. Giovanni Baldaſſare Starch.

P A D O V A.
Sua Eminenza il Sig. Cardinale Carlo Rezzonico Veſcovo di Padova.
La Libreria de' Monaci Caſinenſi di S. Giuſtina.

P A R E N Z O.
Il Convento de' RR. PP. Domenicani Oſſervanti.

P I S A.
Il M. R. P. Raimondo Adami P. P. nell' Univerſità di Piſa, e Provinciale de' Servi di Maria.

R A V E N N A.
La Libreria di Claſſe.

R O M A.
Il Sig. Gregorio Roiſecco per due.

R O V I G O.
Ill. Sig. Lodovico Campo Canonico.

S I E N A.
Il Reverendiſs. P. M. Fanzelli Generale dell' Ordine de' Servi di Maria.

T R E V I S O.
Ill. e Reverendiſs. Monſ. Paulo Franceſco Giuſtiniani Veſcovo di Treviſo.
Ill. Sig. Canonico Bocchi.
Ill. Sig. Canonico Avogaro.

U D I N E.
Sua Eminenza il Sig. Cardinal Dolfin, Patriarca di Aquileja.

V E R O N A.
Il Rev. Sig. Canonico Arciprete Gianfranceſco Muſelli.
Ill. Sig. Co: Ottolino Ottolini.

V I C E N Z A.
Monſig. Illuſt. e Reverendiſs. Antonio Priuli Veſcovo di Vicenza.

Nel Tomo Quinto ſi regiſtreranno gli altri, non avendo permeſſo la riſtrettezza del tempo di raccoglierli tutti.



